



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Novæ Observationes Et Additiones Ad A. R. P. D. Bartholomæi Gavanti Congreg. Cleric. Regul. S. Pauli ac Sac. Rit. Congregat. Consultoris Commentaria In Rubricas Missalis Et Breviarii Romani**

Adjectis Summorum Pontificum & Sac. Rit. Congreg. Decretis usque ad  
præsens emanatis

Complectens omnia Gavanti Commentaria in Rubricas Breviarii - Cum  
Indicibus Decretorum, Rerum atque Verborum notabilium

**Merati, Gaetano Maria**

**Augustæ Vindellicorum, 1740**

**VD18 10783695-002**

Novæ Observationes Et Additiones Ad Gavanti Commentaria In Rubricas  
Breviarii Romani.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39775**



NOVÆ OBSERVATIONES ET ADDITIONES  
AD  
GAVANTI COMMENTARIA  
IN RUBRICAS  
BREVIARI ROMANI.

SECTIO PRIMA.

*De Horis Canonicis in genere.*

Cap. I. De nomine Officii, & Horarum Canonicarum.

*Caret novis Observat. & Additionibus.*

Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

Cap. II. De Origine Officii Divini.

**G**Avant. pag. 2. col. 1. num. 1 -- *Apo-  
stoli ab Hebraeis, &c.*) Oliverius Bo-  
nartius in suo Tractatu de Horis Ca-  
nonicis lib. 1. cap. 2 ostendit fuisse hanc veri-  
tatem, nimirum Apostolos ab Hebraeis acce-  
pisse horas orandi; & adeo certum esse ad-  
struit, precationum Canonicarum adumbra-  
tionem in veteri Testamento præcessisse, ut  
etiam Calvinus ipse, quamvis Catholicorum  
Dogmatum infensissimus hostis, hanc verita-  
tem fateri cogatur in suis Commentariis ad  
cap. 3. *Actor. Apostolic.* Et equidem ex Sa-  
cris Paginis aperte colligitur, Prophetas, &  
alios veræ Religionis cultores præter matuti-  
num, & vespertinum tempus impendisse ho-  
ram Tertiam, Sextam, & Nonam in preci-

*Gavant. Rubr. Brev.*

bus Deo fundendis. Laudatus Bonartius cap.  
3. procedit ad comprobendam originem no-  
strarum horarum Canonicarum ab Apostolis  
repetendam esse, & censet cum aliis, prima  
fundamenta horarum precationum jacta  
fuisse in ipso exordio nascentis Ecclesie, sta-  
tim ab Ascensu Christi in Cælum illo die,  
quo ingressi in Cœnaculum præfati Christi  
Discipuli perseveraverunt unanimiter in ora-  
tione cum mulieribus, & Maria Matre Jesu,  
& fratribus ejus; contenditque idem Auctor,  
orationem hujusmodi fuisse non pure menta-  
lem, sed & vocalem. Denique luculentis  
Sanctorum PP. auctoritatibus ostendit, in Ec-  
clesia morem, Psalmos, & Hymnos recitandi,  
non aliunde, quam à Christo Domino, & ab

A

Apo

Apostolis ad nostra usque tempora pervenisse. Divinam Psalmodym ab ortu Ecclesiæ, & deinceps temporum serie servatam osten-

dit pariter priscorum PP. auctoritatibus more suo doctissimo Card. Bona in suo Tractatu Divinæ Psalmodyæ cap. 1. §. 4.

### Cap. III. De partibus Divini Officii, & Horarum numero.

*Caret novis Observat. & Additionibus.*

## Novæ Observationes & Additiones ad Gavanti

### Cap. IV. De Obligatione Officii Divini.

I. Gavant, pag. 3, col. 1. n. 3 -- *Sive sit beneficium tenue &c.*) Quamvis sit Communis sententia Doctorum, præsertim Pontificii Juris, hujusmodi Beneficiariis, possidentibus etiam tenue Beneficium, incumbere onus recitandi quotidie Horas Canonicas, nihilominus plures viri docti, & pii censent, eum, qui Beneficium possidet, exiguos proventus annuos reddens, à recitatione Officii excusari: ita inter primos tenuit Sctus *lib. 10. de Justitia quest. 5. num. 3.* cui adhæsit Petrus Aragonius *2. 2. quest. 83. art. 12.* & alii recentiores, qui etiam plus requirunt, v. g. quindecim, vel sexdecim aureos annui redditus; ita ut Beneficium suppeditet saltem bonam aliquam partem tenuis sustentationis, ut ad quotidianum pensum horarum Beneficiarius obligetur. Oliverius Bonartius *lib. 2. capit. 6. num. 11.* admittit tanquam probabilem hanc sententiam, sed animadvertit, quod qui solum recipit ex Beneficio viginti quinque florenos, satisfaciet suo oneri Canonici Officium Festis tantum, Dominicisque diebus legendo, quia summa illa non attingit quartam partem mediocris sustentationis, ut quotidie Officium recitare teneatur, sed quia aliquid ab Ecclesia recipit, æquum est, ut aliquod etiam obsequium Ecclesiæ reddat, additque, sententiam Soti, & aliorum intelligendam esse de Beneficio, quod à principio fuit tenue, & modicum, non vero de illo, quod ab initio pingue, & opulentum,

postea casu aliquo ad tenuiores proventus redactum est. Numero vero 3. non admittit tanquam probabilem, neque tanquam præsertim securam quorundam Doctorum Sententiam, extendentium opinionem Soti ad Beneficiarium non habentem totam sustentationem ex Beneficio; quia (ait ipse) Beneficium non debet totum victum, & amictum Clerico suppeditare, cum lectio horarum vix duas horas dici requirat, ut commode adimpleatur.

II. Gavant, pag. 3, col. 1. n. 4. -- *Neque Pensionarius &c.*) Certum est apud Theologos, & Canonum Doctores non obligari ad Officium Canonicum eos, qui ex Patrimonio Ecclesiæ alimenta capiunt per modum Pensionis etiam Titulo Clerici, id est, ob Spirituale aliquod ministerium, verum quamvis Pensionarii ad Horas Canonicas legendas non teneantur, & ad nihil jure antiquo obligantur, nova tamen Constitutione S. Pii V. tenentur dicere ad minus Officium B. M. V., alioquin fructus non faciunt suos, sed ad eorundem restitutionem, eadem cum Beneficiarii mensura, obstringuntur: hac obligatione tenentur præsertim Pensionarii illi, quorum Pensio est Ecclesiastica, & Spirituallis, vel saltem media inter Ecclesiasticam, & temporalem. Quod si sit Pensio merè temporalis, non obligabit ea gaudentem ad quidquam recitandum.

### Cap. V. De Defectibus in Officio Divino contingentibus.

*Tit. I. De Omissione.*

*Caret novis Observat. & Additionibus.*

Novæ

## Novæ Observationes, &amp; Additiones ad Gavanti

## Tit. II. De Mutatione Officii Divini.

I. Gavant. pag. 5. col. 1. n. 5. -- *Sacra Congregatio die quo supra octava Septemb. &c.*) Decreta à Gavanto hic allegata sub die 8. Sept. reperiuntur in Regestis S. R. C. sub die 30. Augusti 1602. in *Salernitana*, & dantur in nostro Indice sub n. 2. & 3.

Vide etiam Decreta in nostro Indice data sub n. 4. & sub n. 186. declarantia, quodnam Officium recitare debeant, & possint Tertiarii Sancti Francisci degentes in sæculo &c.

II. Gavant. pag. 5. col. 1. n. 6. -- *Festum Patroni Principalis loci &c.*) Decretum allegatum à Gavanto hic de Regularibus, qui tenentur celebrare Festum Patroni Principalis loci, sed sine octava, habetur in nostro Indice sub num. 63. ubi indicantur etiam alia S. R. C. Decreta spectantia ad eandem materiam, sed quia de Patrono loci, seu Titulo Ecclesiæ agendum est cum Gavanto etiam infra in *sectione tertia. Cap. 12.* idcirco nos quoque nonnulla addemus spectantia ad ritum, quo celebrari debet Officium Patroni loci, tum à Regularibus, tum etiam ab aliis.

III. Gavant. pag. 5. col. 1. n. 7. -- *Non licet mutare Officium unius diei in Breviario Romano præscriptum, &c.*) Declarat Gavantus hic, quòd præter prædictos casus exceptos, & alios, qui habentur apertè in Rubricis, seu Decretis S. C., de quibus nos cum eodem infra suis locis, non licet mutare Officium unius diei in Breviario Romano præscriptum, in Officium alterius diei, & qui mutat, præcepto non satisfacit, quæ Gavanti sententia desumitur ex Bulla S. Pii V. Breviariis Romanis præfixa, in qua Sanctus Pontifex præcepit in virtute S. Obedientiæ, quòd non aliter Horæ Canonicæ recitentur ab iis, qui ad illas obligantur, quàm juxta ritum in eo Breviario præscriptum, addens -- *Nemi-*

*nem ex his, quibus hoc dicendi munus necessario inoffensum est, nisi hac sola formula satisfacere posse* -- Unde sequitur peccare mortaliter omnes eos, qui notabiliter ab ea formula discedunt, venialiter vero ratione parvitatæ materiæ, dempto tamen contemptu, qui citra rationabilem causam, ab ea Regula discedunt, sed non notabiliter. Usque modo tamen, & ex prædictis verbis Pontificis non evincitur, nisi quòd ii, qui juxta suam Constitutionem, uti debent Breviario Romano, non satisfaciant muneri suo, si recitent Officium juxta normam in aliis Breviariis præscriptam; & equidem etiam post emanatam talem Constitut. controversia non levis est inter Theologos, utrum satisfaciant præcepto Divini Officii, qui aliquod Officium juxta formam Breviarii Romani, pro alio Officio in eodem Breviario contento, recitant.

Prima Sententia, cui adhæret Gavantus, hoc num. 7 & quam tradit Gobat *trab. 5. disp. 3. num. 858.* cum Tolet. Bonac. & aliis docet, quamcumque Officii mutationem importare notabilem deviationem à formula præscripta in Bulla Pii V. & idè esse mortaliter peccaminosam, & non satisfacere præcepto illum, qui taliter variaret Officium Divinum. Verum quanvis Gavantus hic versetur in hac sententia, nihilominus *scilicet 2. cap. 2. num. 8.* fatetur, Bullam Pii V. obligare omnes, qui tenentur Horas Canonicas recitare, ut utantur Breviario Romano, aliàs non satisfacere muneri suo; in quo omnes profecto conveniunt, sed non inde sequitur, non satisfacere eidem muneri, qui unum Officium in Breviario Romano contentum pro alio recitaret.

Secunda sententia extreme opposita, pro qua Gobat loc. cit. asserit triginta quatuor Auctores nominari, docet, quamcumque Officii pro Officio mutationem esse levem, at-

que adeo nunquam in ea culpam gravem reperiri, quia in quolibet Officio habetur Ritus substantialis à Pio V. præscriptus, videlicet, quod constet septem Horis, Psalmis, Lectionibus &c. & eorum variatio est mere accidentalis, sicut est mere accidentalis variatio unius Missæ in aliam, dummodo ferretur Ritus substantialiter præscriptus, quod scilicet constet Introitu, Epistola, Evangelio &c.

Tertia sententia, quam tenet Suarez, Bael. Reginal. & alii, docet graviter peccari, quoties in fraudem mutatur Officium in notabiliter Brevius, & quoties frequenter mutatur in æquale, quia in his casibus videtur notabilis discessus à Ritu, & formula præscripta, & sub gravi præcepta.

Quarta demum sententia, quam Sanchez putat probabilior, & quam tenent pariter Vasquez, Escobar, Rodriquez, & Tamburinus, docet, solum frequentiam mutandi Officium importare culpam lethalem, & non nisi venialem, si semel, aut iterum Officium de Sancto subrogetur Officio Dominicæ, etiam si illud sit valde brevius; præfati tamen Auctores nunquam docent expresse posse Officium Resurrectionis, vel Pentecostes extra suas octavas recitari citra culpam gravem; solus Caramuel id asseruit, sed postea suam sententiam retractavit in alia sui operis editione num. 1489. ejusque primam opinionem utpote repugnantem communi Fidelium, & Doctorum sensui confutavit noster celeberrimus Pater Diana *part. 1. tract. 1. resol. 26.* & revera caret omni probabilitate, præsertim postquam Alexander VII. proscripsit sequentem propositionem, nimirum: *In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto: certum igitur omnino est, quod qui recitant Officium Resurrectionis, aut Pentecostes (extra suas octavas) quæ uno tantum nocturno constant, & brevissima sunt, adeoque notabiliter diversa à communi, & ordinario Ritu, non satisfaciunt præcepto, cum talis variatio sit notabiliter diversa, ac proin-*

de citra mortale nequit Officium Resurrectionis, & Pentecostes Officio trium nocturnorum, seu Feriali subrogari; & hanc sententiam validis rationum momentis probat Dominicus Viva in *Trutina Theologica Damnataram Thesium p. 1. proposit. 34.*

Prima ex propositis sententiis pace illustrium virorum, qui illam propugnant, videtur nobis nimis rigida, quia ex Bulla Pii V. non eruitur nisi id, quod supra adnotavimus etiam cum Gavanto in explicatione ejusdem sententiæ; Secunda è contra illi extreme opposita apparet nimis laxa, quia nimis generaliter loquitur de mutatione cujuscunque Officii in aliud nulla facta exceptione. Tertiam libenter admitto. Quarta autem non caret sua probabilitate, sed utrum amplectenda sit, non est hic disputandi locus, aliis hanc Provinciam relinquimus.

Lubet hoc loco tradere aliam propositionem damnatam ab Alexandro VII. quæ habetur num. 35. in qua sic legitur -- *Unico Officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præfensi, & crastino* -- Hanc opinionem insinuabat Caramuel in sua Theologia fundamentali, ubi num. 31. inquirebat, an recitans Matutinum cum Laudibus post Vesperas, quando potest illud recitari tam pro die hodierno, quam pro crastino, satisfaciat duplici præcepto recitandi illud pro utroque die? ibique adducebat rationes pro sententia affirmativa, quæ fuit proscripita, & quam supra laudatus P. Viva optime suo more refellit.

Denique congruum videtur hic mentionem facere Decreti dati in nostro Indice sub num. 79. nimirum: *Recitatio Officii de Beatis non Canonizatis non est satisfactoria præcepti, nisi quoad illos, quibus Sedes Apostolica de hoc induit.*

IV. Gavant. pag. 5. col. 2. num. 8. *Fieri potest Officium Duplex, &c.* Allegat Gavantus Decretum S. R. C. editum die 23. Novembris 1602. in *Vicentina*, & datum in nostro Indice sub num. 6. in quo statuitur, quod de

de Sancto, cujus Insignis Reliquia habetur, fieri potest Officium Duplex minus in ejus Festo, dummodo sit Reliquia approbata. Hoc Decretum confirmatum fuit alio simili edito die 3. Junii 1617. in una Urbis Theatinorum, & dato in nostro Indice sub num. 40. Insignes autem Reliquia (quarum ratione recitari potest Officium sub Ritu Duplici) sunt Caput, Brachium, Crus, aut illa pars Corporis, in qua passus est Martyr, modo sit integra & non parva, & legitime ab Ordinariis approbata, juxta Decretum editum die octava Aprilis 1628. & datum in nostro Indice sub num. 59. Tale autem Officium non potest celebrari per totam Civitatem, sed tantum in illa Ecclesia, in qua asservatur Corpus, aut prædicta Insignis Reliquia, ut declaratur in alio Decreto edito die 8. Aprilis 1628. & dato in nostro Indice sub num. 60. In Decreto emanato die 3. Junii 1662. & dato in nostro Indice sub num. 82. declaratum fuit, Episcopum non posse statuere diem Dominicam ad celebrandam Festum alicujus Sancti Martyris, de quo servetur Reliquia Insignis, immo neque posse de eo celebrari Officium, & Missam in die ipsa Martyrii, vel obitus, nisi Reliquia sit de Sancto descritto in Martyrologio Romano, & constet de identitate Reliquia ejusdem Sancti. Denique in eodem Decreto declaravit S. C. Tybiam non esse Reliquiam Insignem, prout etiam habetur in Rubricis tum Missalis, tum Breviarii Romani. In Decreto autem edito die 11. Augusti 1691. approbante etiam Innocentio XII. die 19. Octobris ejusdem Anni, & dato in nostro Indice sub num. 165. confirmantur prædicta Decreta, & deinde additur, quod de cæteris Sanctis in Martyrologio Romano non descriptis, aut quibus à Sancta Sede non fuerit concessum, Officia recitari, & Missæ celebrari non debent, non obstante, quod ipsorum corpora, vel insignes Reliquia in Ecclesiis asserventur, quibus tamen Reliquiis ab Ordinariis locorum approbatis, debita fidelium veneratio (prout hæctenus

servatum est) exhibeatur, sed absque Officio, & Missa sub penis de non satisfaciendi præcepto recitandi Officium, aliisque in Constitutione Pii V. contentis.

Reliquia insignis, ratione cujus potest recitari Officium duplex, & dici *Credo* in Missa de tali Sancto (in Ecclesia, in qua asservatur talis insignis Reliquia) judicio Quarti *part. 1. tit. 11. dub. 3.* est Manus, vel Pes, vel aliud frustum; sed hæc sententia corrumpitur, attento Decreto S. R. C. supra relato, in quo declaratur, quod insignis Reliquia debet esse Caput, Brachium, Crus, vel pars illa, in qua passus est Martyr, & quidem integra, & non parva. Censetur autem adhuc esse integra pars, juxta citatum Quarti *part. 1. tit. 1. dub. 4.* & Lohner *instruct. 1. part. 2. n. 1.* quamvis illa (v. g. Caput) ex pluribus fragmentis constet per artificialem unionem, tamen ita conjunctis, ut non modo adsint omnia frusta, seu fragmenta, sed etiam appareat integra; integrum, v. g. Caput, Brachium, &c.

Porro si Reliquia sit de Christo Domino, Beatissima Virgine, aut alio Eminentissimo Sancto juxta Quintanadvennam apud Gobat *tract. 3. num. 683.* ea censetur esse insignis, licet sint tantum Capilli B. V. aut sint S. Annæ, vel alicujus Apostoli Olla magnitudinis palmaris: *Tunc enim*, inquit laudatus Auctor, *defectus quantitatis ab excessu qualitatis suppletur.* Verum amplectenda est sententia nostri Pasqualigi *de Sacr. sic. novæ legis tom. 1. tract. 1. quest. 261. sub num. 6.* ubi docet, defectum quantitatis Reliquia, non suppleri à qualitate Sancti, quia licet sint insignes relative ad Sanctos, non tamen sunt insignes secundum se, & consequenter nec in ordine ad recitationem Officii, & celebrationem Missæ. Quoad vero Spinam de Corona Domini nostri Jesu Christi Pasqualigi sententia non est admittenda, nam in Decreto edito die 21. Junii 1632. & dato in nostro Indice Decretorum spectantium ad Rubricas Missalis sub n. 264. declaratur, quod Spinæ de

Corona D. N. J. C. inter Reliquias insignes computantur, & speciali nota, & cultu dignæ sunt, ideoque in Terra Tarragæ, & alibi concessum postea fuit, ut posset recitari Officium, & Missa de Corona Domini, dummodo constaret Spinæ esse de dicta Corona, prout concessit eadem Congregatio in *Celsonen.* 1633. 20. Martii.

Quando dicimus, quòd in sola Ecclesia, in qua est insignis Reliquia, recitari possit Officium, non est sensus, quòd solum intra ipsam Ecclesiam recitari possit, sicut dicitur de Symbolo dicendo in Missa, sed quòd illis solis liceat recitare, qui sunt adscripti tali Ecclesie. Ita Neuser, & Gobat *tract.* 3. n. 696. *Append.* 4. *lit.* B. Plura alia ad has Reliquias pertinentia vide apud eundem Gobat n. 683. & 686.

Reliquum est, ut hîc mentionem faciamus alterius Decreti edicti die 5. Julii 1698. in *Collen.* & dati in nostro Indice sub n. 199. in quo S. R. C. iterum declaravit, quòd consuetudo triginta Annorum non habet vim ad hoc, ut continuari possit recitatio Officii de aliquo Sancto in Ecclesia, in qua servatur

ejus Corpus, nisi doceatur, an sit descriptus in Martyrologio, & constet de ejus identitate. Videri potest etiam Decretum datum in nostro Indice sub n. 259. ex quo deduci potest, quid servandum sit in aliquo casu particulari simili contento in eodem Decreto.

V. Gavant. pag. 6. col. 1. n. 12. -- *In Beatorum cultu limitate procedit.*) Verissimum est, quòd Ecclesia limitate procedit in cultu Beatorum tum quoad locum, tum quoad tempus, tum quoad Ritum celebrandi eorundem Festa, Missas, & Officia, ut videre est in Decretis editis die 27. Septembris Anno 1659. & datis in Indice Decretorum spectantium ad Rubricas Missalis sub n. 361. & seq. nec non sub n. 378. 379. & seq. Deinde liquet ex Decreto supra exposito, & dato in nostro Indice sub n. 79. declarari recitationem Officii de Beatis non esse satisfactoriam præcepti, nisi quoad illos, quibus Sedes Apostolica de hoc indulgit, ac insuper talium Beatorum nomina non esse apponenda nisi in Calendariis illius loci, & earum personarum, in quo, & à quibus cultus Beatis cum Officio, & Missa concessus est.

*Tit. III. De Intentione Officii Divini.*

*Tit. IV. De Attentione Officii Divini.*

*Tit. V. De Prolatione Officii Divini.*

*Tit. VI. De Tempore Officii Divini.*


*Tit. VII. De Loco Officii Divini.*

*Tit. VIII. De Ordine Officii Divini.*

*Tit. IX. De Interruptione Officii Divini.*

**Cap. VI. De Pœnis circa Officium Divinum.**

*Hi omnes 7. Tituli cum Cap. VI. carent novis Observat. & Additionibus, ergo hinc progredimur ad subsequent. Sect. Secundam.*



SECTIO

# SECTIO SECUNDA.

## De Præludiv Breviarv Romani.

### Novæ Observaciones, & Additiones ad Gavanti

#### Cap. I. De Titulo Breviarii Romani.

I. **G**Avant, pag. 11. col. 1. num. 1. -- *Breviarium, vox est satis antiqua &c.*) Preces vocales, quæ singulis diebus à Clero recitari debent, varia sortitæ sunt nomina apud antiquos, ut etiam adnotavit noster Gavantus *sect. 1. cap. 1.* Plerique Patres appellarunt has preces *Divinum Officium*, ex quo Deo præstare, & perolvere debemus hoc laudis Sacrificium: *Oremus, psallamus, reddamus Domino Officium, & sic ad vineam properabitis*, ait S. Hieronymus in vita S. Pacomii. Quoniam igitur Ecclesiæ oratio est debitum quoddam, atque Officium, quod Deo persolvit; hinc tale nomen sortita est. Appellatæ etiam sunt hujusmodi preces *Hora Canonica*, quia à Regulis, sive legibus Ecclesiæ, quæ Canones vocantur, præscriptæ sunt, vel potius quia statutis horis tales preces ab Ecclesiâ recitandæ sunt. Sanctus Columbanus in sua Regula *cap. 47.* prædictas preces *Cursum* appellat, & S. Gregorius Turonensis *lib. 1. de gloria Martyrum* ait, opus à se conscriptum fuisse *de Cursibus Ecclesiasticis*, quod & alio loco repetit: *Exurgente Abbate cum Monachis ad celebrandum Cursum &c.* Fortunatus quoque, quem citat etiam Gavantus supra citato loco, in vita S. Germani Parisiensis, de illo ait: *iter agens semper nudo capite Cursum recitavit.* Rursus in vita Sancti Alberti Abbatis sub medium septimi sæculi, sanctique Serenici legitur: *quotidie Romanum Cursum decantasse*; ita in sæculo secundo, & tertio Benedictino. Denique S. Bonifacius Moguntinus Episcopus Clericis suis *Epist. 17.* mandans, ut Officium horis ab Ecclesiâ statutis recitarent, eodem nomine illud appel-

lat: *speciales horas, & Cursum Ecclesiæ custodiant.* Videatur etiam Mabillon in *Dissert. de Cursu Gallicano.* Idem Divinum Officium in Regula S. Pacomii *Collida* dicitur. In compluribus Conciliis *Agenda* appellatur. In Concilio Agathensi *Can. 3.* *Missa* nomine designatum fuit, ut etiam alibi, nempe in primo Tomo nostr. *Observ. adnotavimus.* In Regula Sancti Benedicti *opus Dei* appellatur, quod propter Deum laborem illum Sanctum subeamus; & ab aliis *Pensum servitii* dictum fuit, tanquam Deo debitum ab hominibus servituti ejus devictis.

Denique idem Officium *Breviarii* appellationem acquisivit, quæ quidem nuncupatio non est antiquior Micrologo, ut notat Gavantus, qui testatur, se apud antiquiores hanc nuncupationem nondum legisse.

II. Gavant, pag. 11. col. 1. num. 2. *Significat autem compendium &c.*) Officium Divinum Breviarii nomen fortasse sortitum est, quod temporis successu idem Officium valde contractum fuerit, præsertim apud Monachos, ut notat Grancolas *Comment. historic. in Breviar. Rom. lib. 1. c. 3.* testatur siquidem, S. Benedictum ad breviorè formam redegissem præfatum Officium, cum antea totum Psalterium recitaretur quotidie à Clero, ipse vero ita rem composuit, ut semel tantum in hebdomada absolveretur. Breviarium igitur dictum est Officium Divinum, quasi *breve Horarium*, sive *Precum Epitome*, quod quidem Breviarii nomen Micrologi Avo, nempe anno 1080. pervulgatum fuit, & exinde semper usurpatum ad designandum Divinum Officium. Hinc in statutis Abbatum

tum

tum Provinciae Narbonensis anno 1222. promulgatis, sancitum est, ut *Monachi in Sacris Ordinibus constituti in longo itinere profecturi sine Breviario, vel Psalterio non mittantur, & in Spicilegio Dacheriano Tom. 6. Concilium Tholosanum anno 1229. habitum Canon. 14. Laicis usum Sanctorum librorum interdicit, praeter Psalterium, & Breviarium; Ne libros veteris Testamenti, aut novi Laici permittantur habere, nisi fuerit Psalterium, vel Breviarium pro Divinis Officiis.* Immo in Monasterio Cassinensi reperitur Breviarium ad usum Chori, quod censetur exaratum anno circiter 1100. cum hac inscriptione -- Incipit Breviarium, seu Ordo Officiorum per totam anni decursionem, ita refert Eminentissimus Card. de Lambert. in secundo volumine suorum Edictorum instruct. 4. num. 5. Hucusque dicta ostendunt nomen Breviarii libro Divinorum Officiorum appositum non fuisse, nisi post Micrologi aetatem, quia idem floruit circa ann. 1000. Quod si apud Græcos in Commentario Historico Breviarii Romani lib. 1. cap. 6. legitur, S. Augustinum Angliæ Apostolum secum in ea Insula Breviarium tulisse, non inde sequitur, quod tunc temporis prædictum nomen fuerit in usu, sed nomine Breviarii intellexit prædictus Auctor Librum Psalmorum, seu Divini Officii, cui applicuit illud nomen, quo impræsentiarum utimur.

III. Gavant. pag. 11. col. 1. num. 3. *Ufus tamen Breviarii quocunque nomine vocaretur &c.* Amalarius noni sæculi Auctor Commentarios conscripsit in Breviarium Romanum, atque post illum Rabanus, Alcuinus, Walafredus Strabo, & alii, horum postremus ait, Officii Romani originem à S. Petro repetendam esse, deinde ejusdem Officii Romani tria tempora, seu status distinguit, cui consonat etiam Durandus in Rational. lib. 5. capit. 2. pluresque alii. Primum constituunt ab Ecclesiæ exordiis, usque ad annum 420. ajuntque per ea tempora Officium Oratione Dominica, Apostolorum Symbolo, certoque

Psalmorum numero absolutum fuisse, quæ in Cleri, & Fidelium Conventibus recitabantur, ut innuere etiam videtur S. Paulus 1. Corinth. cap. 14. v. 26. illis verbis -- *Cum convenitis unusquisque vestrum, Psalmum habet, Doctrinam habet &c.*

Secundus Officii Divini status est ille, quem prædicti Scriptores asserunt evenisse post annum 420. ajunt enim, quod precum diversitas confusionem in Ecclesia pareret, & quod Hæretici Catholicorum Officium ludibrio haberent, hinc, instante Theodosio, Damasus Papam S. Hieronymo mandasse, ut Psalmorum in diei, & noctis horas distributionem institueret; hanc autem Psalmorum distributionem, necnon Lectionum digestionem ab Hieronymo factam, & à Damaso approbatam, ab universa Ecclesia receptam fuisse, sed revera hujus Officii Romani reformationis nulla habetur sufficiens probatio, nihilominus credibile non est, Strabonem, Scriptorem alioquin satis accuratum, hæc sine fundamento Scriptis consignasse; unde dicendum est, nono sæculo monumenta quædam fortasse extitisse, ex quibus conjici potuit, prædictum Pontificem S. Hieronymo imposuisse onus distribuendi Psalmos, & concinnandi Lectiones in Divinis Officiis recitandas.

Postquam Officium Div. à S. Damaso, seu potius à S. Leone, S. Gelasio, S. Gregorio Magno, Hadriano I. Greg. III. digestum fuit, & in meliorem ordinem distributum, Greg. VII. postremam illi manum imposuit, & hic dici potest tertius Officii, seu Romani Breviarii status. Officium hoc, ita à Gregorio reformatum, à Micrologo ejusdem Pontificis Auctore contemporaneo describitur; idemque Pontifex, ut in Hispania Romanum Officium reciperetur, effecit. Idque colligitur ex ejusdem Epistolis ad Sancium Aragoniæ, atque ad Alphonsum Castellæ Reges datis; idemque Simeoni, in Regnis illis Episc. per litteras mandavit. S. Gregorius Magnus cum in Angliam S. Augustinum mi-

sisset,

sisset, Romanos libros eo perferri curavit, Romanumque Officium, & alii Ritus ibi inducti fuerunt, ut constat ex Concilio Cloveshovienfi, habito anno 748. prohibente in illis Regionibus aliud Martyrologium, aliam Psalmodiam, seu Cantilenam, quam Romanam. Hairo vero, Basileensis Episcopus, in suis Statutis, anno 824. editis, Presbyteris suis Breviarii Romani recitationem commendavit *Can. 24.* præscribendo etiam, ut Horis Canonicis diu, noctuque juxta Ecclesie Romanæ morem adesse non negligerent. Denique Pipinus, Carolusque Magnus Officii Romani pulchritudine illecti id in sua Regna introducere statuerunt. Carolus Calvus verò Romano Officio hoc perhibuit testimonium: *Celebrata sunt coram nobis solennia more Hierosolymitarum, & more Constantinopolitano, & sicut in Gallia, in Italia, & Toletis Sed nos sequendam judicavimus in omnibus Romanam Ecclesiam.* Quibus verbis declaravit, se post spectatas Orationes omnes apud Græcas, & Latinas Ecclesias usurpatas, nihil ordine Romano sapientius distributum invenisse. En igitur, quibus laudibus commendatum fuit nono sæculo Breviarium Romanum, ut reliquis aliarum Ecclesiarum præponeretur.

IV. Gavant. eodem n. 3. -- *Haymo Generalis Minister Ordinis Minorum sub Gregorio IX & c.* Quamvis Breviarii, seu potius Officii Divini aliqualis contractio instituta fuerit à S. Gregorio VII. ut supra diximus, ac propterea Officium ita contractum Breviarium appellari incæperit, nihilominus aliam vicissitudinem, aliamque contractionem iterum passum est in Romana Curia Divinum Officium, corrente nempe sæculo XIII. ut Radulphus Tungrensis *de Canonum observantia proposit. 22.* refert, atque, Pontifices, cum olim in Laterano Palatio degebant, Romanum Officium in eorum Sacello haud ita absolutum, ut in aliis Ecclesiis, recitare consuevissent, quod & Pontificii Sacelli Clerici faciebant, ut negotiis suis vacare possent, ad-

*Gavant. Rubr. Brev.*

ditque Radulphus, hujus Officii ordinarium se vidisse collectum Innocentii III. tempore. Hoc Breviario usos fuisse Minores creditur, cum S. Franciscus, eorum institutor, eis mandasset, ut Divinum Officium secundum ordinem Romanæ Ecclesie peragerent. Existimantes igitur Ecclesie Romanæ morem illum esse, qui in Pontificio Sacello servabatur, & cum præterea Missionibus Apostolicis distinerentur, ideo contractum Breviarium, quod in Pontificio Sacello recitabatur, suscipere. Breviarium porro istud cum male digestum esset, Haymo, Franciscanorum Generalis, in id incubuit, ut Officium, quod Romanum dicitur, reformaret, & ad meliorem statum, mandante, & approbante Gregorio Papa IX. perduceret; idque colligitur ex Wadingo tom. 3. Annalium minorum ad annum Christi 1244. Religionis minorum 37. Nicolaus vero III. Teste laudato Radulpho mandavit, ut Breviarium prædictum in singulis Romanæ Urbis Ecclesiis adhiberetur - sciendum est, quod Nicolaus PP. III. natione Romanus de genere Ursinorum, qui cæpit anno 1277. & Palatium apud S. Petrum construxit, fecit in Eccl. Urbis amoveri Antiphonarios, gradualia, Missalia, & alios libros Officii antiquos quinquaginta, & mandavit, ut de cætero Ecclesie Urbis uterentur libris, & Breviariis Fratrum Minorum; quorum Regulam etiam confirmavit, unde hodie in Urbe Roma omnes libri sunt novi, & Franciscani hæc Radulphus, qui antècedenter dixerat, duplicem olim fuisse Romæ modum Divini Officii, ut etiam nos innuimus, unum breviorum, quo Romana Curia, seu Capella Pontificis utebatur, alterum prolixiorum pro cæteris Ecclesiis Urbis, qui proprie Ritus Romanus dicebatur; opera vero Fratrum Minorum utrumque Officium Curie, & Ecclesie in unum coaluisse, ita ut prolixiori, & proprio abrogato, omnes postea Ecclesie, excepta Lateranensi, Officium Curie usurpaverint. Sed Radulphum vel in Fratres Minores male affectum,

B

fectum,

fectum, vel deceptum fuisse, evidenter probare contendit Franciscus Pagius in *vita Nicolai III. num. 22.* ex eo, quod centum fere annis ante institutionem, & confirmationem Ordinis Minorum factam ab Honorio III. omnes Ecclesie Urbis, excepta Lateranensi, relicto Officio antiquo, quo Romana Ecclesia utebatur, novum illud Breviarium jam admisissent. Quod certo eruitur ex Petro Abaelardo, qui in Epistola Apologetica, quam scripsit adversus S. Bernardum p. 250. ait: *Antiquam Romanæ Sedis consuetudinem nec ipsa Civitas (Romana) tenet, sed sola Ecclesia Lateranensis, quæ Mater est omnium, antiquum tenet Officium, nulla filiarum suarum in hoc eam sequente, nec ipsa etiam Romani Palatii Basilica*, id est, Capella Pontificia. Si itaque Petri Abaelardi tempore, hoc est circa annum 1140. in omnibus Ecclesiis Urbis Romæ legebatur illud Officium Breviatum, quo pacto dicere potuit Radulphus, Nicolaum III. mandasse, ut *Ecclesia Urbis uterentur Libris, & Breviariis Fratrum Minorum*, cum centum, & quinquaginta circiter annis ante Nicolaum III. Officium illud breviatum, quod, ut idem Radulphus asserit, *seculi sunt Fratres Minores*, in omnibus Romanæ Urbis Ecclesiis, excepta Lateranensi, legeretur, quod aliquo modo fatetur ipsemet Radulphus, dum ait, se vidisse *Roma hujus Officii ordinarium a tempore Innocentii III. recollectum*, ideoque ante Fratres Minores. Hæc omnia Franciscus Pagius, qui alia subdit in vindicando suo ordine Franciscano a Radulphi querimoniis. Verum cum ipsemet Wadingus loco supra citato fateatur, Breviarium ab Haymone correctum jussu Gregorii IX. eò auctoritatis pervenisse, ut in ordinarium S. R. E. Ritum transiverit præcipiente Nicolao III. Idque probante Wadingo supra adducta auctoritate Radulphi Tungrensis, mihi videtur sustineri posse, Nicolaum III. præscripsisse omnibus Ecclesiis, in quibus jam introducta erat recitatio Officii contracti, sed male digesti, celebrationem ejusdem Officii, & usum alio-

rum librorum, sed juxta emendationem, & correctionem factam ab Haymone Franciscanorum Generali, & a Gregorio IX. approbatam.

Breviarium Romanum modo supradicto à Fratribus Minoribus contractum, seu potius recognitum, & correctum, brevius adhuc redditum fuit hortatu Clementis VII. à Francisco Quignonio, Cardinali S. Crucis, & inscriptum est hoc Titulo --- Breviarium Romanum ex Sacra potissimum scriptura, & probatis Sanctorum historiis &c. -- Prædictum Breviarium editum reperio prius Romæ Anno 1536. deinde Venetiis 1537. Typis Lucæ Antonii Junctæ in 8. & iterum Venetiis 1546. in officina ad signum Agnus Dei pariter in 8. & denique iterum Venetiis 1563. apud hæredes Lucæ Antonii Junctæ, quæ quidem editiones Venetæ asservantur in nostra Bibliotheca S. Silvestri de Urbe in Quirinali. Quamvis hoc Breviarium, regnante Clemente VII. confectum fuerit nihilominus non nisi sub Pontificatu Pauli III. fuit promulgatum, & non solum Romæ & Venetiis, ut mox exposuimus, sed etiam Lugduni, & Parisiis, & quidem pluries, editum fuit, ut infra dicemus. In hoc Breviario perlegebatur totum Psalterium singulis hebdomadis, terni Psalmi singulis horis Canonicis, unius longitudine cum alterius brevitate sic compensata, ut labor legendi diurnus par propemodum fuerit omnibus diebus, sive de Feria, sive de Festo recitaretur Officium. Rursus in eodem Breviario Veteris Testamenti magna, & utilissima pars, totum verò novum, præter partem Apocalypsis in toto anno legebatur. In eodem Breviario semiduplicibus expunctis sola dupplicium, ac simplicium distinctio servabatur, quorum inter se discrimen in hoc maxime positum erat, quod illa duas, pridie videlicet, atque ipso die; ista verò unas dumtaxat ipso die Vesperas haberent. Nulla in eodem Breviario reperiuntur Capitula, nulla Responsoria, nulli versiculi, non quia hæc supervacanea, aut in-

uci-

utilia viderentur (augent enim, ut fatetur Auctor ejusdem Breviarii in sua Præfatione, pietatem, & sunt Scripturæ Sacræ particula) sed quoniam cum introducta sint ad Cantus potissimum modulandos, & legentes sæpe morentur cum molestia recitandi, idcirco hæc prætermitti satius judicavit Quignonius, contentus Lectione Scripturæ Sacræ, quæ, ait ipse, magis facit ad pietatem, atque doctrinam privatim legentium, quorum hæc quidem in parte majorem rationem habere voluit, quam concinentium. Denique desideratur in hoc Breviario Officium parvum B. V. in aliis Breviariis usitatum, cujus omissione non minuitur ejusdem Virginis honor, ait Quignonius: Nam paucis Festis exceptis, quotidie variis Commemorationibus adoratur, & obsecratur: Atque ejus memoria multis dicatis eidem Festis, & Octavis pro cuiusque ratione celebrantur, ipsique solitum Officium tribuitur Sabbatis ferè omnibus, præterquam in Quadragesima.

De hoc Breviario Quignoniano specialem mentionem facit Riccardus Simon in primo Tomo suarum Epistolarum Selectarum Epist. 27. data sub die 4. Januarii 1685. aitque, hujusmodi Breviarium a Facultate Parisiensi primum fuisse rejectum, & se legisse in Regestis ejusdem Facultatis censuram ab eadem factam anno 1535. quæ est sub hoc Titulo Notæ Censurariæ S. Facultatis in Sacrum Quignonii Breviarium. In qua quidem censura adnotatum fuit discrimen, quod reperitur inter hoc, & antiqua Breviaria, sequentibus præcisus verbis. Cum autem hæc usque adeo salutaria Ecclesiæ instituta in Ecclesiasticis Officiis a primordio fermè Ecclesiæ ad hæc usque tempora servata fuerint, mirum, quonam pacto is, qui novum hoc Breviarium edidit, hæc omnia rejiciat, ac rejicienda decernat, tanquam, ut inquit, nec ad pietatem, nec ad cognitionem Sacræ Scripturæ, magnopere conducant . . . . parum quoque sapere lobrie visus est hujusmodi Scriptor, dum suam unius sententiam

antiquis Patrum decretis Communi & approbato usui, ac Ecclesiæ authenticis Historiis minime erubuit præferre; proinde ut quam periculosa sit, nec ferenda hujusmodi Breviarii editio, cognoscant omnes, operæ pretium est ostendere. Ex quibus liquet, Theologos Parisienses non approbasse impressionem hujus Breviarii, & in eadem Censura subnectunt alia argumenta suppressimendi eundem compendiarium cursum divini Officii. Sleidanus, Auctor Lutheranus, lib. 9. Confiscus prædictæ censuræ, audeat asserit, à Theologis Parisiensibus Quignonianum Breviarium tanquam Hæreticum fuisse proscriptum, sed impudentissimè loquitur, cum ex censura supradicta satis constet, non tanquam hæreticum, sed ob alia motiva Facultatem Parisiensem non approbasse dictum Breviarium, & equidem paucis post annis, & alio adhibito examine ejusdem Breviarii eadem Facultas mutavit sententiam, permittebatque anno 1540. novam editionem dicti Breviarii, quæ Lugduni secuta fuit, & facta legitur cum privilegio summi Pontificis, & Galliarum Regis sine approbatione tamen Inquisitoris Orii, & Doctorum Sorbonensium. Deinde de anno 1552. iterum idem Breviarium prodiit Lugduni Typis Teob. Pagani cum Regio privilegio, & accedente correctione, & examine Matthæi Orii Doctoris Theologi, & Inquisitoris Generalis, & cum approbatione Facultatis Sorboniæ juxta normam illorum temporum. Apud eundem Pagani impressum jam fuerat idem Breviarium de anno 1547. & 1548. ibidem Lugduni pariter editum fuerat apud hæredes Blasii Guidonis de anno 1557. & de anno 1544. in fol. Typis Bald. Arnoullet. Parisiis verò anno 1542. Typis Ambros. Graud. in 4. & rursus ibidem typis Francisci Maguet in 8. majori, anno verò 1545. typis Thiel Kervel in 12. Ejusdem Breviarii usus quadraginta circiter annorum spatio perseveravit, nimirum à Paulo III. usque ad S. Pium V. Pontificem maximum, nunquam tamen

præcepta fuit, sed solum permiffa hujufce Breviarii recitatio.

V. Gavant. pag. 11. col. 1. n. 4. *Restitutum dicitur Decreto Concilii Tridentini, editum autem à Pio V.* Quamvis Breviarium Quignonianum ab aliquibus fuerit admiffum, non omnes tamen Ecclefia, neque Regulares Ordines eo utebantur; multi enim Dicecefeon fuarum peculiaria Breviaria adhibebant, & nonnulli alii prifcum Romanum recitabant. Hujusmodi erant noftræ Congregationis Patres, qui, ut refert Antonius Caracciolus in notis ad noftras Constitutiones, feu in Synopfi Veterum Religioforum Rituum *part. 1. ad Caput 1. n. 11* nunquam Quignoni illud breviffimum Officium, quamvis licuiffet, recitarunt; porro tanti fecit Clemens VII. Joannis Petri Carafæ, & Cajetani Thienæi, aliorumque noftrorum Patrum Sacrorum Rituum eruditionem, & in divino cultu exquisitiffimam diligentiam, ut anno Chrifti 1529. iisdem per literas Apoftolicas, quas refert Historicus nofter Jofeph Silos *part. 1. pag. 95.* concesserit, ut Miffas, & Divina Officia ipforum, ac præcipue Carafæ industria ad meliorem formam compofita per annum publice experiri, atque in Choro recitare liceret; eaque noftrorum Patrum experimento probata, exacteque recognita poffet postmodum fedes Apoftolica publico Ecclefiarum ufui tradere. Quod & fecit: Nam jam dictum Miffale, & Breviarium, quod noftri Seniores ediderant, ad Concilium Tridentinum primò delatum est: Inde verò quòd Concilii PP. graviffimis aliis occupationibus, & negotiis diftenti, Sacris Ritibus, Officiisque recognoscendis vacare non poffent, cura ejusmodi ad Summum Pontificem rediit; itaque Pius V. noftrorum Patrum correctionibus, & commentationibus valde approbatis, & Bernardini, Scoti, Cardinalis Tranenfis, ac Thomæ Golduelli, Epifcopi Afafenfis, Præfulum è noftra Ordine insignium, opera, atque eruditione ad hanc rem perficiendam adhibita, Miffalem

librum, & Breviarium Sacrarum precum ad prifinum decorem, gravitatemque reftitutum, ac methodo certiore difpofitum, ufui Ecclefiarum Chriftiani Orbis feliciter tradidit, ut liquet ex ejus Bulla Breviario Romano præfixa. Prædicta omnia tradit laudatus Caracciolus loco citato, & fufius narrat in vita Pauli IV. Noftri Ordinis conditoris ab eodem diligenter digefta, fed nondum prelo commiffa: Eadem pariter refert Chronologus nofter fupra citatus, qui addit, perdifficile hoc negotium ad auctoritatem, judiciumque Romani Pontificis post Concilium Tridentinum iterum relatum, tandem faufte abfolutum à Pio V. qui in iis, quas in Romani Breviarii fronte literas affixit, fe, & antecessores fuos a Paulo IV. Exemplar, ac pofthumas ejus curas testator fecutos quam studiosiffime fuiffe, neque ab hac mente Tridentinorum PP. propofitum discrepaffe iis verbis -- *Patres in illa falutari reformatione à Concilio Conftituta Breviarium ex ipfa Pauli IV. Ratione reftituere cogitarunt.* Suftulit itaque Sanctus Pontifex Pius V. graviffimis ductus rationibus, ac potiffimum, ne in materia Divini Cultus quidquam innovaretur; ufum Breviarii Quignoniani, quod à præcedentibus Pontificibus Clemente VII. & Paulo III. erat quidem approbatum, fed non generatim, videlicet pro Ecclefiasticis in faculo degentibus dumtaxat, ac dummodo fpecialem finguli fuper hoc ab Apoftolica fede facultatem haberent, ut testatur Ludovicus Donius d' Attichis tom. 3. Florum Hiftoriæ Sacri Collegii ad annum Chrifti 1527. n. 14. ubi fubneçtit, quod fi ufum hujufce Breviarii abrogavit Pius PP. non propterea Quignoni intentionem damnavit, immo meritus est unusquisque laudem fuam apud Deum & homines tam Pontifex, quam Cardinalis, qui nunquam cogitavit inventum ullum novum in Ecclefiam inducere, nifi approbantibus, & annuentibus summis Pontificibus, quorum cenfura omnia fua dicta, fcriptaque perpetuò fubjecit, unde ad calcem Præfa-

tionis, quam Breviarii sui fronti præfixit, Paulum PP. III. Cui eam direxit, sic affatus est -- *Habes Pater SS. instituti nostri rationem, habes formulam Breviarii superest, ut si tibi res, quemadmodum speramus, non improbabatur, ipse quoque saveas inceptis nostris, & labori publicæ commoditatis gratia suscepto.*

De hujus Breviarii suppressione sermonem etiam habet Ciacconius in vita Clementis VII. qui Quignonium PP. Franciscanorum

Generalem Sacro Collegio adscripsit; de quo communiter Cardinali S. Crucis in Hierusalem nuncupato, commendabilem etiam mentionem faciunt Onuphrius in Clemente VII. Marcus Ulissiponenſis Episcopus Portuensis, seu potius Portugallensis sub Archiepiscopatu Bracharenſi *Part. 3. Chronicor. Ord. Seraphici l. 8. cap. 11. & 47.* Bzovius ad annum 1526. & 1527. Spondanus ad annum 1527. Wadingus Laudatissimus scriptor, Ordinis Minorum.

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Cap. II. De Bulla Pii V. & De Usu Breviarii Romani.

I. Gavant. pag. 11. col. 2. num. 2. *Enarrat ea, quæ in hac re præstiterit Paulus, & Pius nomine quarti &c.* In brevi historia, quam supra tradidimus Breviarii Romani a Pio V. reformati, & recogniti nonnulla enarravimus circa ea, quæ præstitit Paulus IV. Congregationis nostræ Institutor, unde ne eadem repetamus, nunc prætermittimus.

II. Gavant. pag. 11. col. 2. num. 3. *Aboluit omnino Breviarium à Cardinali S. Crucis compositum &c.* De hoc Breviario à Cardinali Quignonio composito, & à S. Pio V. proſcripto factis locuti sumus supra, & idcirco ad alia addenda nunc progredimur.

III. Gavant. pag. 12. col. 1. num. 15. *Non potest amplius omiſſum repeti &c.* Ubi omiſſo proprio Breviario, receptum est illud Sancti Pii V. non solum ex ſententia Suarez non potest amplius omiſſum repeti, sed etiam ex Decreto S. R. C. edito die 15. Martii 1608. & dato in nostro Indice sub num. 31. in quo declaratur, quod usus Missalis, & Breviarii Romani semel introductus in Ecclesia, quæ habebat particulare Missale, & Breviarium, confirmandus est, nec licet redire ad usum Antiqui Missalis, & Breviarii.

IV. Gavant. pag. 12. col. 2. num. 24. *Et hic est sensus eorum verborum Decreti &c.* Decretum, quod affertur hic à Gavanto, datur in nostro Indice sub num. 58. quod quidem

Decretum eandem prorsus vim habet, ac ipsa Bulla Pontificia, & Breviarii Rubrica, tum quia est à S. R. C. editum, & ejus observantia omnibus striçte præscripta, tum quia idem Decretum laudavit, & approbavit Urban. VIII. & ab omnibus sub pœnis Constitutionis Pii V. ubique respectively servari præcepit, novisque Breviariis imprimendis præfigi mandavit.

Præfati autem Decreti obligatio se extendit ad omnes Ordinarios tam Sæculares, quam Regulares, quo nomine cum Episcopi comprehendantur, multo magis qui iis sunt inferiores, nimirum Abbates, Decani, Præpositi, cæterique Ecclesiarum Præfides. Rursus etiam Capitula, & Monasteria à Jurisdictione Ordinariorum exempta. Dispositio tamen allegati Decreti sic accipienda est, ut non afficiat eos, qui Romano usui adstricti non sunt, nam qui ex Bulla Pii V. suo adhuc proprio Breviario gaudent, neque hoc Decreto urgentur juxta Sententiam Guyeti *lib. 1. cap. 2. quest. 3.* quia cum accessorium sequatur naturam principalis, illi, qui ad principalem non obstringuntur, neque ad accessorium tenentur; ita Guyet. Sed si ex vi hujus Decreti non obligantur prædicti ad servanda ea, quæ ibi statuuntur, ex aliis tamen Ecclesiæ statutis, & Canonibus eadem profecto præstare debent, cum non nisi au-

toritate Sedis Apostolicæ interveniente possint addi Calendariis nova Sanctorum Officia, & mutari eorundem Ritus: ita etiam de Sanctis Episcopis locorum Martyribus, Civibus, & aliis Festis, de quibus in Calendario Romano, seu Rubricis Breviarii nihil habetur, ut etiam de Beatis non Canonizatis nihil propria auctoritate statuere debent Ordinarii locorum, sed omnino consulenda est S. R. C.

V. Gavant. pag. 13. col. 1. n. 26. -- *Neque quia ille Sanctus Archiepiscopus loci, vel Titularis Ecclesie Matricis, &c.* Quomodo Clerus debeat celebrare Officium Sancti Titularis Ecclesie Matricis, tractabimus infra *sect. 2. cap. 11. num. 19.*

VI. Gavant. eodem n. 26. -- *Neque eo quia communicationem habet unus Ordo privilegiorum alterius Ordinis, &c.* Hæc Gavanti sententia, quod communicatio privilegiorum, quam habent Ordines Regulares, non extendi debeat ad Officia, seu Festa Sanctorum, confirmata fuit nonnullis Decretis editis a S. R. C. quæ data sunt in nostro Indice sub n. 102. 107. 238.

VII. Gavant. pag. 13. col. 2. n. 27. --- *Concessit retineri Festa Sanctorum in locis propriis, non autem quacunque Festa, sed solemniter celebrata, &c.* Tuetur hic Gavantus suam sententiam de Festis Sanctorum illorum, quæ consueverunt celebrari in aliquibus locis propriis, nimirum quod S. Pius V. in sua Bulla abrogavit omnia hujusmodi Festa, & solùm continuari permisit illa, quæ solemniter solebant celebrari. Quæ autem talia recensenda sint, declarat postmodum num. 29. Hoc verò ideo sic adstruit, quia, inquit, alioquin Pius Quintus sibi esset contrarius, si in Rubricis concederet consuetudines, quas abrogavit in Bulla, unde càm in Rubricis *tit. 1. n. 1. tit. 2. n. 1.* & alibi concedantur tantùm consuetudines Festorum, quæ consueverunt celebrari *solemniter, vel solemnitus*; hinc infert, cætera Festa non solemnita per Bullam Pii V. abrogata fuisse. Sed

Guyetus *lib. 1. cap. 13. quest. 2.* miratur, tantum virum in tam levi talebra, vel minimum hæstasse. Quasi idem sint consuetudines, quas in Bulla Pontifex abrogat, & Festa celebrari consueta, quæ per citatas Rubricas concedit. Abrogat quidem Pontifex, ut ipsemet loquitur in Bulla: *Omnes, & quascunque Apostolicas, & alias permissiones, ac consuetudines, statuta, privilegia, licentias, & indulgentia precandi, & psallendi more, & Ritu Breviarii sic suppressorum*, videlicet Quignoni, & Propriorum, quæ sibi quemque ferè Episcopatum confecisse conqueritur; at hic loquendi modus non est abrogare Festa in qualibet Ecclesia, usu aliunde legitimo, recepta, sed est abrogare Ritus, & modum prædicta Festa celebrandi à Romano Breviario alienum, qualis est recitandi in Matutino, ac Vesperis tres tantum Psalmos, non duplicandi Antiphonas, omittendi Responsorialia, &c. Distinguere igitur debemus Ritus à Festo, & considerare Festum tanquam materiam, Ritus verò tanquam formam, hanc abrogavit quidem Pontifex, non verò illam, ita ut si Festa illa celebrentur, non amplius juxta Ritus, & modum prædictorum Breviarii, sed ut diserte habet *Rubr. 1. n. 1. servata forma Breviarii*, scilicet Romani, quidquam prorsus contra Bullam fieri, nemo jure exprobrat. Qua explicatione plana, ac facili quisque videt nedum sibi invicem repugnare Bullam, ac Rubricas, ut potius harum, & illius maxima sit convenientia. Hæc Guyetus *loc. cit.* qui insuper addit, quod hanc explicationem ipsemet Gavantus non potest non admittere, quia *sect. 10. cap. 2.* sic loquitur: *Proprios mores unaquaque habet Ecclesia, & laudabiles consuetudines, quas non tolli à Cæremoniali Romano, neque à Rubricis Breviarii sapius declaravit S. R. C.*

Quòd autem vim facit Gavantus in illo adverbio *solemniter, vel solemnitus* (ait Guyetus) leve est, immò nullum, tum quia, ut ipsemet sibi objicit, *Rubrica 5. n. 1.* præcise habetur *consuetum celebrari, & Rubrica 7. n. 4.*

consuevit celebrare, sine prædicto adverbio, *solemniter*; tum quia vox illa *solemniter* non eo sensu accipitur, quem ipse subjicit, sed alio ad mentem ipsius minime faciente, immò refragante potius, quem sensum sequenti *quest. 3.* discutit idem Guyetus, & resolvit, quòd *solemne* dicitur Festum id, quod statò die solet in Anno celebrari, sic ut nunquam omittatur, qualia sunt Festa omnia duplicia, ac semiduplicia, de quibus fit semper Officium, sive proprio die, nimirum eo, quo signantur in Calendario, sive alio consequenti, si quando ea transferri contingat. Quæ autem firmiter stant in suo die, ac minus facile ab eo dimoventur, solemniora sunt, hincque fortasse ortum habet Classium distinctio, ut alia sint primæ, alia secundæ Classis, &c. simplicia verò Festa cum non semper habeant Officium, sed plerumque impedita omitantur, proprie solemniora nec sunt, nec dici debent. Et revera in Rubricis nusquam vox illa *solemnis*, aut *solemnitas* in causa ipsorum impenditur, ut patet ex *Rubrica 11. de concurrentia Officii n. 2. & seq.* Hæc, & alia affert Guyetus ad comprobendam suam sententiam, & tandem concludit, prædicta omnia intelligenda esse, modo consuetudo celebrandi prædicta Festa aliunde sit legitima. Præfati Guyeti sententia confirmari potest ex quo in Calendario Ambrosiano Festa duplicia significantur hoc verbo *solemne*. Rursus etiam ex, quo ipsemet Gavantus *sect. 3. cap. 3.* affert auctoritatem Breviarii Venetiis editi Anno 1550. in quo Festum *semiduplex* vocatur *solemne*; & equidem Constitutiones Synodales Ecclesiæ Patriarchalis Venetiarum statuerunt solemnitates Sanctorum habentium Ecclesias in Civitate, & Diocæsi Venetiarum debere ab omnibus celebrari solemniter cum Officio novem Lectionum; en igitur verbum *solemne*, & *solemniter* usurpatum etiam pro significando Festo semiduplici, tale autem Decretum Synodale fuit firmatum auctoritate Sedis Apostolicæ, ut innuitur in Calendario Venetiis edito 1669.

Hæc omnia dicta sunt ad magis, magisque comprobendam opinionem Guyeti.

Hic Auctor procedit in quæstione subsequente ad examinandum, quæ consuetudo celebrandi Festa cenferi debeat legitima, & resolvit, imprimis requiri, ut Festum ejusmodi sit de Sancto canonizato, nimirum Canonizatione formali, vel æquivalenti, aut de mysterio ab Ecclesia recepto, & approbato, unde si introducta esset alicubi consuetudo celebrandi Festum Sancti alicujus, qui nunquam extiterit, aut qui ab Ecclesia receptus non sit, vel etiam celebraretur Festum mysterii alicujus inusitati, ac dubii, tunc talis consuetudo esset penitus tollenda, utpote prava, & absurda, veritatique ipsi, ac Summorum Pontificum Decretis repugnans. Secundò requiritur, ut ejusmodi consuetudo sit introducta ante Bullam Pii V. seu ante receptionem illius respectu illarum Ecclesiarum, quæ suo antiquo Breviario legitimo primùm usæ, Romanum deinceps admiserunt, sed non requiritur, quòd talis consuetudo sit legitime præscripta ex eo quòd non sit contra legem usu receptam, siquidem lex id prohibens nondum condita, aut nondum recepta erat, quando ea consuetudo inducta est, ut supponitur, sed est tantum præter legem, quæ præscriptione non indiget. Nam quòd jure Canonico requiritur spatium quadraginta Annorum, & decem jure Civili, ad hoc ut consuetudo valeat, hoc intelligendum est ad abrogandam legem contrariam, non autem ad hoc ut ipsamet consuetudo in usum inducatur, & inducta currat; præsertim si lex, inducta jam consuetudine, superveniens, eam minime abroget. Lex autem Brev. Rom. nedum abrogat Festa in propriis locis celebrari consueta, ut ea etiam expresse confirmet: ergo & ipsa præscriptione non indigent, ita Guyet. loc. cit. Cui quidem Guyeti sententiæ non leve robur accedit ex Decreto S. R. C. edito die 27. Novembris 1632. in *Conversana*, pro Officio S. Onuphrii ibidem intermisso in hunc mo-

modum statuendo -- Si dictum Festum ante Bullam Pii V. celebrabatur cum Officio, & Missa, potest continuari, si verò introductum est post Bullam, nullo modo permittendum est -- Quod Decretum reperitur in Rubricis Breviarii Minorum Observantium n. 66. & datur in nostro Indice sub n. 76. ubi pariter antea habetur, quòd pro Sanctis Canonizatis, vel Beatificatis, aut in Martyrologio Romano descriptis, seu Officiis tunc, aut postmodum de Sedis Apostolica benignitate, & auctoritate decoratis, consuetudo longi temporis (id est, centum Annorum) non requiritur. Ex quibus confirmari videtur utraque Guyeti opinio tam de Festis non abrogatis per Bullam S. Pii V. quàm de consuetudine inducta celebrandi talia Festa ante prædictam suam Bullam.

Prætermittere non debeo, quòd ante Guyetum tenebat prædictas sententias etiam noster P. Quarti in suis Commentariis ad Rubricas Missalis *part. 1. tit. 1. dub. 6.* ubi docet, posse utique celebrari Officium, & consequenter Missam de Sancto non descripto in Calendario, etiam sub Ritu duplici, & primæ Classis in illis Ecclesiis, quæ de aliquo Sancto consueverunt solemniter celebrare, vel sub alio Ritu inferiori, juxta consuetudinem introductam, servata tamen omnino forma, seu norma tam Missalis, quàm Breviarii præscripta a Pio V. quotiescumque enim adest consuetudo legitimè introducta, ex. gr. per decem Annos, ait ipse, ante Bullam Pii V. verificatur conditio in Rubricis requisita ad hunc effectum. Sufficere autem decem Annos ad consuetudinem legitimè inducendam, ipse pro certo habet, cum id doceant etiam Suarez de *Legibus lib. 7. cap. 15.* Layman de *Legibus cap. 24.* Lessius *lib. 2. de Just. cap. 6. dub. 14. n. 46.*

Id quod in Decreto edito die 28. Octobris 1628. & dato in nostro Indice sub n. 66. statutum est, nimirum: *Officia de Episcopis Sanctis locorum posse continuari de Communi, si constaret, illos fuisse Canonizatos, vel per tem-*

*pus immemorabile celebratum fuisset de illis Officium, & Missa;* videtur utique exigere consuetudinem centum Annorum pro Sanctis non formaliter Canonizatis, ad hoc ut possit continuari de illis Officium de Communi; sed cum Decretum a nobis supra allegatum sit posterius, & non requirat tempus centum Annorum etiam pro Sanctis tantum æquivalenter Canonizatis, nempe in Martyrologio Romano descriptis, & ab Ecclesia universali receptis; hinc fit, quòd dispositioni hujus posterioris Decreti pollumus circa ullum scrupulum in hære.

Ex quo tamen in præfato priori Decreto conceditur de Episcopis Sanctis locorum, &c. Officium de Communi, sequitur, quòd Ecclesiæ, quæ Breviarium proprium habebant ducentis Annis haud antiquius, relatè ad tempus Bullæ Pii V. non potuerunt de prædictis, neque de ullo alio Sancto retinere Officia antiqua sua propria absque Sedis Apostolicæ approbatione, ut diserte asserit Gavantus hoc cap. 2. n. 23. clara enim sunt, & expressa Pontificis verba revocantis omnes *permissiones, consuetudines, statuta, privilegia, licentias, & indulta precandi, & psallendi more, ac Ritu Breviariorum illorum, quæ supprimit,* unde fit, quòd de Sanctis, quorum habebant consuetudinem celebrandi Festum, & Officium, non possint amplius uti Officio proprio, sed debeant recitare de Communi, & juxta Ritum Breviarii à Pio V. recogniti, & reformati, ut supra innuimus.

Ecclesiæ verò illæ, quæ propria Breviaria olim habuere per Bullam Pii V. minime abrogata, utpote ducentis Annis antiquiora, sed iis sponte relictis Romanum deinceps assumpsere (quod liberum reliquit ipsemet Pius V. possunt antiqua suorum Festorum propria Officia, sive integra, quæ nulla egent castigatione, sive emendata retinere, juxta sententiam Layman asserentis, Officia suspitione falsi carentia antehac recitari consueta, approbatione Sedis Apostolicæ opus non habere, cui sententiæ ad stipulatur etiam

Guye-

Guyetus allegando præfatum Auctorem lib. 3. cap. 1. q. 8. §. Secundo, qui addit, quòd si hoc tantum dicat Rodericus, & de dictis Breviariis antiquis loquatur, ubi sermonem habet de Officiis Regularium, nec ad nova insuper extendat, eidem Auctori non refragatur: ad id autem sustinendum movetur Guyetus, quia cum Bulla Pii V. quando lata fuit, Ecclesias illas, & Ordines Regularium sua obligatione minime obstrinxerit, immò eas Ecclesias, & Ordines Regularium exemerit, neque etiam eorundem Officia propria tunc abrogasse ullatenus censendum est; adeoque perseverarunt ejusmodi Officia tanquam legitima, riteque approbata, quamdiu stetit vetus Ordinum, & Ecclesiarum illarum Breviarium ducentis Annis antiquius. Neque per spontaneam postea assumptionem Breviarii Romani; exciderunt prædicta illa Officia à sua prisca approbatione. Hæc, & alia Guyetus ibi, cui tamen non ita libenter adhæreo, quoad talia Officia propria retinenda, postquam assumptum fuit à prædictis Ecclesiis, vel Ordinibus Regularium Breviarium Romanum.

VIII. Gavant. pag. 13. col. 2. num. 29. *Respectu Cleri secularis significat Festivitate cum pompa exteriori &c.* Explicat huc Gavantus, quid sit celebrare Festum cum sollemnitate, cum supra sustinuerit, non fuisse abrogata Festa illa, quæ sollemniter celebrabantur. Et ait, respectu Cleri secularis significare Festivitatem, aut Populi, aut Cleri cum pompa exteriori &c. Citatque pro sua opinione declarationem Sacræ Congregationis editam die 28. Augusti 1628. quæ cum afferatur, & allegetur à prædicto Gavanto, de ejusdem authenticitate dubitandum non videtur; nihilominus facta diligentiperquisitione in Sacræ Congregationis Registro, tale Decretum reperiri non potuit. Guyetus supracitatus *quest. 3.* non acquiescit Gavanti doctrinæ, & sustinet juxta suam sententiam supra expositam, posteriorem illum sollemnitatis modum à Gavanto descriptum.

GAVANTI. Rubr. Brev.

nempe Apparatum, concursum Populi, Processionem &c. Supponere absolute priorem: Ideò enim talis apparatus impenditur ejusmodi Festo, quòd sit v.g. duplex majus, vel minus, aut primæ, vel secundæ Classis &c. Non è contra, ideò est primæ, vel secundæ Classis, quia ei talis apparatus impenditur; ergo prius est, ipsum Festum esse tale, vel tale duplex, quam gauderet tali, vel tali apparatu; hinc fit, ut in majoribus Ecclesiis rectè ordinatis, tot sint diversi ritus apparatus illius exterioris, quot diversa Festorum genera; adeò ut unicuique Festo suus apparatus adhibeatur, prout qualitate magis, aut minus excellit; putà si est primæ Classis, tot Campanæ pulsanda, tot cerei accendendi, tot Cappæ induenda &c. Juxta cujusque Ecclesiæ usum, ac consuetudinem; si secundæ Classis, pauciores, & sic consequenter. Ex quo patet, qualitatem Officii, in qua consistit prior illa sollemnitas, esse mensuram, & veluti radicem posterioris, quæ in apparatu exteriori collocatur, adeoque non ex hac, sed ex illa primùm attendendam esse rationem Festorum propriorum, quæ à quibusvis locis, & Ecclesiis consueverunt celebrari. Procedit ulterius laudatus Guyetus ad comprobandam hanc suam explicationem validioribus rationum momentis, ex quibus tandem concludit, & confirmat suam sententiam supra expositam, verba illa Rubricæ primæ, & secundæ *Consueverunt sollemni ex celebrari*, de priori sollemnitate modo esse accipienda, ut scilicet velint Festa, quæ olim consueverant celebrari sollemniter, hoc est, stato per singulos annos die, & Officio, quod nunquam omittebatur, & non cum simplici commemoratione ipsa eadem adhuc fieri eo Ritu novo, qui veteri propius respondeat. Qui sensus omnino conformis est ei, qui *Cap. Consilium de celebrat. Miss.* statuitur, in Missis votivis non debere dici Hymnum Angelicum, nec Symbolum, *ut sit*, inquit Innocentius III. *inter commemorationem, & sollemnitatem differ-*

*differencia*, ubivides, sollempnitatem, id est, Festivum Officium hoc nomine contradistinctum à Commemoratione, id est, ab Officio simplici. Hæc omnia ex Guyeto, apud quem alia videri possunt congruentia ad hanc materiam.

IX. Gavant. pag. 13. col. 2. n. 30. -- *De omnibus canonizatis non fit Officium &c.* Verissimum est, quod quamvis Pontifices in Bullis Canonizationum concedant, quod de Sancto illo Canonizato recitetur Officium, & Missa, intelligendi tamen sunt Pontifices quoad habilitatem, non quoad actum; declarant enim, esse talem, ut possit ipsi Sancto Canonizato talis honor, & cultus deferri, idque patet ex ipsa praxi, & observantia, non enim statim ac aliquis est Sanctorum Catalogo adscriptus, liberum est cuilibet, Festum ejus inducere, Officium de eo Recitando, nisi tantum iis in locis, in quibus ipsum Patronum esse, vel Titularem alicujus Ecclesie contingeret, more aliorum Sanctorum, ut optime docet Gavantus hic, cui adstipulatur etiam Guyetus *lib. 1. cap. 5. quest. 7.* nec non Pasqualigus de Sacrif. novæ legis *Tom. 1. tract. 1. quest. 68. n. 5.* & ibidem *quest. 269. n. 6. & 7.*

Lubet hoc loco tradere opinionem Castaldi circa Festum Canonizationis quomodo sit celebrandum, *lib. 3. sect. 12. cap. 4. n. 16.* ita scribit præfatus Auctor -- Cum primum, juxta Ecclesiasticos Ritus à Romano Pontifice aliquis in Sanctorum numerum fuerit relatus, præter sollempnem festivitatem, quæ ei in propria Ecclesia debetur, die natalis ejusdem, Canonizationis Festum sollempniter celebrari consuevit cum Processione, in qua defertur Vexillum cum imagine Sancti Canonizati, & Reliquiis, procedendo ordine supra *lib. 2. sect. 10. c. 4.* præscripto. Officium erit sollempne primæ Classis cum Octava desumptum ex Communi juxta gradum, & dignitatem Sancti, & in Oratione (nisi propria à Sede Apostolica assignetur) loco *Natalitia* dicetur: *cujus Canonizationem coli-*

*mus*: ipsius etiam laudes virtutum, ac miraculorum à Concionatoribus ad id electis, annunciantur, quo Sancti cognitis meritis pro affectu omnes ad venerationem, ac singuli ad ejus imploranda suffragia excitentur -- Ita Castaldus, qui subnectit sequentia ibidem -- Eadem respective observari poterunt in particularibus Ecclesiis, cum alicujus beatificatio sollempniter celebratur -- Hæc Castaldus. Quæ tamen, ut optime notat Halden *par. 3. tit. ult. v. Canonizatio*, intelligenda sunt cum proportione, & nisi aliter in Decreto Beatificationis à Sede Apostolica ordinetur, aut præscribatur. Prædictam Castaldi sententiam de Festo Canonizationis alicujus Sancti recentis Canonizati admittere videtur laudatus Halden. Et cum in Decreto emanato die 9. Decembris 1628. in *Giennen.* dato in nostro Indice num. 67. habeatur -- De Sancto Canonizato non potest fieri Officium extra propriam Ecclesiam sine novo Decreto -- Eruitur, quod de tali Sancto recens Canonizato possit celebrari Officium cum Missa in illa Ecclesia, in qua fit Festum sollempne suæ Canonizationis, prout censuit Castaldus, & prout est praxis Ecclesiarum in alma Urbe. Hæc Castaldi opinio, necnon communis praxis confirmatur pariter auctoritate Decreti editi 8. Apr. 1628. in quo ad dubium n. 6. excitatum, super Decretum contra abusus, responsum fuit: nullatenus in Anniversario Beatificationis, seu Canonizationis debere celebrari Festum cum Officio, nisi in illa tantum die Canonizationis, vel Beatificationis, & eo modo, quo concesserit S. C. Ex quibus Decreti verbis dati num. 66. in nostro Indice, arguitur, communiter admittam esse Castaldi doctrinam, & ad praxim deductam in illis Ecclesiis, in quibus celebratur sollempniter Festum Canonizationis alicujus Sancti recentis Canonizati.

Huic opinioni non acquiescit Guyetus *lib. 1. cap. 9. quest. 9.* ubi ait, hujusmodi sollempnitatem cum Officio Sancti Canonizati debere

bere fieri solum, quando Pontifex id expressè concedit, uti concessit Gregorius XV. de Sanctis Isidoro, Ignatio, Francisco Xaverio, Philippo Nerio, & Theresia. Verùm cum in Bullis Canonizationum regulariter concedatur, quòd de Sancto Canonizato recitari possit Officium, & Missa. Ex his verbis deducitur forsàn prædicta praxis, & opinio Castaldi, nimirum posse celebrari Missam, & Officium in Ecclesiis propriis, in quibus celebratur sollempnitas suæ Canonizationis; & hoc pro una vice tantum, non verò annuatim, nam quoad Anniversariam prædictæ Canonizationis celebritatem cum ejusdem Missa, & Officio prædicta Bullarum verba intelligi nequeunt, imò oppositum ex Decreto mox allegato deducitur.

Igitur cum ex Bullis Canonizationum, sive etiam ex speciali indulto Apostolico possit celebrari sollempnitas Canonizationis aliqujus Sancti, non inde tamen sequitur, liberum esse, Anniversariam ejusdem sollempnitatis diem inducere, ut advertimus suprà, cum hujusce rei usus non extet, ut optimè etiam adnotat Guyetus *cit. loc.* afferendo hanc rationem, quia cum Canonizatio nihil aliud sit, quàm pii hominis defuncti, quòd is Sanctus sit, declaratio, adeoque Festum illius quotannis suo proprio die recolendi concessio, utrumque illud ipsamet Anniversaria

natalis ejusdem celebritate sufficienter recolitur. Celebratur utique in Ecclesia Briocensi Festum Canonizationis Sancti Guillelmi Episcopi die 15. Aprilis, S. Nicolai Tolentianis, in proprio Eremitarum S. Augustini 5. Junii, & S. Francisci de Paula in Ordine Minimorum die 4. Maji; hæc tantum tria exempla hujusce rei, ait Guyetus, se colligere potuisse; at hæc non putat sine peculiari Pontificis concessione fuisse inducta, ut nos ultrò admittimus; alioquin concludendum esset, cujuslibet Sancti Canonizati liberum esse duo Festa celebrari, natalis videlicet, & ipsius Canonizationis, quod nemo dixerit. Exemplis à Guyeto adductis addere possumus, quòd S. R. C. auctoritate sub die 22. Januarii 1735. indultum pariter fuit Minoribus Conventualibus quotannis facere commemorationem Canonizationis S. Francisci (à Gregorio IX. Anno 1228. Assisi in Ecclesia S. Georgii peractæ, Dominica, die 16. Julii, recurrente) in utrisque Vesperis, Laudibus, & Missa, post Orationem diei 16. Julii, immediate ante quascunque alias Commemorationes. Ita pariter Patribus Societatis Jesu concessum est celebrare unam Missam sollempnem 12. Martii de S. Francisco Xaverio, recurrente tunc die Anniversario suæ Canonizationis.

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Cap. III. De Bullis Clementis VIII. & Urbani VIII.

I. Gavanti pag. 14. col. 1. n. 2. -- *Significat, se ideo commississe peritis viris Breviarii recognitionem.* Post reformationem Breviarii Romani factam à Pio V. Summo Pontifice, iterum jussu Clementis VIII. recognitionem fuit Breviarium à Pio V. editum, quia Typographorum incuria, & aliorum audacia depravatum fuerat. Hujusmodi autem recognitionem commisit Clemens peritis viris, quorum Indicem lubet hic subnectere.

Caesar Baronius }  
Sylvius Antonianus } S. R. E. Card.  
Robertus Bellarminus }

Ludovicus de Torres, Archiepiscopus Montis Regalis, postea Cardinalis.

Johannes Baptista Bandinus, Canonicus S. Petri de Urbe, Secretarius.

Michaël Ghislerius, Congregationis nostræ Clericorum Regularium.

Bartholomæus Gavanti, Mediolanensis,

Clericorum Regular. S. Pauli, Thesauri Sacrorum Rituum commendatissimus Auctor.

II. Gavant. pag. 14. col. 1. n. 7. *Urbanus VIII. adhibitis aliis peritissimis viris, &c.*) Alia etiam recognitio Breviarii Romani facta fuit jussu Urbani VIII. adhibitis aliis peritissimis viris, quorum Catalogus hic exhibetur.

Aloysius Cajetanus, S. R. E. Card. Praefes.  
Tegrimus Tegrinius, Episcop. Assisensis,  
Sacrae Rituum Congregationis Secretarius.

Fortunatus Scacchus, Apost. Sacrarii Praefectus.

Nicolaus Riccardus, S. Palatii Magister, & S. R. C. Consultor.

Hieronymus Lannius, utriusque Signaturae Referendarius.

Hilarion Rancatus, Mediol. Abbas S. Crucis in Hierus. S. Inquisit. Consultor, & qualificator, & S. R. C. Consultor.

Jacobus Vulponius, Congreg. Oratorii S. Philippi Neri.

Bartholomaeus Gavantus, S. R. C. Consultor.

Terentius Alciatus, Mediol. Soc. Jesu, S. R. C. Consultor.

Lucas Wadingus, Ordinis Minorum Historicus, S. Officii qualificator, & Sacrae Congregat. Indicis Librorum.

## Novae Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Cap. IV. De Computo Ecclesiastico.

I. Gavant. pag. 14. col. 2. num. 4. -- *Pascha celebrari debet in die Dominico, qui proxime succedit decima quarta luna primi mensis.* Pascha Christianum à Judaico Paschate profecto distinguitur, hoc siquidem velut figura, quae in Christi immolatione super Crucem peracta, implementum suum obtinuit, quemadmodum cetera legalia, fixum erat ad diem XIV. Lunae mensis primi, nempe Martii, à quo Judaei annum Sacrum auspiciabantur. Pascha verò Christianum institutum est ad recolendam memoriam Dominicae Resurrectionis, quae contigit in Dominica sequente diem quartam decimam ejusdem mensis. Qua de re verba facit Venerabilis Beda *Historia lib. 1. cap. 22. Voiva Pascha nostra Festa celebramus, ut indicemus, nos non cum antiquis excussum Egyptiaca servitutis jugum venerari, sed Redemptionem totius Mundi (quae in antiqui Dei Populi liberatione praefigurata, in Christi autem Resurrectione completa est) devota fide, ac devotione colere, ut Resurrectionis etiam nostrae, quae in eadem die Dominica futuram credimus.* Dispensatum hac de re ab Apostolis fuisse, & permissum Judaeis, qui ad Ecclesiam venerant, ut sollemnem Paschatis diem more suo, & Cyclo Judaico,

die nimirum XIV. Lunae post Vernale aequinoctium, in quamcunque diem concurreret, Ritu majorum celebrare possent: non sine gravissimo fundamento existimat vir clarissimus, ac eruditissimus Franciscus Dominicus Bencini *dissert. 2. de lit. encyc. c. 5.* sed quod semel datum fuerat durioris cervicis hominibus, id pro lege universali totius Christianae Ecclesiae à nonnullis postea praetensum fuit. Prima hac de re disceptatio orta est Aniceti temporibus, quibus Polycarpus, Smyrnensis Ecclesiae Episcopus, & Paschatis Judaici defensor, Romam peregrinatus est, ut controversiam amicè cum illo compoheret. Sed Anicetus à Polycarpo impetrare non potuit, ut Pascha die Dominico celebraret, nec Polycarpus obtinuit ab Aniceto, ut Pascha Judaico more observaret. Uterque Apostolorum traditionem sibi suffragari autumabat. Refert disceptationem hanc Irenaeus in Epistola ad Victorem, Romanum Pontificem, apud Eusebium *lib. 5. cap. 24.* Secunda super Paschate Disceptatio orta est occasione Montanistarum, qui volebant, Pascha necessario celebrandum esse secundum legem Moysis die XIV. mensis; & contrariam Ecclesiae consuetudinem conviciis appetebant;

ex quo factum est, ut ab cœconomia, cui hæcenus faverant Romani Pontifices, Eleutherus, & Victor super sedendum esse decernerent. Ab Eleuthero igitur, Romano Pontifice, determinatum fuit occasione hæresis Montanistarum, ut Pascha Christianum ad universaliorem deinceps Ecclesiarum observantiam exigere deberet. Ejus Decretum confirmatum est à Victore, sed priusquam id præstaret, opuscula varia ad hanc quæstionem pertinentia in vulgus emisit, referente Hieronymo de script. Eccles. Secundo requisivit Ecclesiarum sensa, ut cum eo, quod rei gravitas exigebat, moderamine procederet. Scripsit ergo ad Theophilum Cæsariensem, Palestinæ Primatem, ut ab eo Ecclesiarum Palestinæ consuetudinem disceret, coegit ille Concilium, & responsum est Victori, Pascha celebrandum esse post Lunam XIV. die tamen Dominico. Fragmentum hujus Concilii vulgatum est à Baluzio in nova Collect. Conc. pag. 14. Victor accepta Theophili Cæsariensis Epistola moribus Eccl. Romanæ consentanea, Synodum coegit, in qua vetat Judaico more celebrari Luna XIV. Sanctum, & Mysticum Pascha, ut loquitur Autor Libelli Synodici num. 9. Policrates Ephesinus Exarcha ubi Epistolam Cæsariensem à Victore confirmatam accepit; coacta statim Synodo, sententiam contrariam tueri conatus est pluribus momentis, quæ ipsum, & Asianos Episcopos in observatione Judaici Paschatis confirmarent, atque ita rem acriter egit, perinde ac si illud morum disciplinæ caput inter Dogmata, & Regulas Fidei omnino esset referendum. Epistola etiam ad Victorem data sententiam suam propugnare conatus est. Victor è contra perpendens suum, & totius Orbis judicium, ludibrio ab Asianis habitum, perinde ac si Paschatis Christiani celebratione adversus Fidei Regulam abirent omnes, Synodicam Epistolam ad Policratem, & Episcopos Asianos transmisit, severè commonens, ut sua præjudicia exuerent, sententiam excommunica-

tionis passuri, si secus facerent. De lata in eos excommunicatione, verba facit Euseb. lib. 5. cap. 24. Egredere Episcopi Galliani, Irenæus præsertim, quod Victor excommunicationis fulmen jecisset, in Asianos Episcopos, eumque placare conati sunt Epistola, quam idem refert Eusebius. Decretis Pontificis plurimi Asianorum exterriti à præjudicio, & juris errore semet purgant; alii verò propositi tenaciore, & ad Decreta contumaciores effecti in hæreticam sectam abierunt, Quartodecimanorum appellatam, iidemque passim ut hæretici ab Ecclesiis Orbis fuere proscripti. Eos quartodecimanos pariter nuncupavit Ephesinus Generale Concilium, cum à Diœcesi Asiana Reliquias eorum depellere moliretur. Sed de his consulendi Epiphanius, Augustinus, Philastrius, aliique Hæresiologi. Victoris Decretum à Nicæna tandem Synodo confirmatum est, & Quartodecimanorum error, universi Orbis auctoritate convulsus. Tres erant rationes, quæ causam edendi Decreti præbuerunt Victori. Prima, ne communicarem cum Judæis, Christi interfecto-ribus: secunda, ut in tota Ecclesia esset una celebrandi Paschatis ratio, & pauci Orientales Judaizantes, omnibus Occidentalibus, pluribusque Orientalibus aliter sentientibus cederent. Tertia, quia Orientales aliter facientes quandoque uno anno bis, quandoque nunquam Pascha celebrabant. Quibus rationibus Constantinus Magnus etiam in Epistola ad universas Eccles. apud Eusebium lib. 3. de vita Constantini, Decreti hujus æquitatem ostendit post Concilium Nicænum. De Decreto S. Pii I. Pontificis, qui Apostolicam Cathedram anno Domini 141. regebat, adeoque antecessit in Pontificatu Romano Anicetum, Eleutherum, & Victorem; de præfati, inquam, Pontificis Decreto, (quod legitur in Chronico Eusebii his verbis: Sanctum est à Pio, ut Resurrectio die Dominico celebraretur, quod à pluribus postea Pontificibus confirmatum est,) nihil præ-

præmissi, quia ejus authentica revocatur in dubium ab eruditis viris; Arnaldus enim Pontacus in notis testatur, illa verba non reperiri in M. SS. Codicibus Chronici Eusebii, ideoque ex eo penitus delenda, ut censet etiam Pagius in vita laudati Pontificis, & equidem Josephus Scaliger in nova editione Chronici Eusebiani, ex eo verba illa expunxit. Cæterum de celeberrima hac controversia videri possunt Baillet tom. 4. par. 2. à num. 1. usque ad num. 48. Pagius in vita Victoris, & Clarissimi Viri Franciscus Blanchini, & Somier in notis Anathasiani Tom. 2. Sapientissimus Petavius lib. 2. de Doctrina temporum cap. 57. Tillemont. in notis ad prædictum Pontificem Victorem, Tomassinus tract. de diebus Festis lib. 2. cap. 15. sed omnium maxime supracitatus Bencini, qui fuse, & doctissime de ea re disseruit in primo, & secundo volumine de Literis Encyclicis.

II. Gavant. pag. 14. col. 2. eodem num. 4. -- *Ita tamen, ut si decimiquarta Luna cadit in Dominicum diem, Pascha nostrum celebretur in sequenti Dominico die &c.* Cum ex Decreto, imò Ecclesiæ præcepto debeamus omnes celebrare nostrum Pascha die primo Dominico sequente ad Lunam XIV. Martii, optimè tradit hic Gavantus, quòd quando XIV. Luna cadit in Dominicum diem, Pascha celebretur non in eodem, sed in sequenti Dominico die.

Hoc anno 1734. dum hæc scribo, gravis exorta est quæstio in remotis Regionibus super die, quo celebrandum esset Pascha ejusdem Anni: contendebant plures, celebrandum esse die 18. Aprilis, & plures alii die 25. ejusdem mensis, ortum est hoc dubium ex errore Typographorum, qui reperitur in Tabulis aliquot Missalium, & Breviariorum, de quo errore infra sermonem clarum, & diffusum habebimus; ut in apertis ponatur, & clarè appareat veritas hujus gravis controversiæ. Ad cujus pleniorum discussionem, diligenter nobis examinanda videntur Tabula: Paschales Kalendarii Gregoriani jussu

Clem. VIII. editi Romæ Anno 1603. quia earundem Tabularum ductu, nullus errare poterit in determinanda Dominica, in qua Pascha Christianum celebrandum est. Quoniam verò in prædicto Calendario circa epactam ordinatur pag. 21. ut omnes numeri Cycli epactarum representari debeant caractere latino I. II. III. IV. &c. usque ad numerum XXIX. & in fine sit asteriscus \* pro epacta 30. vel 0. & ut numerus vigesimus quintus bis, & duobus caracteribus differentibus imprimatur, caractere scilicet latino XXV. & caractere Arithmetico, vel etiam colore diverso 25, ut videre est in Tabulis, & Mensibus Breviarii, & Missalis Romani, ac etiam in Calendario Gregoriano pag. 37. post Canonem Sextum; quid verò significet hæc diversitas numeri 25. XXV. mox exponam: sed præmittere debeo, quòd

Regula Generalis cap. 10. prædicti Kalendarii Gregoriani pag. 120. n. 5. & cap. 12. n. 6. & pag. 166. &c. est ut ad discernendum, quo anno diem Paschæ indicet alteruter ex dictis caracteribus XXV. vel 25. inveniatur prius aureus numerus Anni, & examinetur, utrum aureus numerus sit major, quàm 11. vel minor quàm 12. nam si aureus numerus sit minor quàm 12. & cum illo occurrerit Epacta vigesima quinta, illo Anno assumetur Epacta caractere Latino XXV. impressa: Si verò aureus numerus erit major, quàm undecim, & occurrerit Epacta vigesima quinta, tunc pro Epacta assumetur numerus 25. caractere arabo vel diverso colore impressus.

Hoc fundamento præmissis inspiciatur pars ultima Tabulæ Paschalis novæ reformatæ, quæ est conformis Tabulæ Kalendarii Gregoriani pag. 38. in qua parte Tabulæ oriri possunt errores in determinando die Dominico Paschæ ex Typographorum oscitantia; quapropter ad arcendum omnem errorem, & ad clariorem intelligentiam operæ pretium duco apponere sequens exemplar.

In

In aliquibus etenim Breviariis, & Missalibus non ponunt Epactam vigesimam quintam in suis locis; numerus siquidem 25. caractere arabo, seu diverso colore poni debet in penultima linea Epactarum, & XXV. cha-

ractere Latino in ultima linea cum Epacta XXIV. ut apparet infra, & in Tabula in Adnotationibus ad Lectorem numero XIII. in Ordine Perpetuo Divini Officii.

*Pars ultima Tabula Pasch. novæ reformatae Calendarii Gregoriani.*

	Septuag.	Dies Cinerum.	Pascha.	Afcensio.	&c.
G XXIII. XXII. XXI. XX. XIX. XVIII. XVII.	24. Janu.	10. Febr.	28. Mart.	6. Maji.	
XVI. XV. XIII. XII. XI. X.	31. Janu.	17. Febr.	4. April.	13. Maji.	
IX. VIII. VII. VI. V. IIII. III.	7. Febr.	24. Febr.	11. Apr.	20. Maji.	
H. I. * XXIX. XXVIII. XXVII. XXVI. 25.	14. Febr.	3. Mart.	18. Apr.	27. Maji.	
XXV. XXIII.	21. Febr.	10. Mart.	25. Apr.	3. Junii.	

In Breviariis autem, & Missalibus mos est imprimere omnes Epactas numeris arabicis, seu arithmeticis colore rubro, unica

tantum excepta 25. colore nigro, hoc modo, ut sequitur.

	Septuag.	Dies Cinerum.	Pascha.	Afcensio.	&c.
G 23. 22. 21. 20. 19. 18. 17.	24. Janu.	10. Febr.	28. Mart.	6. Maji.	
16. 15. 14. 13. 12. 11. 10.	31. Janu.	17. Febr.	4. April.	13. Maji.	
9. 8. 7. 6. 5. 4. 3.	7. Febr.	24. Febr.	11. April.	20. Maji.	
2. 1. * 29. 28. 27. 26. 25.	14. Febr.	3. Mart.	18. April.	27. Maji.	
25. 24.	21. Febr.	10. Mart.	25. April.	3. Junii.	

Pars superius exposita Tabulae Paschalis novæ reformatae non solum concordat cum Tabula primò impressa in præfato Calendario Gregoriano, verum etiam in Tabulis præfixis Missali Lugdunensis Ecclesiae optimè impresso de Anno 1620. apud Petrum Rouffelet.

Cum autem Anno 1734. in aliquibus locis orta fuerit dissensio in determinanda die Paschæ ex Tabulis malè impressis, non ponderando, neque advertendo, aureum numerum currentem Anni 1734. esse num. 6. scilicet minorem, quam 12. & Epacta vigesima quinta occurrat in eodem anno; unde secundum Regulam mox à nobis præmissam

adhibenda erat Epacta XXV. caractere latino, vel rubeo colore impressa, ut dictum est supra, at quia hæc Epacta XXV. in prædictis Tabulis caractere latino, vel rubeo colore impressa posita est in ultima linea; hinc fit, quòd dat Dominicam Paschæ die 25. Aprilis, non verò die 18. ut multi contendebant.

Contentio verò ista & opinio erronea oriebatur etiam ex falsa suppositione, quòd numeri Epactarum per dies Calendarii, & Missalis distributi non respondeant prædictæ Tabulae novæ reformatae, signanter in mense Aprili, scilicet quòd Epacta XXV. caractere latino, seu rubro colore, sit affixa diei

diei 4. Aprilis, & altera Epacta 25. arithmetica, seu nigri coloris diei 5. quod utique ex errore factum est, nam in Calendario Gregoriano pag. 43. & in omnibus Missalibus, & Breviariis eidem Calendario Gregoriano conformibus, Epacta 25. nigro caractere arithmetico, ita est è regione diei 4. Aprilis, Epacta verò XXV. caractere latino colore rubro, ut sunt reliquæ Epactæ, est apposita ad diem quintam Aprilis.

Regula autem Generalis descripta in Breviario de Festis mobilibus disponit, quòd si Epacta cujusvis Anni inveniatur intra spatium dierum ab 8. Martii usque ad 5. Aprilis inclusivè, hæc indicabit novilunium Paschale; si enim numerentur quatuordecim dies infra ipsam Epactam inclusivè, dabit decimam quartam Lunæ, unde in Dominica proximè sequenti Pascha Domini celebrari debet. En Exemplum: In Anno 1734. & iterum Anno 1886. occurrit Epacta XXV. rubra, quæ sita est è directo ad 5. diem Aprilis, si ab hac die 5. inclusivè numerentur quatuordecim dies, cadet decima quarta in die 8. Aprilis: at quia hac die occurrit Dominica, ut non conveniamus cum Hebræis, ideo Dominica Paschæ differri debet ad diem 25. Aprilis.

Item cum Pascha celebrari debeat die Dominica, quæ proximè Lunam decimam quartam post æquinoctium vernali consequitur; advertendum est, quòd æquinoctium (& ita intelligatur de Luna 14.) aliud est rigorosum, prout ab Astronomis consideratur in cursu solis, & aliud est Ecclesiasticum, seu politicum affixum diei 21. Martii, prout in Calendario Gregoriano consideratur. Et quamvis Ecclesiasticum certo modo dependeat ab Astronomico, justis tamen de causis Ecclesiasticum æquinoctium, & quartadecima Luna aliquando differunt ab Astronomico rigoroso, & hoc ad conservandam omnium Christianifidelium in Ecclesia concordiam, & uniformitatem. Ecclesia siquidem Catholica satius ducit, prospiciendum esse unifor-

mitati fidelium, ut uno eodemque die unanimitati consensu, & devotione ubique locorum Pascha Domini celebretur, quam inhærere rigorosæ uniformitati motuum solis, & Lunæ in definienda quartadecima. Hæc autem 14. ne in tanta celebratæ error aliquis, aut dissensio ulla oriatur, tum in Concilio Nicæno, tum in Arelateni primo, & in Carthaginensi 4. ac novissimè in Calendario Gregoriano cap. 5. statutum est, ut posthabita stricta ratione rigorosi motus solis, & Lunæ, ac etiam motuum mediorum, determinetur eadem Luna 14. cum Regulis, & observatione tantum Cycli Epactarum in eodem Calendario distributi, præcipuè à die 8. Martii, usque ad diem 5. Aprilis inclusivè.

Medios tamen motus non omninò respuit Ecclesia Catholica, tum quia per illos compositi sunt Cycli, tum quia per ipsos deciditur, quinam Cyclus, ex omnibus in Calendario Gregoriano dispositis, Lunam 14. indicet, ut in Capite 4. Calendarii Gregoriani habetur.

Quod autem asseritur in Tabula Temporalia nostri Præclarissimi Gavanti, Pascha Anno 1734. & 1886. celebrandum esse die 18. Aprilis, error est, non quidem Gavanti, qui Tabulam Temporariam composuit usque ad Annum 1700. ut videre est in primo ejus Libello Bononiæ impresso Anno 1625. sed eorum, qui post illum, non considerata proprietate Cycli Epactarum concurrentium cum Aureo numero (juxta superius à nobis dicta) reliquos Annos addiderunt in aliis impressionibus Tabularum ejusdem Gavanti ponentes loco Epactæ XXV. alteram caractere Arabico, vel arithmetico 25. non solum in hoc sæculo 1700. sed etiam in sæculo 1800. In sæculo verò 1900. ubi debebat poni Epacta 25. caractere Arabico, vel Arithmetico, posita fuit illa caractere Latino XXV. unde ex hac permutatione numeri Epactarum derivati sunt prædicti errores, & dissidia in determinanda vera die Dominica Paschæ.

Novæ

## Novæ Observationes &amp; Additiones ad Gavanti

## Cap. V. De Calendario.

I. Gavant, pag. 15. col. 1. n. 1. *Kalendarium à Kalendis dictum est &c.* Calendarium est vox Latina, deducta nempe à Kalendis, ut optime notat Gavantus, & nihil aliud est, quam mensium, dierumque, ex quibus annus constat, ac unà Festorum coordinatio, immò non modò Festorum, sed aliorum etiam similium, quæ possunt dici dierum adjuncta; quoniam pleraque alia sunt, quæ Calendariis plerisque adscribunt, siquidem præter inscripta Civili, & Calendario Ecclesiastico præter Festa adnotata, interdum addita leguntur eventa quæpiam illustriora, ut prælia, triumphi, inaugurations, inter-dum solis, Lunæque ingressus in signa Zodiacy, ortus, occasusque stellarum fixarum, aspectus luminarium, stellarumque errantium, prætereaque ætus, algores, pluvia, fulgura, venti, & alia, quæ Astrologi arantur.

Divisum Calendarium in Civile, & Ecclesiasticum, quia adsunt Calendaria purè prophana, in quibus non habetur nisi coordinatio dierum, hebdomadum, mensium, &c. ex quibus annus constat; Hujusmodi Calendarium civile (cùm nihil ferè Ecclesiastici admixtum habeat) appellarem illud, quod doctissime concinnatum fuit à Domino Blondello Regio Professore Mathematico Regiæ Academiæ Parisiensis Gallicè exarato, & impresso Anno 1684. Calendarium verò Ecclesiasticum continet Sacrorum Festorum tum mobilium, tum immobilium coordinationem, & deinde aureum numerum, literas Dominicales, Epacta, & denique Calendas, nonas, atque idus mensium, & alia hujusmodi exhibet.

Præter hujusmodi Tabellas, quas Calendaria Ecclesiastica nuncupamus, antiquitus reperiebantur etiam Laterculi, quo nomine

Gavant. Rubr. Brev.

indigitabantur Tabellæ illæ, in quibus adnotabantur Festa mobilia, ut sunt illa in Bre-viario apposita. Sic Sanctum Pascha secundum Laterculum Victoris ab omnibus Sacerdotibus, ut uno tempore celebretur, habetur in Concilio Aurelianensi 4. can. 1. diversa enim observantia Laterculorum Paschalis Festivitatibus interdum errorem parurit, ait Concilium Toletanum 4. can. 4. apud Tertullianum verò Laterculus significat etiam Tabellam, in qua Magistratus notabantur, ut notat Macrius verbo *Laterculus*.

Veteres pro eodem habuisse videntur Martyrologia, Fastos, & Calendaria. Verùm quid discriminis sit inter hæc, docet Henricus Valesius in sua eruditissima dissertatione super Martyrologio, quod edidit Rosuvvedus, & in hac asserit, nobiliores Ecclesias suos semper Fastos habuisse, in quibus & Episcoporum nomina, & Martyrum, qui apud ipsas Martyrium subierunt, Natales dies descripti habebantur, de quo profecto dubitandum non est. Laudatus Valesius contendit, Calendaria in hoc differre à Martyrologiis, quòd singulæ Ecclesiæ sua habuere particularia Calendaria, in quibus digesta erant nomina Episcoporum, & Martyrum, diesque notati, quibus memoria eorum anniversario cultu celebraretur; Martyrologia verò non unius loci propria, sed totius Ecclesiæ fuere communia, quippe quæ totius orbis Martyres, Confessoresque generaliter obtinerent; sed melius mihi aridet Valesius in sequenti discrimine, quod assignat inter Martyrologia, & Calendaria, nimirum, quòd in Calendariis nomen Urbis, in qua Martyr passus est, & species Martyrii, quod sibi, nunquam describitur, in Martyrologio verò nomina singularium Urbium, & Oppidorum consignantur, & tormenta,

D

quæ

quæ pertulit Martyr, describuntur, cæterum negari nequit, quin singulæ Ecclesiæ nobiliores, sicut singularia Calendaria, sic etiam singularia Martyrologia habuerint, sed verissimum est, quod ex pluribus Calendariis, seu particularibus Martyrologiis unum compositum fuit universale Martyrologium omnium Ecclesiarum.

Inter Calendaria Ecclesiastica antiqua celebriora sunt illa, quæ edita sunt à nonnullis recentibus Auctoribus, inter quos primum locum sibi vendicat Johannes Fronto, Gallus, Canonicus Regularis Monasterii S. Genovesæ, qui anno 1652. Parisiis evulgavit Calendarium Romanum nongentis annis antiquius, & eruditissimis notis illustravit. Idem Calendarium reculum fuit Amburgi anno 1720. additis Epistolis, & dissertationibus Ecclesiasticis ejusdem Johannis Frontonis. Denique idem Calendarium prelo Veronensi iterum consignatum fuit anno 1733. in qua editione adjectæ sunt variantes Lectiones, atque emendationes Calendarii Romani ex alio vetustiori M. SS. Charnotensi per V. Card. Thomasiæ excerptæ, & cum ejus autographo collatæ.

Prædicto Calendario Romano aliud antiquius edidit Ægidius Buecherius, quod etiam edidit Theodoricus Ruinart in calce ad Acta SS. Martyrum.

Antiquum Corbejense Calendarium publici juris fecit Edmundus Martene in Thesauro Anecd. tom. 3. pag. 1597. Rursus Vetustissimum Carthagenense Calendarium in lucem emisit doctissimus Mabillonius tom. 3. Analectorum, quod etiam editum fuit à Theodorico Ruinart. In Spicilegio Dacheciano nonnulla pariter reperiuntur edita vetusta Calendaria.

Recentissimè autem Calendarium mediævi, præcipuè Germanicum, in quo obscu-

riora mensium, dierum, Fæstorum, atque temporum nomina ex antiquis monumentis, tam editis, quam M. SS. eruuntur, atque illustrantur, in lucem emisit Christianus Gotlob Lipsiæ anno 1729. sed cautè legendum, quia prædictus Auctor Lutheranis erroribus infectus apparet.

Denique præterire non debeo mentionem facere celeberrimi Calendarii Gregoriani à clarissimo, & doctissimo viro Clavio, Bambergensi, Societatis Jesu, regnante Gregorio XIII. correcti, & emendati, typisque Romanis in fol. traditi anno 1603.

II. Gav. pag. 15. col. 2. n. 2. *De Fæstis in Calendario descriptis &c.*) Inherentes nostro Gavanto de Fæstis descriptis in nostro Calendario Romano quando, & quò ritu fuerint adscripta, & in proprio de tempore, & in proprio de Sanctis, adjiciemus omnia ea, quæ post Gavantum evenere, allegando Decreta post ipsum edita, & examinando recentium Auctorum doctrinas, atque sententias.

III. Gav. pag. 15. col. 2. n. 3. *In calce hujus operis, dante Deo, dabimus pleniorè, & emendatiorè &c.*) Ediderat Gavantus Bononiæ 1625. Ordinem divini Officii perpetuum, & quàm brevissimum, quem in calce hujus sui Thesauri pleniorè, & emendatiorè promiserat, sed variis curis, & laboribus distentus, nunquam edere potuit; nostris novis Additionibus, & observationibus adjicitur etiam hic ordo perpetuus divini Officii plenissimus, & emendatus, qui confectus fuit, me Consulente, & urgente, à D. Dominico Luchini, Sacerdote Pisarensi, in Sacris Ritibus, & rebus Mathematicis peritissimo, qui quidem ordo constituet secundam partem hujus II. Tomi nostr. Observat. & Addit.



## S E C T I O T E R T I A. D E R U B R I C I S.

### Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

#### Cap. I. De Rubricis generalibus Horarum Canonicarum.

Gavanti pag. 15. col. 2. num. 1. -- *De voce, Rubrica, alibi diximus &c.*) Nos quoque Gavanti vestigiis insistendo de voce Rubricæ, & de aliis ad Rubricas spectantibus tomo 1. locuti sumus, præsertim initio nostræ Observat. in Rubricas Missalis, & in nostris Additionibus ad Tit. XI. tertiæ partis ejusdem Tomi superioris.

In sequenti Cap. progreditur eam Provinciam, quam merito suam appellat, explicandi nimirum in specie Sacras Leges seu Rubricas Breviar. quarum Textum placuit nobis hic apponere ad majorem Lectorum commoditatem, ut facilius ob oculos habeant legem, novasque nostras ad eandem Observationes, & Additiones.

### RUBRICÆ GENERALES BREVIARII.

#### De Officio Duplici. I.

- 1 **O**fficium sit Duplex in diebus à Feria quinta in Cæna Domini, usque ad Feriam tertiam Pasche inclusivè, in Dominica in Albis, in Ascensione Domini, in Dominica Pentecostes, & duobus diebus sequentibus: in Festo Trinitatis, Corporis Christi, & Dedicacionis propriæ Ecclesiæ: in Festis, quibus in Calendario apponitur hæc vox Duplex: in die oct. Festi habentis oct. in Festo Patroni unitus vel plurium alicujus loci, vel Titularis Ecclesiæ: & in Festis Sanctorum, qui apud quasdam Ecclesias, Religiones, vel Congregationes consueverunt sollempniter celebrari, cum Officiis propriis à Sede Apostolica approbatis, aut ex ejusdem Sedis auctoritate receptis, vel recipiendis (servata tamen forma hujus Breviarii) alioquin de Communi, etiam si prædicta Festa in hoc Calendario non sint descripta. Præterea Officium sit Duplex pro Defunctis in Commemoratione omnium fidelium Defunctorum & in die obitus, seu depositionis Defuncti, ut in eodem Officio dicitur, circa finem Breviarii.
- 2 Festum Duplex celebratur eo die, quo cadit, nisi illud contingat transferri, ut dicitur in Rubrica de Translatione Festorum.
- 3 Habet primas, & secundas Vesperas integras, nisi cum alio simili concurrat, ut dicitur in Rubr. de concurrentia Officii: & totum Officium sit de Duplici, incipiendo à primis Vesperis usque ad Completorium sequentis diei, inclusivè, nisi aliter in primis locis assignetur. Officium autem Defunctorum habet tantum primas Vesperas, Matutinum, & Laudes, ut circa finem Breviarii ponitur.
- 4 In utrisque Vesperis, Matutino, & Laudibus tantum, non autem in aliis Horis duplicantur Antiphona, id est, integra dicuntur in principio, & in fine Psalmorum.

D 2

5 Ad

- 5 *Ad Matutinum regulariter dicuntur tres Nocturni, cum novem Psalmis, & totidem Lectionibus, hoc est, in unoquoque Nocturno tres Psalmi, & tres Lectiones, praterquam in Paschate Resurrectionis, & Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, in quibus dicitur unum tantum Nocturnum cum tribus Psalmis, & totidem Lectionibus, ut ibidem ponitur.*
- 6 *Preces ad Primam, & Completorium, & Suffragia de S. Maria, Apostolis, & Pace ad Vesperas, & Laudes, non dicuntur in Officio Duplici, ut etiam in propriis eorum Rubricis dicitur.*
- 7 *Quomodo sit ordinandum Officium Duplex in Vesperis, Matutino, & ceteris Horis: similiter & de Antiphonis, Responsoriis, Versibus, Capitulis, & aliis in eo dicendis, habentur inferius de singulis propria Rubrica.*

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Cap. II. De Duplici Officio.

I. Gavant. pag. 16. col. 2. num. 2. -- *Significat, Antiphonas in Officio duplicari &c.* Joannes Fronto in Calendario nongentis annis antiquiore à se evulgato §. XI. adstruit, quod antiquitus Sancti, qui in Calendario locum habebant, alii Festo simplici, alii duplici colebantur, & opinatur, hanc fuisse primam dierum Festorum divisionem, quam ex suo Calendario sic definit -- Cum unica Missa, & unicum Officium notatur, Festum dicebatur simplex, sed cum duplex Officium, & duplex Missa, vel etiam plures, dicebatur Festum duplex, cui sententiæ adstipulatur etiam Grancolas lib. 1. cap. 44. *Comment. historic. in Breviar. Roman.* sed Guyetus lib. 2. *sect. 3. c. 9. qu. 2.* acerrimè refellit latidati Frontonis sententiam, ex quo septies dumtaxat in dicto Calendario reperitur, ut duplex sic Officium, ac Missa præscribatur, unde septem dumtaxat fuissent tunc Festa duplicia, quæ recenset idem Guyetus, nec ea quidem Sanctorum majorum, qui aliis dignitate, seu celebritate præstant, ut facile apparebit Festa illa cum aliis comparanti. Immo addit Guyetus, quod in eodem Calendario Frontoniano juxta dictam opinionem nec duplicia fuissent Natale Domini, Natale Sancti Stephani, Natale S. Johannis &c. Id

quod tamen nemo sibi persuadere poterit; vel enim nota illa fuit majoris, seu excellentioris celebritatis, vel non; si fuit, iniquum planè est, eam minoribus Festis tribui, & majoribus denegari; si non, quomodo ex tali nota potest erui origo ejus instituti, quod perpetua traditione usui fuit in Ecclesia Romana ad indicandam majorem certorum Festorum præ aliis celebritatem? Hæc Guyetus loco citato subnectens vocem hanc duplex, cujus vis, & origo nunc quaeritur, non numerantis, sed extollentis esse, ad exprimendam videlicet digniorem Officii qualitatem; At juxta Frontonis mentem hoc tantum indicabat, duo una die fieri Officia, alterum de uno Sancto, alterum de alio eadem die occurrente, seu ut conjiciendo pergit dicere, alterum de Feria, vel de Festo Martyris, alterum de Festo Confessoris: quod utrumque Officium vitandæ prolixitatis gratia, primo omisso, aut sola commemoratione transacto, in unum deinceps coaluisse asseruit; illud brevius, aut pauciora completens, quippè quod præter Antiphonas nihil conduplicatum haberet; alia etiam addit Joannes Fronto, quæ tamen confutantur à Guyeto, adstruente, modum ratiocinandi Frontonis esse prorsus alienum à vera, & germana

mana distinctionis Officiorum ratione, Officia enim quo digniora sunt, eo magis per se sola fiunt, ut patet in eo, quod duplicia primæ Classis ea sint, quæ omnem omnino cōmemorationem excludunt; secundæ Classis, quæ admittunt in laudibus, & Missis privatis tantum; Reliqua verò duplicia per annum præ semiduplicibus, & simplicibus, commemorations, seu suffragia communia abiciunt; Fronto verò è contra duplicia, adeoque digniora censet Officia, quæ ex pluribus, vel copulatione, vel etiam mixtione coalescunt; audiendus igitur est melior Frontone non conjector, sed assertor Durandus, qui lib. 7. cap. 1. num. 31. ait: *dicuntur quædam duplicia in quibusdam Eccl. suis pro eo, quod Responsoria tam majora, quam brevia, & Versus à duobus cantantur, & omnia incipienda, à duobus incipiuntur, & quia Antiphona in Matutinis, & Vesperis duplicantur, dicuntur enim Completes* (hoc est integrè) *ante Psalmum, & post.* Durando consonat Glossa in Cap. *Gloriosus de Reliq. & Venerat. Sanct.* & sapientissimus noster Gavantus supra, recentior illo quidem, sed cui primas in investiganda hujusmodi origine, ut ait Guyetus, & merito quidem, nemo negaverit. Ritum autem duplicandi Antiphonas antiquum esse ostendit etiam loco citato idem Guyetus, qui postea hoc unum addit, duplicis rationem (si pro numero vox illa accipiatur, uti Fronto eam accipit) rectius deduci, ex quo duplex duas olim, ut & hodie haberet Vesperas, pridie videlicet, & ipso die Festi: Simplex verò unas dumtaxat, nempe primas, quod ex Officiorum diversitate procedit, quæ ad majoris sollemnitatis indicium sic inducta fuit; unde in Breviario proprio Ecclesiæ Sancti Martini Turonensis cum nulla habeantur Festa semiduplicia, quæ simplicia sunt novem Lectionum, æquè carent secundis Vesperis, ac simplicia trium Lectionum. Etiam in Breviario Quignoniano, in quo semiduplicibus expunctis, sola duplicia, & simplicia Officia habentur; hæc inter se hoc discrimen

habent, quòd illa duas Vesperas, ista verò unas dumtaxat, sed ipso die habeant; verum cum suppressum fuerit à Pio V. tale Breviarium, ipsumque contra antiquissimum, ac receptum ubique morem, secundas Vesperas, demptis primis, Festis simplicibus tribuat, nullius debet esse auctoritatis.

II. Gavant. pag. 17. col. 1. num. 5. -- *Hæc igitur Festa num. 22. &c.*) Nunc addenda sunt alia duo duplicia secundæ Classis, nimirum Festum Sanctissimi Nominis JESU, & Festum Immaculatae Conceptionis Beatissimæ Virginis Mariæ, de quibus iterum sermonem habebimus infra in proprio Sanctorum.

III. Gavantus pag. 17. col. 1. n. 6. -- *Conceptio Beatae Mariae &c.*) Hoc Festum, ut mox innuimus, non est in classe Duplicium majorum, sed elevatum fuit ad Festa secundæ Classis cum Octava ab Innocentio PP. XII. die 15. Maji 1693. Duplicibus autem majoribus addi nunc debent etiam Festum Dolorum B. M. V. Festum SS. Nominis ejusdem B. V. M. Festum B. Mariæ de Monte Carmelo. Festum B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, & denique Festum Sanctissimi Rosarii B. V. M. quapropter dempto ab hac Classe Festo Conceptionis B. M. & additis præfatis quinque aliis Festis, Duplicia majora in universali Ecclesiâ, sunt n. 17. Nam Octava Epiphaniæ, Paschatis, Ascensionis, Corporis Christi, aliorumque Domini Festorum non sunt revera duplicia majora, sed in concurrentia sunt ad instar duplicium majorum.

IV. Gav. pag. 17. col. 1. n. 7. -- *Sunt autem illa n. 31. hæc verò sunt n. 9.*) Duplicia minora, quæ nunc habentur in Breviario, cum multa post Gavantum addita fuerint, de quibus agemus in proprio Sanctorum, excedunt præfatum num. 31. Octava verò, quæ sunt duplicia minora, nec privilegiata, nunc sunt num. 10. quia addenda est octava Conceptionis B. M. Ergo duplicia omnia minora

za, quæ in Breviario celebrantur, excedunt num. 86. demptis diebus octavarum Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, & Corporis Christi, quæ licet sint duplicia minorâ, in concurrentia tamen, ut diximus, sunt ad instar duplicium majorum.

V. Gavantus pag. 17. col. 1. n. 10. -- *De Sancto, cuius insignis habetur Reliquia &c.* Videantur ea, quæ à nobis dicta sunt *sect. I. ca. V. tit. 2. n. IV.* ubi Decreta omnia adduximus spectantia ad presentem materiam de Indulto recitandi Divinum Officium ratione Reliquiæ insignis alicujus Sancti.

VI. Suprà innuimus cum Gavanto, Festorum Duplicium alia esse *primâ Classis*, alia *secundâ Classis*, & alia *per Annum*, sive *majora* sive *minora*; verum tamen est, quod Duplicia majora primo, & per se dicuntur quæcunque Festa *primâ, & secundâ Classis*; nam in *Rubrica de Translatione Festorum n. 2.* dicitur expresse: *si in die Octava occurrat aliquod Festum Duplex ex majoribus supra in Rubrica de Commemorationibus enumeratis &c.* Ex quibus verbis Rubricæ liquet, omnia Festa ibi enumerata majora appellari. Quæ verò postea *majora per annum* dicuntur, minimè censenda sunt ejusdem ordinis cum illis, sed alterius inferioris, adeoque haud absolute majora, sed respectivè ad alia *per annum* illis *minora*. De his duplicibus per annum majoribus, & minoribus, quæritur à

Rubricistis, an inter se differant specie; & pari discrimine, atque Duplicia primæ Classis à Duplicibus secundæ Classis, adeoque duo illa duobus istis addita, quatuor universim duplicium genera conficiant? Affirmat noster Gavantus *hic n. 3.* nullam tamen proferendo intrinsecam rationem, nisi quod in recognitione Clementis VIII. ad calcem Rubricarum post Duplicia primæ, & secundæ Classis enumerentur distincta serie duplicia majora per annum, aliis minoribus præferenda: Guyetus tamen *loc. cit. quest. 4.* ferriam illam majoris quidem facilitatis gratia additam fuisse, non diffitetur, at diversum Duplicium genus, seu Classem à Duplicibus minoribus per annum distinctam constituere, absolute negat, & conatur nonnullis rationibus id ostendere, quas apud ipsum legi poterunt: sed mihi videtur quæstio de puro nomine inutilis, cum semper certum sit, aliquod discrimen intervenire inter præfata Duplicia majora, & minora per Annum, & hoc sufficit ad constituendam aliquam speciem diversam; & equidem concludit Guyetus, se nolle suis rationibus ferriam illam Duplicium majorum per Annum in calcem Rubricarum appositam damnare. Est enim ea perutilis ad hoc, ut sub oculis habeantur Festa illa, quæ in concursu præferenda sunt.

## De Officio Semiduplici. II.

### RUBRICA.

- 1 **O**fficium fit Semiduplex diebus Dominicis (excepta Dominica in Albis, in qua fit Duplex) & diebus infra Octavas: item in Festis, quibus in Calendario ponitur hac vox Semiduplex, & in Festis propriis quorundam locorum, seu Congregationum, quæ sollempniùs apud illas, quàm simplicia, consueverunt celebrari.
- 2 De Festo Semiduplici fit eo die, quo cadit, nisi contingat transferri, ut dicitur in Rubrica de Translatione Festorum.
- 3 Habet totum Officium integrum sicut Duplex, sed non duplicantur Antiphona.
- 4 Ad Matutinum dicuntur tres Nocturni, præterquam infra Octavas Pasche & Pentecostes, in quibus dicitur unum Nocturnum cum tribus Psalmis, & totidem Lectio-  
ni.

nibus. Et regulariter quando dicuntur tres Nocturni, dicuntur novem Psalmi, & totidem Lectiones, exceptis iis Dominicis, in quibus sit Officium ut in Psalterio, quæ habent xviii. Psalmos, ut ibi.

- 5 Quomodo sit ordinandum Officium Semid. tam in Festis, quam in Dominicis, & infra Oct. item & de Antiphonis, Versibus, Responsorii, & huiusmodi aliis, & quando in Semid. dicantur Preces ad Primam, & Completorium, & Suffragia de Sanctis ad Vesperas, & Laudes, habentur inferius de singulis propria Rubrica.

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Cap. III. De Semidupli. i.

I. Gavantus pag. 17. col. 2. n. 1. -- *Semiduplex apud Durandum habetur lib. 7. cap. 1.*) Durandus quamvis Festorum Semiduplicium mentionem faciat, ante ipsum tamen, qui floruit 1280. dupl. vel semidupl. appellatio Festis Indita non reperitur. In Breviario M. SS. Dominicanorum Parisiensium, quod exeunte XIII. vel ineunte XIV. sæculo exaratum fuit, Apostoli semiduplex tantum Officium adhuc habebant. Idem quoque legitur in Breviario M. SS. Dionysiano Johannis Regis ævo conscripto, ut asseverat Grancolas *loc. supracit.* Rursus in Breviario Ordinis S. Johannis Hierosolymitani Lugduni edito an. 1551. Apostoli, Sancto Petro excepto, atque ipse Sanctus Augustinus, cujus Regulam sequuntur, & Decollatio S. Johannis Baptistæ, eorum Patroni, semiduplici tantum ritu celebrabantur: quapropter dicendum est, Decretum Bonifacii VIII. qui Romanæ Ecclesiæ præerat anno 1294. & qui primus statuit, ut Apostolorum, quatuor Evangelistarum & quatuor Doctorum Ecclesiæ Officium duplex esset: -- in aliis Ecclesiis non fuisse eodem tractu receptum, ita ut pro sola Romana Ecclesia primum editum fuerit. De hoc Bonifacii VIII. Decreto extat in formulario Marini Ebuli, & majori ex parte in sexto Decretalium *cap. Gloriosus, tit. de Reliq. & Venerat. Sanct.* Diploma, quod Raynaldus in historia præfati Pontificis ad prædictum annum n. 55. integrum refert inscriptum -- *Archiepiscopo Rheimensi, & ejus*

*Suffraganeis datum Anagninæ XII. Kalendas Octobris, Pontificatus Anno primo -- Concilium quoque Marciacense in Provincia Auxienfi Anno 1326. celebratum Can. 41. mandat, ut Annis singulis Festa Beatorum Apostolorum Domini, quatuor Evangelistarum, & quatuor Doctorum ipsius Sanctæ Matris Ecclesiæ, Gregorii, Augustini, Ambrosii, & Hieronymi sub Officio Duplici celebrentur; unde inferre licet, quod in præfata Provincia ante allegatum Concilium ejusmodi Festa sub ritu tantum Semiduplici celebrata fuerint.*

Postquam hæc Semiduplicia ad duplicem ritum elevata sunt, ut ea ab illis, quæ dupl. appellabantur, distinguerentur, duplex Classis Festorum dupl. constituta est, vetustaque Festa, seu digniora dupl. primæ Classis dicta fuerunt, alia verò dupl. secundæ Classis, inter quæ recensentur Apostolorum, & nunc etiam Evangelistarum Festa, quæ sunt secundæ Classis. Festum verò Divi Petri, Apostolorum Principis, in prima Classè sibi locum vendicavit. De prædictorum tamen Festorum primæ, & secundæ Classis origine disserendo sapientissimus Guyetus *loc. supracit. qu. 3. ait, se nescire, an ante Pium V. talium Festorum in Breviario esset usus, nam nec in Romano, sive M. SS. Anni 1519. sive editionis Annonum 1550. & 1555. nec in ullo alio ejusmodi nomenclaturam ipse reperire potuit. Ad Romanum Breviarium quod attinet in prædictis exemplaribus sola erat inscriptio*

majo-

majorum, & minorum, quæ Durandus appellat Duplicia in totum, & Duplicia simpliciter. Sed cum talis inscriptio non videretur sufficiens ad exprimendam variam Festorum inter se dignitatem, Duplicium majorum in novo Pii V. Breviario duæ constitutæ sunt Classès, quarum una vocatur prima, altera secunda, ad distinguenda Festa majora à minoribus pro sua quæque dignitate.

II. Gavant. pag. 17. col. 2. n. 2. -- *Semiduplici ritu gaudent Dominica per annum &c.* Quatuor sunt species Semiduplicium. Ad primam pertinent Dominicæ, quæ in tres species subdividuntur, scilicet in Dominicas primæ Classis, quæ nulli Festo cedunt v. g. Dominica prima Adventus &c. Quadragesimæ &c. de quibus infra: In Dominicas secundæ Classis, quæ Festo Patroni, vel Titularis, vel Dedicationis cedunt: & in Dominicas Communes, seu per annum, ut vocant. Hæ omnes, inquam, Dominicæ (excepta Dominica Resurrectionis, Pentecostes, Sanctissimæ Trinitatis, & in Albis) sub ritu Semiduplici celebrantur, ita tamen, ut in occursum semper aliis Semiduplicibus præferantur. Ad secundam pertinent Festa Semiduplicia, qualia sunt, quibus in Calendario, vel in proprio Sanctorum vox *Semiduplex* apposita est. Ad tertiam spectant omnes dies infra Octavam, nempe sex illi dies, qui intra Festum, & ipsam diem Octavam intercidunt, quæ proinde in occursum tam Dominicis, quam Semiduplicibus cedunt, nisi ad aliquam ex Octavis privilegiatis, de quibus infra, pertineant. Ad quartam pertinent Vigilia Epiphaniæ, & Pentecostes cum præcedenti sexta Feria, quæ sub ritu Semiduplici celebrantur, nec tamen ad ullam præcedentium Classium commodè revocari queunt, ut optime notat Lohner in Instructione practica de Horis Canonicis *tit. 2 §. 2.*

III. Gavant. eod. n. 2. -- *Numero hodie ultra quadragesimam &c.* Officia Semiduplicia profectò nunc excedunt allegatum nume-

rum, sicut etiam dies infra Octavas, quare Semiduplicia cum Dominicis non est dubium quin modò transcendant numerum centum triginta.

IV. Gavant. pag. 17. col. 2. n. 3. -- *Debet esse Semiduplex &c.* Quamvis verissimum sit, quòd de Sancto, cujus Reliquia non insignis habetur, si concedatur Officium, debet esse semiduplex; nihilominus hoc dependet à Sac. Congregationis arbitrio, & equidem apud Monacel. in *Formulario Legali practico part. 4. in supplemento ad primum Tomum* affertur S. C. R. Decretum, quo conceditur Parochò Albegni Bergomensis Diocesis, ut possit celebrari Missa sub ritu duplici sine *Credo* in sua Ecclesia pro Sancto in Martyrologio Romano descripto, cujus Reliquia non insignis asservatur in eadem Ecclesia.

V. Gavant. pag. 18. col. 1. n. 6. *De Privilegiis Festi &c.* Nos quoque Gavanti vestigia sectando de privilegiis Festi, seu Officii Semiduplicis agemus infra in pluribus locis, interim tamen innuendum est, hæc Semiduplicia à duplicibus distingui per hoc, quòd duplicia tria habent privilegia, nimirum primum, quòd Antiphonæ, ut diximus supra, duplicantur in Matutino, ad Laudes, & ad Vesperas, secundum, quòd in duplicibus Suffragia Communia non admittuntur; tertium, quòd nullæ Preces in illis dicuntur, in Semiduplicibus autem non duplicantur Antiphonæ, dicuntur Preces ad *Primam*; & ad *Compleorium*, præter quam tamen in diebus infra Octavas; sicut etiam admittuntur Suffragia Communia, sed etiam hæc in diebus infra Oct. prætermittuntur. A Simplicibus verò distinguuntur Semiduplicia per hoc, quòd novem Lectiones, tres Nocturnos, & primas, ac secundas Vesperas de jure exigant, nisi aliter fieri debeat, ratione concurrentiæ Festi altioris ordinis, vel æqualis, quòd examinabimus agendo infra de concurrentia Festorum. Differt etiam Semiduplex à Festo Simplici per hoc, quòd Semi-

Semiduplex si impediatur ab aliquo Festo superioris Ritus, vel etiam æqualis juxta dispositionem Decretorum, potest transferri in aliam diem, simplex verò Festum fit semper eo die, quo cadit, quòd si ob occurrentiam

Festi alicujus nihil possit de eo fieri illo die, neque Commemoratio, de tali Festo nihil amplius eo anno agitur, unde non potest ullò modo transferri.

## De Officio Simplici, III.

## RUBRICA.

- 1 **O**fficium fit simplex in diebus Ferialibus, quando occurrit fieri de Feria. Item in Festis, quibus in Calendario non apponitur hac vox Duplex, vel Semid., vel de Oct. Item quando fit de B. Maria in Sabbato, ut in ejus Rubrica dicitur.
- 2 De Festo Simplici fit eo die, quo cadit, nisi eodem die occurrat fieri Officium novem Lect. vel de Sancta Maria in Sabbato, vel de aliquibus Feriis, quibus festum Simplex cedit: ut dicitur in Rubr. de Feriis, & de Commemorationibus.
- 3 Habet tantum primas Vesp. in quibus dicuntur Psalmi feriales, & à Capitulo fit de Festo, nisi cum eo concurrat Offic. novem Lectionum, quia tunc de eo fit sola commemoratio, ut dicitur in Rubrica de Concurrentia Officii, & ejus Officium terminatur ad Nonam, & nihil amplius fit de eo, nec commemoratio.
- 4 Ad Matutinum, post Invitatorium & Hymnum de festo, dicitur unum tantum Nocturnum, cum duodecim Psalmis, ut in Psalterio, secundum seriam, qua occurrit: & tres Lectiones leguntur, ut infra in Rubrica de Lectionibus habetur.
- 5 Quomodo fit ordinandum Officium Simplex ad Vesperas, Matutinum, & alias Horas, item & de Antiphonis, Versibus, Responsoris, & aliis, ac quando Preces, & Suffragia de Sanctis dicenda sint, habentur inferius propria Rubrica.

## Novæ Observationes, &amp; Additiones ad Gavanti

## Cap. IV. De Simplici.

I. Gavant. pag. 18. col. 1. n. 1. -- Antea vocabatur Officium trium Lectionum) Festa simplicia ita appellata à Durando; quòd simplici, seu minus sollempni ritu celebrentur, alio nomine, nimirum etiam Festa trium Lectionum appellata fuere. Primò, & per se Festum simplex Duplici olim veluti opponebatur, ut aliud diceretur novem Lectionum, seu Officium plenum, simplex verò appellaretur Officium trium Lectionum tantum. Postmodum dictum Officium novem Lectionum etiam semiduplex nuncupatum fuit, & alia nova classis Officiorum inducta est media inter Officium Duplex, & Simplex. Pa-

Gavant. Rubr. Brev.

tet igitur, utrumque non ex æquo Duplici opponi: Semiduplex enim est medium quid inter Duplex, & Simplex, ita ut conveniat cum Duplici, quia gaudet Officio integro, & pleno novem Lectionum, & trium Nocturnorum, & ob eandem rationem opponatur Simplici, quòd unum tantum Nocturnum, & tres dumtaxat in suo Officio habeat Lectiones; quia verò Semiduplex nec Antiphonas, nec alia Sollemnitatis indicia duplicat, simplicis potius, quàm Duplicis rationem participat. Simplex igitur sic in uno cum Semiduplici convenit, ut in utroque à Duplici discrepet.

E

Dixi,

Dixi, Officium simplex tres dumtaxat habere Lectiones, quarum prima tantum est de Sacra Scriptura, si Sanctus secundam, & tertiam propriam habeat; si autem is unam tantum habuerit (vel propriam, vel ex Communi Sanctorum assignatam) tunc prima Lectio, & secunda erunt de Scriptura, tertia de Sancto.

Ad Matutinum dicitur Invitatorio, & Hymno de Festo, ut in Communi Sanctorum, dicitur Nocturnum Feriae occurrentis, ut in Psalterio; sicut disponitur in Rubr. de Officio simplici *tit. 3.* terminatis duodecim Psalmis, subiungitur versus de Festo, ut in qualibet Feria notatur, desumptus ex eo Nocturno, qui in Communi Sanctorum Feriae currenti correspondet: idem est de Absolutione, prout innuitur in Rubricis Breviarii. Benedictio autem prima semper est: *Ille nos benedicat, &c.* secunda: *Cujus, vel quorum Festum colimus, &c.* tertia: *Ad soletatem, &c.* Postea dicuntur Lectiones, ut supra, & Responsoria, quae dicuntur post primam, & secundam Lectionem, sumuntur regulariter de Communi Sanctorum secundum Ferias, id est, Feria II. & V. ex primo Nocturno de Communi Sanctorum, addendo in fine secundi Responsorii semper *Gloria Patri* cum repetitione partis Responsorii. Feria III. & VI. ex secundo Nocturno. Feria denique IV. ex tertio Nocturno. Post tertiam Lectionem dicitur *Te Deum laudamus.* Ad Laudes, & per Horas omnia dicuntur de Festo eo modo, quo in semiduplicibus illius temporis usque ad Nonam inclusive, qua terminatur Festum simplicis eo die occurrentis, quod incipere debet à Vesperis pridianis cum Psalmis ferialibus, & solum à Capitulo fit de praedicto Festo simplici. Caetera trademus infra sub hoc Titulo, & etiam alibi cum Gavanto.

Quod si Festum simplex Officium habere non possit, vel quia occurrit cum aliquo Officio superioris Ritus, vel cum aliqua Feria ex majoribus infra numerandis, tunc habet

tantum Commemorationem in primis Vesperis, & Laudibus, & legitur nona Lectio de eo, si propriam habeat, si duas, in tali casu ex duabus fit una: at si habeat tantummodo Lectionem ex Communi sibi appropriatam, ut accidit die 20. Julii in Festo S. Margaritae, haec pro nona Lectione non legitur. Id patet ex Rubr. de Translatione Festorum n. 9. ubi dicitur sic: *Si propriam (Lectionem) de vita Sancti habuerit.* Nona Lectio de simplici etiam non legitur in Dominicis, quae habent nonum Responsorium; quales sunt Dominicae Adventus, Septagesimae, &c. nec quando in Festis legenda est nona Lectio de Homilia Dominica, vel Feria. Nec in Feriis, aliisque diebus, quando in Officio dici leguntur tantum tres Lectiones, ut statuunt Rubricae suis respective locis.

Similiter non legitur nona Lectio de simplici infra Octavas Paschae, Pentecostes, & Corporis Christi, de duabus primis constat ex Rubr. *tit. 9. de Commemorationibus n. 10.* de tertia clara est Rubrica, Festo Corporis Christi praeposita. Sed si infra Octavam Corporis Christi fiat de Festo duplici occurrente, in quod simul incidat Festum simplex, habens Lectionem propriam, tunc legenda est nona Lectio de Festo simplici, ut patet ex Decr. S. R. C. dato in nostr. Indic. sub n. 95.

Dixi supra, quod quando de Festo simplici non potest fieri Officium, fit tamen ejus Commemoratio; sed haec in duplicibus primae Classis omnino omittitur: in duplicibus vero secundae Classis fit tantum ad Laudes, & in Missis privatis, legiturque pro ultima Lectione Lectio de eodem Festo simplici: contingit tamen aliquando, quod facienda sit Commemoratio Festi simplicis ad primas Vesperas tantum, licet nullum adsit impedimentum, quin de Festo simplici fieri possit à Capitulo: nam si in Fer. IV. Cinerum, vel in Feriis quatuor Temporum Septembris, aut Vigiliis, in quibus legitur propria Ho-

milia,

milia, occurreret Festum aliquod simplex, in pridianis Vesperis esset facienda de Festo simplici sola Commemoratio, quia tale Festum occurrens in dictis Feriis, vel Vigiliis, non habet Officium, sed solam Commemorationem etiam ad Laudes, & ideo etiam convenit, quod in primis Vesperis non fiat de eo à Capitulo, sed tantum habeatur Commemoratio, ut colligitur ex Rubrica Generali tit. 11. num. 10. ex qua pariter habetur, quod si occurreret in Feria V. in Cæna Domini Festum simplex, de eo neque facienda sit Commemoratio in pridianis Vesperis, quia in dicta Feria V. nihil de eo fieri potest, neque Commemoratio ad Laudes.

Sed quamvis Festum simplex cedat Feriis supradictis majoribus, & Feriæ II. Rogationum, præcedit tamen Feriam III. non verò IV. earundem Rogationum, in qua occurrit Vigilia Ascensionis, & in Rubrica ibi expresse declaratur, quod tali die de Festo trium Lectionum fit tantum Commemoratio.

II. Gavant. pag. 18. col. 1. n. 2. -- *Festa verò simplicia, &c.* Festa Sanctorum simplicium, ait Gavantus, superasse suo tempore numerum centenarium, verum quia nonnulla postmodum elevata fuerunt ad sublimiorem Ritum; hinc Festerum simplicium numerus diminutus est. Considerare tamen debemus, quod ad Classem simplicium, nempe ad Ritum celebrandi Officium modo simplici, pertinent etiam *Feria majores* sic dictæ, quia de illis fit Commemoratio quocumque Festo occurrente, quales sunt Feriæ Adventus, & Quadragesimæ (de quibus Commemoratio etiam in Vesperis fieri debet) & Feria II. Rogationum, ac quatuor Temporum, de quibus in solis Laudibus Commemoratio faciendâ est. Pertinent pariter ad Classem simplicium Vigiliæ Festerum, quia sub Ritu simplici celebrantur, & omnibus veris Festis simplicibus in occurso præferuntur. Rursus spectat ad Classem simplicium Festum B. M. in Sabbato, quia ejus Officium sub Ritu Festi simplicis celebratur, &

præferitur cuicumque alio Festo simplici. Reduci possunt ad hunc Ritum simplicem etiam Dominicæ illæ, quæ suo loco celebrari non possunt, sed per anticipationem more feriali transferuntur in præcedentem hebdomadam in die non impedita Officio novem Lectionum etiam de Octava, & translato, non tamen ad libitum occurrente, ut decrevit S. R. C. 4. Aprilis 1704. in *Lycim.* & datur in nostro Indice n. 234. nec Officio votivo, veluti de SS. Sacramento, Immaculata Conceptione, & similibus, juxta Decretum ejusdem S. R. C. 20. Martii 1706. ut in eodem Indice n. 236. ac etiam Festo simplici.

Non incongruè hic videtur notandum pro his Dominicis, quod si tota hebdomada fuerit impedita, die Sabbati in præfato Officio novem Lectionum ad Matutinum recitatur nona Lectio de Homilia Dominicæ, cum ejus commemoratione ad Laudes, & Missam; quæ dies omnino erit Sabbatum, cum commemoratio Dominicæ non potest anticipari in Officio, ut supra, nisi in die Sabbati. Secus autem si de Feria potest celebrari Officium infra hebdomadam, in qua poni debet Homilia cum Responsorii, ut in *Rubr.* 27. n. 5. & Antiphona cum Oratione Dominicæ; excepta tamen secunda Dominica post Epiphaniam, quando ipsa cadit in Dominicam Septuagesimæ, pro qua transferatur Officium semiduplex de præcepto infra hebdomadam occurrens, & in ea Feria recitari debet Officium pro dicta Dominica secunda more feriali.

Cæterum cum Festa simplicia transferri nequeant in aliam diem, ut supra, hinc optime observat Guyetus *lib. 1. cap. 13. quest. 3. & lib. 2. cap. 12.* Festa simplicia non esse sollemnia, sicut etiam nos innuimus, eo quod in Anno non soleant semper celebrari, tum quia sæpissime fit de his tantum commemoratio, tum quia etiam aliquando penitus omittuntur, si nempe occurrant in Festo duplici primæ Classis. At verò quando

impedimentum est perpetuum, tunc pro Festo simplici assignatur alia dies, ut providè S. R. C. in correctione, & approbatione Kalendarii Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium die 22. Januarii 1735. decrevit pro Sancto Theodoro-Mart. impedito in Urbe, ac ejus districtu ab Officio Dedicacionis Basilicæ SS. Salvatoris, ab ipsis uti Cathedralis Romani Pontificis, celebranda sub Ritu duplici primæ Classis sine Octava, assignavitque ei diem 12. Novembris. Et de S. Pontiano Papa, & Mart. impedito à S. Elisabeth Vidua, Hungariæ Regis filia, cujus

Officium à Sororibus, & Monialibus Tertii Ordinis ejusdem S. Francisci tanquam Patrona celebratur sub Ritu duplici primæ Classis cum Octava, decrevit de eodem Sancto Pontiano fieri 20. Novembris tanquam die propria; ex quo amborum impedimentum fuisset quotannis perpetuum; utpote de Sanctis ad libitum perpetuò impeditis, eadem S. R. C. pro nonnullis Diocælibus, Ordinibus Regularibus, ac locis decrevit, assignando aliam diem fixam non impeditam, ut clarè demonstrabimus in Capite X. hujus Sectionis.

## De Dominicis. IV.

### RUBRICA.

- 1 **D**E Dominica semper fit Officium in Dominicis Adventus, & in Dominicis à Septuagesima usque ad Dominicam in Albis inclusivè, quocumque Festo Duplici, vel Semiduplici adveniente: quia tunc Festum transfertur (ut in Rubr. de Translat. Festorum dicitur) nisi illud Festum sit de principali Titulo, vel Patrono alicujus Ecclesiæ, vel loci, aut Dedicat. propriæ Ecclesiæ: quia tunc de hujusmodi Festo fit tantum in Ecclesia, vel loco, cujus est Titulus, vel Patronus, vel Dedicatio, cum commemoratione Dominica; quibusdam Dominicis exceptis, ut dicitur in Rubr. de Commemorationibus. In aliis Dominicis per annum fit de Dominica, quando in eis non occurrit Festum Duplex: quia tunc fit de Duplici, cum commemorat. Dominica in utrisque Vesp. & Laudibus; & ad Matutinum legitur ix. Lectio de Homilia Dominica, ut dicitur in Rubr. de Commemorationibus. Si Semiduplex eodem die occurrat, transfertur, ut dicitur in Rubr. de Translat. Festorum.
- 2 De Dominicis infra Octavas Nativitatis, Epiphaniæ, Ascensionis, & Corporis Christi occurrentibus, Officium fit sicut infra Oct. & in Proprio de Tempore, cum Commemorat. Oct. & sine Precibus, & Suffragiis Sanctorum. In Dominicis vero, quæ occurrunt infra alias Octavas, totum Officium fit de Dominica, ut in Psalterio, & in Proprio de Tempore, cum commemorat. Octava, omissis etiam dictis Precibus, & Suffragiis, ut supra. De Dominica occurrente in die Octava fit commemorat. sicut dictum est, quando in ea fit de Festo Duplici, præterquam in die Oct. Epiphaniæ, in qua nihil fit de Dominica, quia ejus Officium ponitur in Sabbato præcedenti.
- 3 Positum est autem Officium sex Dominicarum post Epiphaniam, & viginti quatuor post Pentecosten, ut compleatur numerus triginta Dominicarum, quæ esse possunt ab Epiphania usque ad Septuagesimam, & à Pentecoste usque ad Adventum;

tum; ne ulla ex his Dominicis vacet, quin saltem de ea fiat commemoratio. Nam quæ aliquando supersunt post Epiphaniam ante Septuagesimam, ponuntur post xxiii. à Pentecoste, hoc ordine.

- 4 Si Dominica post Pentecosten fuerint xxv. Dominica xxiv. post Pentecosten erit, quæ est vi. post Epiphan. Si fuerint xxvi. Dominica xxiv. erit, quæ est v. & xxv. quæ est vi. Si fuerint xxvii. Dominica xxiv. erit, quæ est iv. & xxv. quæ est v. & xxvi. erit vi. Si fuerint xxviii. Dominica xxiv. erit iii. & xxv. erit iv. & xxvi. erit v. & xxvii. erit vi. & ultimo loco semper ponitur, quæ in ordine est xxiv. post Pentecosten, etiamsi post Pentecosten aliquando non sint nisi xxiii. Dominica. Tunc enim xxiv. ponitur loco xxiii. & Officium xxiii. ponitur in præcedenti Sabbato, quod non sit impeditum Festo ix. Lectionum; alioquin in alia præcedenti die similiter non impedita, in qua fiat Officium de Feria, cum commemorat. Festi Simplicis, si occurrat; & in ea legantur tres Lectiones de Homilia Dominica, omissis Lectionibus Scripturæ illius Feriæ: & in Laudibus dicatur Antiphona ad Benedictus, & Oratio de Dominica xxiii. Quod si tota hebdomada impedita sit Festis ix. Lectionum, etiam translatis, vel aliqua Octava, tunc in Sabbato legatur ix. Lectio de Homilia Dominica xxiii. & de ea fiat commemorat. in Laudibus tantum, cum Antiphona, & Oratione propria.
- 5 Cum verò interdum contingat, ut Dominica iii. vel iv. vel v. vel vi. post Epiphaniam supersit, nec possit poni etiam post xxiii. à Pentecoste, tunc de ea fit Officium in Sabbato ante Dominicam Septuagesimæ, ut dictum est supra num. præcedenti.
- 6 De Dominica ii. post Epiphaniam, quando Septuagesima venerit immediate post Octavam Epiphaniæ, quomodo agendum sit Officium, habetur in propria Rubrica ante Dominicam I. post Epiphaniam.
- 7 Cum autem in Proprio de Tempore dicitur aliqua Dominica esse prima Mensis, in qua primò ponitur initium libri de Scriptura cum sua Historia, id est, cum Responsoris, animadvertendum est, eam dici I. Dominicam Mensis, quæ venerit in Calendis illius Mensis, vel est proximior Calendis, hoc modo: Si Calenda venerint in ii. & iii. & iv. Feria, Dominica prima Mensis erit, quæ præcedit Calendas, licet veniat in præcedenti Mense: si autem Calenda venerint in v. & vi. Feria, & Sabbato, prima Dominica erit, quæ sequitur post ipsas Calendas. Dominica autem prima Adventus non sumitur ea, quæ est proximior Calendis Decembris, sed Festo S. Andrea, vel quæ venerit in ipso Festo.
- 8 Officium Dominicæ sit Semiduplex, & incipit à primis Vesperis in Sabbato: & habet totum Officium integrum usque ad Completorium Dominicæ inclusivè, nisi cum aliquo concurrat, ut dicitur in Rubrica de Concurrentia Officii.
- 9 Ad Matutinum dicuntur tres Nocturni cum Psalmis, ut in Psalterio; & leguntur novem Lectiones, ut in Proprio de Tempore.

10 Quomodo autem sit ordinandum ejus Officium, insuper & de Lectionibus, Responsoriis, & aliis, & quomodo initia librorum Scripturae cum sua Historia sint ponenda, habentur de singulis inferius propria Rubrica.

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Cap. V. De Dominica.

I. Gavant. pag. 18. col. 2. num. 1. -- In omni Dominica &c.) Optime ponderat Henricus Pisart in suo Directorio Canonico ad tit. 4. de Dominicis, quod sicut olim Deus completo opere in Creatione Mundi sex dierum spatio, benedixit diei septimo, & sanctificavit illum; ita recreato, & redempto, per Christum, Mundo, sanctificatus fuit dies Resurrectionis ejus, festumque Sabbati in hunc diem, qui Dominicus dictus est, à Christo, & Apostolis fuit translatus. Unde notat Cyrillus relatus à Cornelio à Lapide cap. 20. in Johannem v. 26. Apostolos jam tunc ex indiciis apparitionum Christi cepisse die Dominico conventus Ecclesiasticos agere, & quasi consuevere diem Dominicum, eo quod eo die Christus resurrexisset; quare Christum ad Dominicam Sabbato substituendam sensim Apostolos direxisse. Qui quidem dies idem Dominicus appellatur, ait Augustinus serm. 251. de Tempore, ut in eo à terrenis operibus, vel mundi illecebris abstinentes tantum Divinis Cultibus serviamus, dantes scilicet huic diei honorem, & reverentiam propter spem Resurrectionis nostrae, quam habemus in illa Dominicae diei varias prerogativas recenset Eminentissimus Card. Bona in tract. de Divina Psalmodia cap. 16. §. 18.

Hujusmodi autem Dominicae, ut etiam alibi innuimus, aliae dicuntur Majores, aliae Minores, sive per annum. Majores sunt illae, in quibus praecipua Creationis, & Redemptionis Mytheria recoluntur; nimirum Dominicae Adventus, & quae occurrunt à Septuagesima usque ad Dominicam in Albis inclusive, & praeterea Dominica Pentecostes, & Sanctissimae Trinitatis. Dominicae mino-

res, sive per annum sunt reliquae, quae per totum anni decursum occurrunt.

Dominicae majores dividuntur in duas Classes. Dominicae primae Classis sunt, quae nulli Festo cedunt, & idcirco nunquam omittuntur, ejusmodi autem sunt: Prima Adventus, Prima Quadragesimae, Passionis, Palmarum, Paschae, in Albis, Pentecostes, & Trinitatis.

Dominicae secunda Classis sunt illae, quae non omittuntur, nisi occurrente Patrono Principali, vel Titulari Ecclesiae, & ejusdem Dedicatione; & tunc de his semper fit Commemoratio in utrisque Vesperis, & Laudibus; Ejusmodi autem sunt: Secunda, Tertia, & Quarta Adventus. Dominicae Septuagesimae, Sexagesimae, Quinquagesimae, Secunda, Tertia, & Quarta Quadragesimae, ut colligitur ex Tabella Breviarii de hac retractante. De quibus etiam mentionem facit Gavantus hoc cap. n. 11.

Dominicae ulterius dividuntur in Vacantes, & non Vacantes. Vacantes dicuntur illae, de quibus nihil omnino fit in Officio currentis diei, uti contingit, quando Festum Nativitatis, aut Circumcisionis, aut Epiphaniae Domini, vel Festa, aut Octava Sancti Stephani, vel Johannis Apostoli, aut Innocentium A.M. vel denique Vigilia Epiphaniae in Dominicam incidunt. Tunc enim quia in Officio ejusmodi Festorum, vel dierum de Dominica, in qua occurrunt, nihil fit ne quidem Commemoratio, idem Dominica eo anno vacare, seu Dominica vacans dicitur. Non Vacantes dicuntur illae, quae vel totum Officium, vel saltem Commemorationem, & Lectionem Evangelii, de suo Officio habent, Gavantus hic

hic num. 4. rationem reddit, cur à Nativitate Domini usque ad Epiphaniam dantur hujusmodi Dominicæ Vacantes.

Dividuntur præterea Dominicæ in *Vagas*, & *fixas*. *Vagæ* dicuntur illæ, quæ nec certum cum aliis ordinem, nec certum *Introitum*, nec alia determinatè necessaria (putà *Offertorium*, *Graduale*, & *Communem*) in Missa habent, & post longum tempus transferuntur: tales autem sunt tantum Tertia, Quarta, Quinta, & Sexta post Epiphaniam, utpote quæ subinde post Epiphaniam, aliquando verò longe post Pentecosten celebrantur, habentque alium *Introitum*, aliud *Offertorium*, & aliam *Communem*, si celebrentur, seu suppleantur post Pentecosten, quam habeant, si celebrentur statim post Epiphaniam. Reliquæ verò omnes ob rationem contrariam *Dominicæ fixæ* dicuntur, nisi prioribus addenda etiam sit Dominica XXIII. post Pentecosten, eo quod & ipsa proprium in die Dominico aliquando non habet locum; id quod contingit, quando post Pentecosten usque ad Adventum numerantur solam XXIII. Dominicæ: tunc enim quia ultima illa Dominicarum, quæ sunt post Pentecosten usque ad Adventum, juxta Rubricam superiorem de *Dominicis*, semper debet esse illa Dominica, quæ est in ordine XXIV. Ideò Officium Dominicæ XXIV. ponitur tunc loco Dominicæ XXIII. Officium autem Dominicæ XXIII. tunc ponitur in Sabbato, Dominicam illam ultimam post Pentecosten immediatè præcedente, dummodò illud non sit impeditum Festo novem Lectionum, etiam translato, & etiam Festo novem Lectionum ad libitum, non tamen Officio Votivo, ut de SS. Sacramento, Immaculata Conceptione, & similibus, ac etiam Festo simplici alioquin in alia præcedenti die similiter non impedita: de hac re discitur etiam Gavantus *hic à num. 7. usque ad 10. inclusive*, & de prædictis Dominicis *Vagis* tractat Gavantus etiam *tom. 1. par. 4. tit. 4. num. 4.*

II. Gavant. pag. 18. col. 2. num. 3. -- *Sunt privilegiata.*) Dividuntur præterea Dominicæ Minores, & per annum in privilegiatas, & non privilegiatas. Privilegiatae sunt quatuor, nimirum eæ, quas recenset Gavantus hic, ceteræ aliæ dicuntur non privilegiatae, quia in his Officium est Dominicale, non verò octavæ illius, infra quam aliquando incidunt.

III. Gavant. pag. 20. col. 2. n. 12. -- *Ea igitur prima esse dicitur, quæ &c.*) Inuit Gavantus, Dominicam primam alicujus Mensis eam censendam esse, quæ venit in Kalendis, vel quæ est proximior Kalendis talis mensis, sive ante, sive post. Lohner autem *par. 5. in Rubricas Breviarii l'iera G.* ait, quod ut clariùs explicetur, illa est dicenda Dominica prima Mensis, juxta Rubricas Breviarii, quæ vel cadit in tres ultimas dies hebdomadæ antecedentis Calendas, vel in quatuor primos dies hebdomadæ sequentis Calendas, quod idem pariter dicendum est cum proportione de Prima Dominica Adventus respectu Festi S. Andreae, nimirum, quod sit illa, quæ vel cadit in ipsum Festum, vel quæ est ipso Festo proximior.

IV. Gavant. pag. 20. col. 2. n. 13. -- *De Officio Dominicali dicemus, cum de Matutino, & aliis &c.*) Pro ordinando Officio Dominicali legenda sunt, quæ traduntur in Rubricis Breviarii tit. 4. de *Dominicis* n. 8. & seqq. & ea, quæ tradit Gavantus *sect. 4. cap. 1. agendo de Matutino, & aliis.*

Advertere tamen debemus, quod Dominicæ Majores, de quibus supra mentionem fecimus, primæ, vel secundæ Classis, non sequuntur Ritus Duplicium primæ, vel secundæ Classis, nam Ritus earum non est nisi semiduplex, exceptis Dominicis Paschæ, in Albis, Pentecostes, & Trinitatis. Ritus porro Dominicarum Paschæ, & Pentecostes cum duobus sequentibus diebus est ad instar Festorum primæ Classis; Dominica in Albis est Duplex ad instar majoris quoad Ritus celebrandi Officium, sed primæ Classis

fis quoad exclusionem aliorum Festorum. Ritus verò in Dominica Sanctissimæ Trinitatis est secundæ Classis. Quæ quidem Dominica in Tabula Festorum recensetur inter Dominicas primæ Classis, unde excludit quodcunque Festum etiam primæ Classis, sed celebratur Festum Sanctissimæ Trinitatis sub Ritu Duplicis secundæ Classis, de

qua re videatur Gavantus *Sectione 6. cap. 19. num. 2.*

Pro coronide hujus Sectionis mentio faciendâ est de Decreto edito à Sacra Rituum Congregat. die 12. Martii 1618. & dato in nostro indice sub num. 41. in quo declaratur, quòd sub nomine Festi novem Lectionum veniat etiam Dominica.

## De Feriis. V.

### RUBRICA.

- 1 **O**fficium Feriale, hoc est, Simplex de Tempore occurrenti, prout in Psalterio, & proprio de Tempore habetur, fit semper in Feriis Adventus, Quadragesima, Quatuor Tempor. Vigiliarum, & in Feria secunda Rogat. quando infra Hebdom. non occurrit Festum Duplex, vel Semiduplex, vel de Oct. quia tunc de hujusmodi Feriis fit commemorat. ut dicitur in Rubrica de Commemorationibus. Si verò in eis occurrat Festum Simplex, de eo fit tantum commemorat. Item per annum fit Officium de fer. illis diebus, quibus infra Hebdom. in Calendario non ponitur aliquod Festum Duplex, Semiduplex, vel Simplex, & non occurrit aliqua Oct. vel Officium S. Maria in Sabbato, vel aliquod Festum sollempne; aut consuetum in aliqua Ecclesia celebrari, quamvis in Calendario hujus Breviarii non sit descriptum.
- 2 Officium Feria in Adventu, Quadragesima, Quatuor Temporum, Vigiliis, & prima die Rogationum, incipit à Matutino: in aliis verò Feriis per annum, inde fit de feria, ubi desinit Offic. precedentis diei, ita ut si precedenti die fuerit Duplex, vel Semiduplex, Offic. Feria incipiat sequenti die à Matutino, si precedenti die fuerit Festum Simplex, de feria fiat à vespertis illius precedentis diei inclusivè. Similiter & quando in Feria iv. & vi. Quatuor Tempor. Septemb. & in Feria iv. Cinerum, ac in vigiliis occurrit aliquod Festum Simplex, de quo fieri debet commemorat. tunc precedenti die (nisi fuerit Festum ix. Lect.) in vesp. fit de Feria, ut in Psalt. sine precibus, cum Oratione Dominica precedentis, & cum commemorat. Festi trium Lectionum in sequenti feria occurrentis, ut dicitur infra in Rubrica de Concurrentia. Terminatur autem Offic. de feria subsequente Duplici, vel Semiduplici ad Nonam: subsequente verò Simplici, de quo fieri debeat Offic. ad Capitulum Vesperarum, quia inde fit de Festo Simplici, absque ulla deinceps commem. Feria.
- 3 Ad Matutinum dicitur unum tantum Nocturnum cum xii. Psalmis secundum ordinem Feriarum in Psalterio, & tribus Lectionibus ut in proprio de Tempore.
- 4 Excipiuntur ab hoc ordinario Officii Ferialis tres Feria majores Hebdomada Sancta, & Feria Octavar. Pascha & Pentecostes, in quibus fit Officium, ut in propriis locis ponitur.

5 *Quomodo ordinandum sit Officium de Feria ad Matutinum & alias Horas: item de Lectionibus & Responsoriis: & quando dicenda sint Preces FERIALES; ac de aliis, quæ ad Officium FERIAE pertinent, habentur inferius de singulis propria Rubrica.*

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Cap. VI. De Feria.

Gavant. pag. 21. col. 1. n. 2. -- *Feriarum genus duplex, majus alterum &c.* Hic FERIAE nomine intelligitur dies, in quam nullum Officium de Sancto, aut alicujus Festi octava, nec de Dominica, Ritu Duplici, aut Semiduplici celebrata, nec demique de Vigilia, aut de B. V. in Sabbato recitandum cadit. Hoc sensu accepta Feria, dividitur in majorem, & minorem, ut innuit, & de quibus satis locutus est Gavantus hoc loco, cujus explicationibus addere debemus, quod FERIAE majores subdividuntur in privilegiatas, & non privilegiatas. Privilegiatae sunt, quæ nulli alteri Officio, aut Festo cedunt, tales sunt sequentes, nempe. Primò *Feria IV. Cinerum.* Secundò *Feria omnes majores Hebdomatae.* Tertiò *Feria omnes infra octavam tam Paschæ, quam Pentecostes;* Nam & dies infra utramque hanc octavam occurrentes ab ipso Breviario Romano, non tantum in proprio de tempore, sed etiam in presenti Rubrica num. 4. FERIAE appellantur. Hæ igitur omnes FERIAE privilegiatae excludunt quodcumque aliud Officium, ac Festum in iis occurrens, etiam primæ Classis, faciuntque id transferri saltem in *Choro*: nam in *Foro*, seu quoad obligationem audiendi Sacrum, & abstinendi ab opere servili, regu-

lariter Festa fori, in hujusmodi FERIIS, ac diebus privilegiatis occurrentia non transferuntur; excipitur tamen ex parte Festum Annunciationis B. M. V. quod occurrens in Feria VI. Parasceves, aut Sabbato Sancto, tam in Choro, quam in Foro transfertur, ut diximus in Tomo superiori, & dicemus etiam infra in proprio de Sanctis.

Cæteræ FERIAE Majores, quæ Festis Duplicibus, aut etiam Semiduplicibus in iis occurrentibus cedunt, dicuntur non privilegiatae, nimirum respectu Festorum 9. Lectionum; nam Festis simplicibus, ac Vigiliis etiam, hæ non cedunt, saltem quoad Officium, quod additur, quia si Vigilia aliqua occurrat in alia Feria sine Commemoratione Vigiliæ, Missa tamen tunc dicitur de Vigilia cum Commemoratione FERIAE Adventus.

*Feriae Minores per annum* (qualis est etiam *Feria III. Rogationum*) cedunt cuicumque Festo etiam trium Lectionum, ita ut in Officio, occurrentis in ea Festi simplicis, de prædicta FERIA III. Rogationum, & multo magis de aliis FERIIS, neque fiat Commemoratio. Eadem FERIAE minores per annum cedunt etiam Officio B. M. in Sabbato, item Vigiliis, necnon diebus infra octavam aliquam, ac à fortiori ipsis octavis.

### De Vigiliis. VI.

#### RUBRICA.

1 **D**E Vigilia sit Officium in omnibus Vigiliis per annum, quæ jejunantur, ubi in Kalendario annotatur hæc vox, *Vigilia*: nisi in die Vigiliæ occurrat Festum novem Lectionum, vel Octava; tunc enim in Officio novem Lectionum legitur nona Lectio de Homil. Vigil. & sit commemoratio de ea ad Laudes tantum, cum Gavanti. Rubr. Brev.

F

tipho-

- tiphona ad Benedictus, & v. Feria occurrentis de Psalt. & Oratione Vigiliæ præterquam in illis Festis majoribus, quæ inferius excipiuntur.
- 2 Si Vigilia occurrat in Dominica, de ea sit Officium in Sabbato, quod non sit impeditum Officio ix. Lection. quia tunc de vigil. sit tantum commemorat. ut dictum est. Excipitur ab hac regula vigilia Nativitatis, & Epiphania Domini, quæ si venerint in Dominica, sit de illis, ut in propriis Rubricis dicitur. Si autem in vigilia occurrat Festum sollemne alicujus loci, vel ex sollemnioribus infra annum, quæ inferius in Rubrica de Commemorationibus numerantur (veluti si in vigilia S. Johannis Baptista venerit Festum Corporis Christi) nihil tunc prorsus, nec commemorat. sit de vigilia, excepta vigilia Epiphania. Idem servetur, quando aliqua vigilia venerit in Adventu, Quadrages. & Quatuor Temporibus; nulla enim in his Feriis de vigilia sit Commemoratio.
- 3 Officium vigil. incipit ad Matutinum, sicut dictum est in superiori Rubrica de Feriis; terminatur autem ad Nonam, quia Vespere sunt de sequenti Festo.
- 4 Officium vigil. totum sit de Feria occurrenti, ut in Psalterio: & tres Lect. leguntur de Homil. in Evangelium vigilia, ut in propriis locis assignatur, cum tribus Responsoriis de Feria occurrenti, ordine in Rubrica de Responsoriis descripto. Dicuntur preces feriales, & Commemorationes communes, aliaque omnia sicut in Feriis Adventus, Quadragesime, & quatuor Temporum: de quibus & de aliis circa ordinandum ejus Officium, habentur inferius propria Rubrica.
- 5 Excipitur ab hoc ordinario vigiliarum, quæ jejunantur, Vigil. Pentecostes, quæ cum tribus nocturnis sub Officio Semidupl. celebratur, ut ibi: & vigil. Nativit. Domini, quæ Nocturno Feriæ excepto, in Laudibus & Horis habet reliquum Officium Duplex. In vigiliis verò Epiph. & Ascensionis, quæ non jejunantur, sit Officium, ut in propriis locis notatur.

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Cap. VII. De Vigilia.

I. Gavant. pag. 21. col. 2. num. 1.-- *Quædam Vigilia &c.*) Hoc nomen Vigiliæ à vigilando derivatur, eo quod primis Ecclesiæ temporibus solent Fideles in præcipuis Festivitatibus noctem in Ecclesia Divinis Laudibus consecrare; de qua re testatur Augustinus in Psalm. 85. dicens: *Si modo pugnamus contra nos, quamvis geramus domum somni carnem istam, & evigilamus in his luminaribus, & Sollemnitatis ista (Sancti Cypriani) dat nobis animum vigilandi, dies illa (æterna scilicet) quales nobis Vigiliis dabit?* Minutius etiam Felix, necnon Sanctus Cyprianus, Pruden-

tius, Concilium Laodicenum, Hieronymus, atque alii harum Vigiliarum mentionem faciunt, allegati præsertim à Johanne Grancolas *Comment. Hist. in Breviar. lib. 1. cap. 20.* & à Petro Anellio Perfico in *tract. de Offic. Eccles. dub. 2. §. 1.* & à Martene in *tract. de antiqua Ecclesiæ disciplina cap. 7. ubi num. 3.* postquam numeris præcedentibus multos antiquos Patres, & Auctores de hac antiqua Ecclesiæ disciplina agentes recensuit, ait, non esse existimandum, hæc fuisse primorum dumtaxat Christianorum exercitia, cum calens Servatoris nostri sanguis ipsos ad omnia

omnia pietatis opera excitaret; nam idem subsecutus sæculis fervor extitit, eadem disciplina in Cathedralibus præsertim Ecclesiis, immò & in aliquibus Parochialibus. Et equidem inter Capitula, quæ incunte sæculo IX. Ahito, Basileensis Episcopus, suæ Diocesis Presbyteris dedit, c. 24. statuit, ut Horas Canonicas tam nocturnas, quàm diurnas nullatenus prætermittant. Uvala, qui circa annum 877. Antisiodorensis rexit Ecclesiam, non solum nocturno Officio ipse minime deerat, sed & absentes nominatim requirebat Fratres puerosque; ut legitur in Historia Episcoporum Antisiodorensium cap. 39. Sæculo X. RATHERIUS, Veronensis Ecclesiæ Præsul, in sua Synodica ad Presbyteros Epist. eis præscribebat, ut omni nocte ad nocturnos surgerent. Alias Idem Martene ibi adducit Historias, quibus ostendit, usque ad sæculum XV. viguisse hanc disciplinam Vigiliarum nocturnarum, præsertim in aliquibus Ecclesiis Cathedralibus.

Hujusmodi Vigiliæ nocturnæ præcesserunt etiam legem Evangelicam, tum apud Ethnicos, tum apud Judæos, qui duodecim horas noctis artificialis dividere solebant in quatuor partes æquales inter se; inæquales verò in se, id est, longiores, vel breviores, juxta noctium longitudinem, vel brevitatem; nam in æstate erant breviores, in hyeme verò longiores, quorum partes stationes, & Vigiliæ militares dicebantur, & horum quilibet tribus horis constabat. Prima incipiebat ab occasu solis, & terminabat in horam tertiam, & dicebatur *Contricinium*; secunda incipiebat ab hora tertia, & terminabatur in horam sextam, & dicebatur *Intempestum*; Tertia incipiebat ab hora sexta, & terminabatur in nonam, & dicebatur *Gallicinium*; Quarta, quæ propriè dicebatur Vigilia matutina, incipiebat ab hora nona, & terminabatur in duodecimam, id est, usque ad ortum solis, & dicebatur *Ancluarum*. Prædictarum Vigiliarum mentio fit in veteri Testamento. De Prima Vigilia *Threnorum* 2.

*vers. 19. lauda in nocte in principio Vigiliarum.* De Tertia *Judicum* 7. *vers. 19. Incipientibus Vigiliis noctis media.* De Quarta, *Exodi* 14. *vers. 24. Jamque advenerat Vigilia matutina.* In Testamento pariter novo multis in locis earundem Vigiliarum habetur expressa mentio; *Luc. 2. vers. 8. Pastores erant in Regione eadem vigilantes, & custodientes Vigiliis noctis.* Sanctus Matthæus *cap. 14. vers. 25.* de Christo loquens ait: *Quarta autem Vigilia noctis venit ad eos ambulans super mare, & idem Christus Dominus Marci* 13. *vers. 35.* dixit: *Vigilate ergo, nescitis enim, quando Dominus domus veniat, serò, an media nocte, an Galli cantu, an manè.* Quod hic dixit serò, intelligit primam Vigiliam noctis; Quod hic dixit media nocte, an Galli cantu, *Luc. 12. vers. 38.* dixit: *si venerit in secunda Vigilia, & si in tertia vigilia venerit.* Et quod hic dixit manè, Sanctus Matthæus supra, *quarta vigilia noctis.* En igitur antiquissimum Vigiliarum nocturnarum usum, à quibus hodiernæ nostræ Vigiliæ nomen desumpserunt. Ethnicos quoque nocturnas Vigilias celebrasse in honorem Deorum, ostendit Card. Bona *Divina Psalmodea cap. 4.* Christianorum Vigiliæ in desuetudinem abierunt, populorum potius negligentia, ac oscitantia, quàm Bonifacii I. *De veto*, quod nullum extat; aut *Can. 5.* Concilii Antisiodorensis, quo Vigiliæ quidem anili superstitione inductæ in privatis ædibus ad honorem quorundam Sanctorum tantummodo vetitæ fuerunt, non verò Vigiliæ illæ, quæ ex antiquo Ritu fieri consueverant.

Scio; Polidorum Virgilium *de Invent. Rer. lib. 6. cap. 4.* tradidisse, quòd nocturna Sacra semper fuerint damnata ob periculum impudicitæ. Verùm hic error, ut egregie ait citatus Bona, tam supinus est, ut exhibitari potius debeat, quàm confutari. Quod enim frequentius exercitium, quæ magis vulgata pietas præsertim in primis Christi cultoribus, quàm sacræ pernoctationes, & pervigilia, ad quæ passim utriusque sexus Fideles in Ec-

clesia convenisse Sancti Patres, quos mox adduximus, commemorant? Immo cum saeculo quarto Vigilantius hujusmodi Vigiliis temerario ausu improbaret, acerrime confutatus est ab Hieronymo, à quo per jocum dicitur Dormitantius. Vide etiam, quae super hac eadem materia observavimus in superiori Tomo *par. 4. Tit. XIII. n. 1.*

Abolitis praedicta ratione universaliter Christianorum Vigiliis, adhuc tamen in aliquibus insignioribus Ecclesiis, ante aliquod Festum sollempne pie, ac laudabiliter observantur, sic in Ecclesia Aurelianensi in nocte Inventionis Sanctae Crucis, testante Guyeto *lib. 1. cap. 17.* nec non in Ecclesia Cenomaniensi in nocte S. Juliani, & in Ecclesia S. Martini Turonensis in nocte Festi transitus ejusdem S. Denique per universam Ecclesiam in nocte Nativitatis Domini. Remanet pariter Vigiliarum nomen ad significandum jejunium, quod sive jure scripto, sive jure tradito, aut generali consuetudine servatur pridie Festorum sollempniorum. Jure quidem scripto in Pervigiis Nativitatis Domini, Assumptionis B. M. & omnium Apostolorum, praeterquam Philippi, & Jacobi, ac Johannis Evangelistae *cap. ex parte, & cap. de observat. Jejun.* Generali vero consuetudine vim praeccepti habente, sive praeccepto tradito, & non scripto, ut vult Cardenas, & alii Theologi in pervigiis Pentecostes, natiuitate S. Johannis Baptistae, S. Laurentii, & Festivitatibus omnium Sanctorum.

Praeter has vigiliis duae aliae recensentur in Breviario à jejunio immunes, Epiphaniae videlicet, & Ascensionis Domini, ideo tamen retentae, quia in his sollempnitatibus perinde ac in aliis, Vigiliae olim sollempnes in Ecclesiis haberentur.

Ex superioribus dictis deducitur, abolitarum Vigiliarum loco non fuisse subrogatum jejunium, ut plerique opinantur, innixi forsitan auctoritati Durandi *in suo Rat. lib. 6. cap. 7. n. 8* utrumque enim, tam jejunium, quam Vigiliis nocturnas praesens Ecclesiae tempori-

bus aequè servatum fuisse, colligitur ex Sancto Ambrosio, qui in *Sermone in Psalmum 109. edit. Rom. de Festo Pentecostes*, commendans exactam Vigiliarum observationem, ait: *Jejunavimus Sabbato, Vigiliis celebravimus, orationibus pernoctantes institimus*, qui Textus refertur etiam à Gratiano *distinct. one 46. cap. nocte*. Eadem veritas comprobari etiam potest ex alio Textu S. Augustini: *In sermone ad Fratres in Eremito*, qui licet supposititius sit, tribuitur nihilominus Auctori, qui floruit saeculo undecimo, ut vult Christianus Lupus, ibi autem haec leguntur: *Scitote Fratres mei, quod antiquitus Patres nostri Fides jejunare consueverunt in Vigiliis magnarum sollempnitatum usque ad noctem*. Eadem veritas demonstratur ex verbis S. Paulini *natali Septimo S. Felicis*, quos refert Guyetus loc. supra cit. minimè officiente textu, qui legitur *in Canone de jejunio cit. distinct. 76.* nimirum - Vigiliam simul, & jejunium celebrari non debere - per jejunium enim, ut ponderat bene Guyetus, non intelligitur ibi actio jejunandi, sed Jejunium Quatuor Temporum, quod dicto Canone cavetur, ne fiat in Vigilia Pentecostes, sed post dictam sollempnitatem, ut modo observatur: Ceterum, priscam esse consuetudinem jejunandi in tali Vigilia, ostendimus etiam in superiori Tomo nostr. *Observ. parte 4.* quo verò jure sit servandum tale jejunium in dicta Vigilia, egregie discutit laudatus Guyetus *cit. lib. 1. cap. 17. quest. 6.*

Reliquum est, ut adnotemus, quod Graeci Profesta appellant eos dies, quibus à nobis Vigiliae nomen appositum est, talia autem Profesta observant dumtaxat in Festis Christo Domino, & B. V. dicatis, videlicet in Natiuitate Domini, Transfiguratione, Natiuitate, Praesentatione, Annunciatione, Hippapante, & Assumptione B. M. in exaltatione, & Processione vivificae Crucis.

II. Gavant. pag. 21. col. 2 n. 3. *Vigilia occurrens in Festo prima Classis.* Inharendo verbis Rubricae de Vigiliis *Tit. 6. n. 2.* Declarat

rat

rat Gavantus, quòd si in Vigilia occurrat Festum sollemne primæ Classis, nihil tunc prorsus, neque commemoratio fit de Vigilia, excipitur tamen ab hac Regula etiam juxta prædictæ Rubricæ dispositionem Vigilia Epiphaniæ, in qua si occurrat Festum Duplex etiam primæ Classis, debet de ea fieri Commemoratio, in primis Vesperis, & Laudibus, cum nona Lectione de Homilia, item in Missa cum Evangelio in fine, ita etiam advertit Guyetus *lib. 4. cap. 5. quest. 5.* & etiam Bissius *lit. V. n. 52.*

III. Gavant. eod. n. 3. *Eo Anno, quo Vigilia S. Johannis Baptiste in idu in Festum Corporis Christi &c.* Refert Gavantus, Leonem X. statuisse, ut eo Anno, quo Vigilia S. Johannis Baptiste incidit in Festum Corporis Christi, pridie ejusdem Festi jejunetur, quarta scilicet Feria, quæ tunc incidet in diem 22. Mensis Junii. Idem etiam confirmavit S. R. C. die 24. Septemb. Anno 1638. cujus Decretum datur in nostro Indice Decretorum pertinentium ad Rubricas Missalis sub n. 281. quod quidem Decretum laudavit, & idcirco super hoc expedit Breve Confirmatorium Urbanus VIII. apud Cherubinum in *Bullario Romano Tom. 4. Constit. 152. que incipit: Cum evenire*, edita eodem Anno 1638. 13. Octobris, & refert eam Peyrinus de *Privilegiis Regularium* in fine operis.

Ex quo autem in præfato Decreto habetur, solummodo anticipandum esse Jejunium die antecedenti, nempe Feria 4. prout jejunaretur in ipsa Vigilia, & nullus habeatur sermo de Officio Vigiliæ: hinc subortum est dubium, an occurrente prædicta Vigilia Nativitatis S. Johannis Baptiste in die Festo SS. Corporis Christi, anticipato jejunio ejusdem Vigiliæ in diem 22. Junii ad formam Constitutionis Urbanæ, debeat in Officio diei 22. prædictæ, ejusdem Evangelii nona Lectio recitari, & in Officio, & Missa de eadem fieri Commemoratio; Remissa fuit discussio hujus dubii à SS. Domino nostro Clemente PP. XI. ad Sac. Rit. Congregationem,

quæ die 18. Septemb. 1706. respondendum esse censuit: *Nihil de Vigilia in Officio & Missa præcedendum esse*, quod quidem Decretum approbavit Laudatus Pontifex die 2. Octob. ejusdem Anni, & datur in nostro Indice num. 241.

Mirabitur forsitan quis, & quæret, cur S. C. in hoc casu cum anticipatione jejunii non conjunxerit Commemorationem Vigiliæ, vel potius ejusdem Vigiliæ Officium, si nullum occurrat Festum novem Lectionum, eo modo, quo fieri solet, quando Vigilia aliqua occurrens in Dominica transfertur in Sabbatum præcedens, tunc enim disponit Rubrica Generalis de *Vigiliis n. 2.* quod de prædicta Vigilia ita translata fiat etiam Officium in dicto Sabbato, quod si sit impeditum Officio novem Lectionum, tunc de Vigilia in eodem Sabbato fiat tantum Commemoratio. Hunc quæsito satisfieri posse crediderim, summos Pontifices, Sacramque Congregationem laudabiliter statuisse in dicto Casu anticipationem jejunii, quia decens non videbatur lætitiæ exortam ex magna sollemnitate, & Festivitate Corporis Christi, jejunio temperare, nullam verò statuere voluisse mutationem Rubricæ Generalis VI. circa Officium, vel commemorationem Vigiliæ, de qua ibi præscribitur, ut supra etiam adnotavimus, quòd si occurrat in Festo primæ Classis, nullum in Officio habeat locum, neque etiam Commemorationem, ne sollemnitas minuatur. Hanc igitur Rubricæ dispositionem S. C. immutatam reliquit in prædicto casu, & solummodo anticipationem jejunii optime præscripsit; quia, ut etiam notat Gavantus hoc n. 3. expedit in similibus casibus transferri jejunium in pridianum diem, absque eo, quòd anticipetur, & connectatur cum jejunio Officium Vigiliæ, separari namque possunt unum ab alio; huic doctrinæ nostri Sapientissimi Doctoris, ac Magistri, adstipulatur etiam Guyetus *lib. 2. cap. 5. quest. 1.* ubi alios similes casus adducit; necnon Bissius *lit. V. n. 50. §. 3. & lit. I. n. 6. a §. 1.*

Discuti hic posset quaestio, utrum praeter Vigilias in Calendario expressas, liceat agere Officium de Vigilia alicujus Festi proprii, puta Patroni; Guyetus *lib. 1. cap. 17. quest. 7.* & Billius *l. t. v. n. 50. §. 11.* cum distinctione procedunt, dicentes, quod si usus agendi Officium talis Vigilia fuerit legitime introductus, non erit profecto reprobandus, quia Rubrica Breviarii non tollunt antiquas Consuetudines, ut declaravit S. R. C. & refert etiam Gavantus noster *sect. X. cap. 2. n. 1.* si vero usus recitandi tale Officium non fuit legitime introductus, nullo modo debet continuari, neque de novo introduci. Non loquimur de jejunio, quod unusquisque pro sua devotione poterit observare.

IV. Gavant. pag. 22. col. 1. n. 4. *Ita ut nec de ea Commemoratio fiat &c.* Quando Vigenerit in Adventu, Quadrages. & Quatuor Temporibus, praescribit Rubrica Generalis *supra n. 2.* ut nulla in praedictis Feriis fiat Commemoratio de Vigilia. Rationem hujus dispositionis assignat Gavantus, dicendo, quia pro Commemoratione Vigiliae legi non potest congruenter Homilia post Homiliam Feriae in Officio trium Lectionum, quae eo Casu sunt vel de Scriptura occurrente, ut in Adventu, vel de Homilia, ut in Quadragesima. Verum haec ratio solum probat, quod Evangelium, & tertia Lectio de Vigilia dici non debeat, non autem evincit, quod saltem Commemoratio in Laudibus de Vigilia fieri non posset, sicut interdum de simplicibus Festis, etiam si nona Lectio de eisdem ob justam causam aliquando non legatur, tamen fit Commemoratio in Laudibus. Dicendum ergo erit, ait Lohner *par. 5. Tit. 5.* hoc esse speciale privilegium, aut potius requisitum Vigiliarum, ut si de iis Officium, aut nona Lectio dici nequeat, etiam Commemoratio de eisdem omitti debeat.

Sed huic ponderationi addi posset, non fieri in tali Casu Commemorationem de Vigilia, etiam ex defectu (generaliter loquen-

do) Antiphonae, & Versus, quae resumenda essent ex Feria currenti. Verum cum regulariter ea adhibeantur pro Officio Feriae, hinc desunt pro Commemoratione Vigiliae. Dixi (generaliter loquendo) quia revera tempore Adventus, & Quadragesimae, nec non quando anticipatur Officium, vel Commemoratur Dominicae, pro Commemoratione Vigiliae possent desumi Antiphonae & Versus de Psalterio, in rigore tamen hujusmodi Antiphonae, & Versus dici non possunt propria Feriarum Adventus, & Quadragesimae; idcirco tales Antiphonae, & Versus essent substituta, non vero propria pro Commemoratione Vigiliae. In quatuor vero temporibus Septemb. & quando anticipatur Officium, vel Commemoratio Dominicae, & a Feria IV. Cinerum usque ad Sabbatum sequens inclusive, licet pro Commemoratione Vigiliae posset desumi Antiphona ex Feriis Psalterii, nihilominus quia deficiunt Versus, quorum loco quamvis posset substitui Versus ex Laudibus Dominicae, vel ex Vesperis, ut in Casu multiplicium Commemorationem de Sanctis praescribit Rub. IX. de Commemorationibus n. 3. Attamen cum demandetur, nullam debere fieri in supradictis Casibus Commemorationem Vigiliae in Officio, sed tantum in Missa, nisi aliter a S. R. C. disponatur, eisdem Rubricis inhærere debemus, & nullam substituere Antiphonam, neque Versum. In Missa autem occurrente aliquo Festo fit quidem Commemoratio Vigiliae, quamvis de ea non sit facta Commemoratio in Laudibus, ut videre est apud nostrum Gavant. *Tom. 1. part. 1. Tit. 3. n. 4.* quia cum Vigilia habeat Orationem propriam, & non confundatur cum Oratione Feriae, hinc nulla est ratio omittendi ejusdem Commemorationem in Missa, quae in sola Oratione consistit; at in Laudibus Commemoratio involvit etiam Antiphonam Feriae, quae est designata pro Cantico *Benedictus*, & Versus, qui post Hymnum dicuntur, quae, ut dixi, deberent repeti, si facienda esset Com-

memoratio Vigiliæ, cum semper in tali Commemoratione defumantur Versus, & Antiphona ex Feria tunc currente.

Ex dictis sequitur, Vigiliæ dividi posse primò in eas, quæ non jejunantur, nempe celebrantur sine jejuniò, & in eas, quæ jejunantur, ut Rubricistæ loquuntur. Prioris generis in Ecclesia universali sunt tantùm duæ, ut innuimus supra, nempe Vigilia Epiphaniæ, & Vigilia Ascensionis. Posterioris verò generis sunt reliquæ Vigiliæ omnes, quarum supra mentionem fecimus, & quæ, quia annexam habent obligationem servandi jejunium (cujus finis est Carnis mortificatio, ac castigatio, non autem restauratio, ut apud Cardinalem Bona *Rerum Liturgic. lib. 1. cap. 21. §. 6.* notat Zonar.) ideò ad hoc designan-

dum in his Vigiliis Ecclesia adhibet colorem violaceum.

Dividi possunt secundò Vigiliæ in majores, & minores. Majores dicuntur, quæ sub ritu semiduplici (uti Vigilia Epiphaniæ, & Pentecostes) vel omnino sub ritu Duplici (uti Vigilia Nativitatis Domini à Laudibus inchoatur) celebrantur. Minores autem sunt illæ, quæ non nisi ritam simplicis habent.

V. Gavant. pag. 22. col. 1. n. 6. *De partibus Officii Vigiliæ dicemus infra &c.* Effet hîc agendum de ordine servando in Vigiliæ Officio, at quia de hoc loquitur Rubr. 3. generalis sub n. 3. & seqq. & nos cum Gavanto agemus in suis locis, idcirco talis ordo petendus erit, ubi de singulis Horis Canonis loquemur.

## De Octavis. VII.

## RUBRICA.

- 1 **D**E Octava fit Officium, vel saltem commemoratio (quando aliquo Festo, vel Dominica impeditur) per octo dies continuos. Fit de Octava in Paschate Resurrectionis, in Ascensione Domini, in Pentecoste, in Festo Corporis Christi, in Festis, quibus in Calendario apponitur Octava: item in Festo Dedicationis propria Ecclesia, & in Festo principalis Patroni, & Titularis loci, vel Ecclesia, & in Festis aliorum Sanctorum, quæ apud quasdam Ecclesias, Congregationes, & Religiones consueverunt sollempniter cum Octavis celebrari: nisi illa Festa venerint in Quadragesima, quo tempore omittitur Officium cujuscumque Octava. Quòd si aliquod Festum, quod celebrari solet cum Octava, paulò ante Quadragesimam venerit, & jam per aliquot dies factum sit Officium de ejus Octava, adveniente Quadragesima, nihil amplius fit de ea, nec commemoratio. Et idem servetur de Octavis nondum absolutis, quando supervenit Festum Pentecostes, & dies 17. Decembris.
- 2 In Pascha Resurrectionis, & Pentecostes Officium Octava terminatur in Sabbato sequenti ad Nonam.
- 3 Infra Octavas fit de Festis Duplicibus & Semiduplicibus occurrentibus, ac etiam translatis, ut dicitur infra de Translatione Festorum num. 5. cum Commemoratione Octava: nisi illa Festa sint de sollempnioribus enumeratis in sequenti Rubrica de Commemorationibus, in quibus nulla fit commemoratio de Octava: exceptis Octavis Nativitatis, Epiphaniæ, & Corporis Christi, de quibus fit semper com.

commemoratio, quocumque Festo in illis occurrente. Infra Octavas autem Pascha & Pentecostes non fit de Festo aliquo, etiam principali Patrono, vel Titulari Ecclesia, vel Dedicatione ejusdem, sed transfertur post Octavam. Infra Octavam Epiphania fit tantum de Patrono, vel Titulari Ecclesia, & de Dedicatione ejusdem (non tamen in die Octava) cum commemoratione Octava. Infra Octavam Corporis Christi fit tantum de Duplicibus, non tamen translatis, cum commemoratione Octava, de Semiduplicibus vero infra eam non fit, sed transferuntur post Octavam, ut dicitur in Rubrica de Translatione Festorum. De Simplicibus infra quascumque Octavas occurrentibus fit tantum commemoratio, praterquam in duobus diebus post Pascha & Pentecosten, ut dicitur in sequenti Rubrica de Commemorationibus. De Dominicis infra Oct. occurrentibus fit Officium, ut dictum est supra in Rubrica de Dominicis. Si dua Octava simul occurrant, (ut Octava S. Johannis Baptista & Octava Corporis Christi, vel Octava Patroni, vel Titularis Ecclesia cum alia Octava) quando non erunt celebranda Festa ix. Lectionum, vel dies Dominicus, fiet Officium de digniori cum commemoratione alterius. De die autem Octava cujuscumque Festi, fit totum Officium Duplex cum commemoratione diei infra aliam Octavam. De Festis occurrentibus in die Octava, servetur, quod dicitur in Rubrica de Translatione Festorum.

- 4 Officium de Octava fit cum tribus Nocturnis, novem scilicet Psalmis, & novem Lectionibus, (exceptis Octavis Pascha & Pentecostes, in quibus fit cum uno Nocturno, ut suis locis ponitur) & omnia dicuntur sicut in die Festi, prater Lectiones: quarum prime tres semper sunt de Scriptura occurrente in Officio de Tempore, praterquam infra Octavam Assumptionis B. Mariae, in qua singulis diebus posita sunt Lectiones propriae de Canticis Cantorum; aliae Lectiones secundi & tertii Nocturni dicuntur, quae infra Octavam posita sunt. Infra Octavam vero Patroni, vel Titularis Ecclesia, aut alterius Festi, quod in aliquibus Ecclesiis consuevit cum Octava celebrari, si apud illas Ecclesias non habentur propriae & approbatae Lectiones, pro ii. & iii. Nocturno infra Octavam repetantur Lectiones posita in Comuni Sanctorum, si de Sanctis fiat Octava, alioquin Lectiones diei Festi.
- 5 Infra Octavam Officium fit Semiduplex: in die Octava Duplex. In Vesperis infra Octavam omnia dicuntur sicut in secundis Vesperis Festi, & in primis Vesperis diei Octava omnia sicut in primis Vesperis Festi, nisi aliter in propriis locis notetur.
- 6 Infra Octavas non fiunt Suffragia consueta de Sanctis, nec dicuntur Preces ad Primam & Completorium, etiamsi fiat Officium de Dominica, vel Festo Semiduplici. In aliis, quomodo sit ordinandum Officium de Octava, habentur inferius propria Rubrica.

## Novæ Observations, &amp; Additiones ad Gavanti

## Cap. VIII. De Octava.

I. Gavant. pag. 22. col. 1. num. 1. -- *Beata Virgini duæ &c.*) Hodie Octava B. V. tres recentur, Octavis enim Nativitatis, & Assumptionis; addita est ab Innocentio PP. XII. die 15. Maji 1693. etiam pro universa Ecclesia Octava Conceptionis ejusdem Immaculatae Virginis Mariae, de qua re extat Constitutio ejusdem Pontificis in suo particulari Bullario, quæ incipit -- *In Excelsa Sedis Apostolica Specula &c.*

II. Gavant. eod. num. 1. -- *De quarum origine vide, quæ scripsimus in Præfatione ad Octavarium Romanum.*) Sicut de Vigiliis ostendimus supra, ita de octavis, quibus augustiora Mytheria, & sollempniora Sanctorum Festa recoluntur in Christiana Ecclesia, dicendum est, quod à Judæorum Ecclesia originem suam trahunt, quam quidem veritatem fuse satis demonstravit sapientissimus noster Gavantus in sua erudita Præfatione ad octavarium Romanum, quam consulere poterit curiosus Lector, & idcirco ab indaganda hac origine nos hic abstinemus, ne eadem repetamus. Duo tamen in hanc rem observare lubet, quæ à præstantissimo nostro Auctore prætermissa fuerunt. Quale illud in primis est, quod adnotat Græcolas *lib. supra cit. cap. 45.* quod Beda, qui floruit Anno Domini 731. de Pentecostes octava tantum meminit. Theodorus, Carolo Magno coævus, Natalis tantum, & Epiphaniæ octavarum mentionem facit. Sanctorum verò Festis nullæ adhuc tributaerant; octavo enim tantum sæculo præcipuis Festis octavæ assignari in Occidente cœperunt; earum usum ignorant Græci. Hæc Græcolas; ex cujus tamen observatione inferre non licet, quod Bedæ, & Caroli Magni temporibus Paschatis octavæ non celebraretur; hæc enim in omnibus Sacramentariis, Beda etiam vetustioribus habetur,

GAVANT. Rubr. Brev.

sicut etiam octava Natalis Domini. Theophaniæ quidem octava in codice Gelasiano non extat, sed in Gregoriano utique reperitur. Sanctorum autem octavas quod attinet, in mox laudato codice Gelasiano leguntur octava SS. Apostolorum Petri, & Pauli nec non S. Laurentii, sed hæc in Gregoriano non habetur. Verum prædictas SS. Apostolorum, & Laurentii octavas adjectas fuisse dictis Sacramentariis, censet Græcolas *loc. cit.* quod de octava S. Laurentii negare non ausim, de altera autem apertissime nego.

Secundò observandum est; quod licet antiquitus recolerentur dictæ octavæ, nihilominus diebus intermediis de Sanctis non solum nullum recitabatur officium, sed neque ulla de ipsis fiebat Commemoratio, de quo aliquod vestigium extat in Breviario Romano pro Sancta Agnete, in cujus octava *Sanctæ Agnetis secundo* officium fit. At postea, sex dierum intervallum eodem Festi, cujus celebratur octava, officio repletum fuit, ut etiam octavæ Sanctorum octo diebus durarent. Refert Micrologus *cap. 40.* Romæ octavis omnibus etiam Domini nostri, excepta Paschatis, & Pentecostes hebdomada, Psalmos de Feria, ad Matutinum nunquam prætermittos fuisse, licet Invitatorium, Antiphona in Psalmos, & Responsoria de Festo essent, quia tres tantum Lectiones in octavis erant. Addit idem Auctor *cap. 44. juxta Romanam auctoritatem nullorum sanctorum octavas observare debemus, nisi unde certam aliquam traditionem à Sanctis Patribus habemus. Eorum quoque, quorum octavas celebramus, nullam quotidianam mentionem per interjacentes dies agimus, quia nullam auctoritatem inde habemus, exceptis de S. Maria, & de S. Petro, quorum memoriam, & alio tempore non cessamus celebrare:* Hæc Micrologus, qui floruit sæculo undecimo. Festis igitur B. V. scilicet

G

ejus

ejus Assumptione, & Sancti Petri juxta Romanum morem, non horum officium, sed Commemoratio tantum diebus intra octavam fiebat. Postquam verò officia diebus illis inserta fuere, Dominicæ officium recitabatur infra octavam Radulphi *Ævo*, ipso testante *proposit. 10.* quod adhuc servatur juxta Rubricas nostri Breviarii Romani, exceptis Dominicis infra octavam Ascensionis, Epiphaniæ, Natalis, & Corporis Christi, quæ Festa sunt Domini nostri, quibus multa de Festo cum Dominicæ officio miscentur, at in octavis aliis Dominicæ officium integrum non intermittitur, quia æquum non est, diem intra alicujus Sancti octavam, Domini Festo, & officio præferre, ut optime ponderant Rubricistæ.

III. Gavant. eodem n. 1. -- *De Patrono loci Microlog. subobscurè tradit, quare non excedunt numerum septemdecim.*) De Festo Patroni principalis debere celebrari Octavam, dubium non est, nam id statuitur in superiori Rubrica num. 1. & constat ex Decreto dato in nostro Indice sub n. 63. Rursus quoniam in Calendario Romano addita est, ut diximus, Octava Conceptionis B. M. V. hinc fit, modo Octavas excedere numerum septemdecim.

IV. Gavant. eod. num. 1. -- *Quæ addit recentior fieri Festum cum Octava tum Canonizationis, tum Beatificationis Sanctorum, aperte fallitur.*) Optime docet noster præclarissimus Auctor, & Magister, quod post editum à S. Pio V. Breviarium, nulla potest induci Octava ultra jam recensitas, sine Sedis Apostolicæ auctoritate, & hinc inferebat falli Castald. cujus à nobis suprâ num. 9. in *Additionibus ad Caput II. Sectionis II.* allata est sententia circa sollemnitate Canonizationis Sanctorum, cum Octava celebrandam, quam tamen, ob rationes, & auctoritates ibi allegatas, rejicere non potuimus. Ad Beatos verò quod attinet, de his extat Decretum editum à S. R. C. die 5. Octobris 1652. approbante Innocentio X. 16. Decembris ejusdem Anni, & dato in nostra Appendice De-

cretorum ad Missale num. 717. In quo habetur, quod nullus possit excedere limites verbales Indultorum Sedis Apostolicæ super Beatificationibus, præsertim in celebratione Missarum, & Officii cum Octava.

Verum quamvis de Beatis nequeat celebrari Octava, solent tamen celebrari per Triduum aliqua sollemnia, quorum methodum forsân dabimus in calce hujus voluminis, & erit eadem, quæ servata fuit in Ecclesiis PP. Cappuccinorum occasione recentissimæ Beatificationis sequutæ anno 1737. B. Josephi à Leonissa, ejusdem Ordinis Sacerdotis professi.

V. Gavant. pag. 22. col. 2. n. 2. -- *Inter has Octavas est differentia, quæ, &c.*) Octavarum aliæ sunt privilegiatæ, aliæ non privilegiatæ: ex privilegiatis verò aliæ magis, aliæ minus privilegiatæ; unde Octavarum differentia ad quatuor Classes, seu gradus potest revocari, ut optime dicit Gavantus. In primo gradu sunt duæ; nempe Octava Paschæ, & Pentecostes, in quibus de nullo Festo, etiam primæ Classis potest celebrari Officium, neque alicujus Festi potest fieri Octava, & ne quidem Commemoratio. Solùm Festi simplicis (sine aliqua tamen de eo Lectione) si tale infra illas, post primam earum Triduum occurrat, fit commemoratio in Vesperis, & Laudibus, & ad Missam: tres autem primi dies hujus utriusque Oct. tanquam Festa duplicia 1. Classis, etiam Festi simplicis Commemorant. & à fortiori ultimam de eo Lectionem, omnino excludunt. In secundo gradu est Octava Epiphaniæ, quæ ad differentiam Octavæ Paschatis, & Pentecostes admittit tantum Festum Patroni principalis, itemque Festum Titularis, & Dedicacionis Ecclesiæ, diebus infra ipsam occurrentibus celebrari, sed semper cum commemoratione ipsius Octavæ Epiphaniæ tam in Officio, quam in Missa. In ipsa die tamen Octava Epiphaniæ nullum permittitur celebrari Festum ex supradictis, etiamsi sint pri-

mæ Classis, unde est, quòd talis Octava primæ Classis nuncupatur à Rubricistis.

VI. Gavant. eod. n. 2. - - *In tertio gradu Octava Corporis, &c.*) Recenset Gavantus in tertio gradu Octavam SS. Corporis Christi, quæ duplicia tantùm infra eam occurrentia, non autem translata, admittit, nisi sint altioris ordinis, hoc est, sollemniora, utpote primæ, aut secundæ Classis; & in die Octava excludit duplicia secundæ Classis occurrentia, admittit enim tantùm duplicia primæ Classis, quæ occurrunt. Vide Decr. S. R. C. 30. Maji 1669. quod datur in nostro Indice num. 198. in quo declaratur, duplicia 2 Classis in Festo SS. Corporis Christi occurrentia transferri posse infra talem Octavam.

Quod hucusque diximus circa Festa 2. Classis etiam translata, nimirum quòd possint eorum Officia celebrari infra Oct. Corporis Christi, est consonum doctrinæ Bissi, quæ legitur in T. 1. *Verb. Festum Corp. Christi l. F. n. 66. §. 1.* huic sententiæ non refragatur Decret. datum in nostro Indice sub n. 110. quia ibi S. R. C. consultata fuit non de Festo 2. Classis, sed de Duplici Minori.

In supradictis autem Festis etiam si primæ Classis, semper facienda est commemoratio dictæ Octavæ Corporis Christi, tam in Officio, quàm in Missa. Poterat olim infra Octavam SS. Corporis Christi non modo fieri commemoratio de occurrente Festo simplici, sed etiam legi de eo nona Lectio propria, & fieri ex duabus una, si duas ejusmodi habuisset. At verò ex Rubrica præfixa huic Festo ac ex Decretis Sacr. Rit. Congregat. quæ mox innuemus, infra Octavam Corporis Christi, adhuc quidem fieri potest, & debet commemoratio Festi simplicis, non tamen infra illam potest amplius dici ejusdem Festi nona Lectio, nisi in casu, quo fit Officium duplex de alio Sancto, dummodo hujus Festum non sit duplex primæ Classis, hoc enim aliunde omnem Festi simplicis, & Commemorationem, & Lectionem excludit.

Non autem esse legendam de simplici nonam Lectionem, nisi in dicto casu Festi duplicis S. R. C. decrevit 12. Septembris 1671. & 21. Januarii 1679. ut videre est in Decreto dato in nostro Indice num. 65. & in alio num. 182. 10. Januarii 1693. Id etiam apparet ex altero Decr. num. 235. edito 4. Apr. 1705. ex quibus Decretis liquet, nonam Lectionem de Festo simplici esse legendam infra prædictam Octavam, quando celebratur Officium de aliquo Sancto sub Ritu duplici. Vide etiam Bissium *tom. 1. verb. Lectiones in Officio sub n. 45.*

VII. Halden *part. 3. tit. 4. n. 3.* proponit hanc quæstionem, an ob paritatem, vel etiam identitatem rationis, similiter dicenda sit nona Lectio de Festo simplici (si propriam unam, vel duplicem habeat) infra prædictam Octavam Corporis Christi, occurrente tunc, quando Officium infra eandem Octavam fit de die infra Octavam SS. Trinitatis in eo loco, ubi SS. Trinitas est Titulus Templi, adeoque celebratur cum Octava? quæ Octava (ait Halden) cum juxta Octavarium Romanum sit dignior, quàm Octava Corporis Christi, ideò Feria sexta, & Sabbato post Festum Sanctissimi Corporis Christi, Officium, & Missa non dicuntur de Octava Corporis Christi, sed de Octava SS. Trinitatis, cum hujus Præfatione in Missa, cum Commemoratione tamen Octavæ Corporis Christi in Officio, & in Missa. Hæc Halden, subnectens, à se propositum fuisse, & aliquatenus discussum hoc dubium *par. 2.* occasione Festi SS. Paullini, sed reverà agitat hoc dubium dicta quidem *par. 2.* sed occasione Vigiliæ S. Johannis Baptistæ *n. 25.* ubi supponit, & asserit, esse communem omnium sententiam, quòd Octava Corporis Christi in prædicto casu, tam quoad Officium, quàm quoad Missam cedat Octavæ SS. Trinitatis tanquam digniori; qua supposita sententia, alia ibi proponit dubia, & resolutiones, quæ attento Decreto S. R. C. infra allegando, omnino corruunt. Idem Hal-

den sustinet prædictam suam sententiam par.  
1. tit. 31.

Ex parte autem Magistrorum Caremoniarum Ecclesiæ Cathedr. Bracharenſis quaſitum fuit à S. R. C. *An diebus sexta, & septima Octava SS. Trinitatis, ubi est Titulus Ecclesiæ, cum de ea fiat Officium, quia est dignior Octava Corporis Christi, debeat etiam dici nona Lectio de simplici illis diebus occurrente, an omittatur ratione Octava Corporis Christi?* Et S. R. C. ad hoc dubium respondit: *Diebus sexta, & septima infra Octavam Festi SS. Trinitatis, ubi est Titularis, faciendum esse Officium de die secunda, & tertia infra Octavam Corporis Christi, cum commemoratione Sanctissimæ Trinitatis.* Ita die 8. Junii 1709. in urbe Bracharenſi. ad secundum dubium, & datur in nostro Indice num. 249. Hæc S. R. C. ponderatissima resolutio dirimit omnes illas quaestiones, quas Halden cit. locis proponit, nec potuit bene resolvere, cum ignotum ei fuerit hoc Decretum, & quia ædificavit semper innixus falso fundamento, supponens nimirum cum omnibus Rubricistis, vi Rubricæ extantis in Octavario Romano præfixæ diei sexto, & septimo Octavæ SS. Trinitatis, & ex iis, quæ tradit Gavantus *sect. 6. cap. 19. n. 7.* Octavam SS. Trinitatis digniorem esse Octava Corporis Christi, & in prædictis diebus Feria VI. & Sabbato subsequentibus ad Festum Corporis Christi, & qui sunt sexta, & septima dies infra Octavam Trinitatis, agendum esse Officium de die infra Octavam ejusdem SS. Trinitatis in Ecclesiis, quarum Titulus est, cum sola commemoratione de die infra Octavam SS. Corporis Christi; quando juxta supra dictam resolutionem ponderatissime editam à S. R. C. oppositum omnino est tenendum, nimirum in tali concursu Octavam SS. Corporis Christi esse digniorem, & non cedere Octavæ SS. Trinitatis, & ideo in prædictis duobus diebus dicendum esse Officium de Octava Corporis Christi cum commemoratione Octavæ SS. Trinitatis ab iis, qui illam celebrant.

Non me latet, in prædicta communi falsa sententia versari etiam Johannem Baptistam Pittonum in *decis. ad Sacros. Ritus n. 868.* quinimodò etiam doctissimum Guyetum *lib. 4. cap. 6. quest. 5.* qui quamvis forsitan plus æquo diligens sit in examinandis Gavanti placitis, & valde propensus in refellendis ejusdem doctrinis, nihilominus in hac controverſia eidem, nullam movens difficultatem subscribit, hac ratione motus, quòd cum SS. Trinitatis mysterium primum sit, ac dignissimum omnium, ejus Octava, ait ipse, in Ecclesiis, quarum Titulus est, præferatur Octavæ SS. Sacramenti. Non consideravit hic Auctor sapientissimus, quòd in præferendis Octavis non debet considerari tantum major sublimitas mysterii, cujus Octava celebratur, sed alia privilegia, & sollempnitates, quas infra examinabimus, & equidem si sola major sublimitas, & dignitas mysterii sufficeret ad talem Octavam prælationem, Octava SS. Trinitatis non solum esset dignior Octava Corporis Christi, sed etiam Octava Paschatis, & Octava Pentecostes, nam mysterium SS. Trinitatis profectò est dignius, & sublimius mysterio Resurrectionis Christi Domini, & mysterio missionis, ac descensus Spiritus Sancti super Apostolos, & nihilominus certissimum est, Octavæ Paschatis, & Pentecostes digniores esse, & in superiori gradu ad Octavam SS. Trinitatis. Verissimum est, quòd Gavantus in suo Octavario digessit Lectiones pro hujusmodi Octava Trinitatis præ Octava Corporis Christi, sed stante supradicta resolutione, & responsione S. R. C. modo expungendæ viderentur prædictæ Lectiones ab Octav. Romano, nempe pro diebus sexta, & septima infra Octavam SS. Trinitatis, & mutanda Rubr. ibi præfixa, quia de hac Octava non debet fieri, nisi commemoratio in dictis diebus, & Officium recitari de Octava Corporis Christi.

Dixi, ponderatissimam fuisse resolutionem mox allegatam S. R. C. quia reverà, consideratis etiam Gavanti fundamentis, ostendi-

tar hæc veritas, nimirum Octavam SS. Corporis Christi esse digniorem, adeoque præferendam Octava SS. Trinitatis, nam hic n. 6. ait idem Gavantus, quod dignitas Octavarum attendi debet penes Classes Festorum; primæ enim Classis Octava dignior est quacunq; Octava secundæ Classis etiamsi personæ dignioris, sic Octava primæ Classis alicujus Sancti Titularis Ecclesiæ erit profectò dignior quacunq; Octava secundæ Classis, etiam B. V. quamvis hæc sit persona magis digna quocunq; alio Sancto. In eadem verò Classe si sint duæ Octavae, debent attendi personæ, ut dignoscatur, quam sit dignior, ait Gavantus, hoc ordine: Christus, B. V. Angeli, Apostoli, &c. ita, ut Octava primæ Classis Christi Domini censenda sit dignior Octava primæ Classis B. V. & sic Octava primæ Classis B. V. sit dignior Octava primæ Classis Angelorum, &c. Progreditur Gavantus dicendo, quod, cæteris paribus, dignior est ea Octava, quæ est universalior, id est, quæ latius extenditur, quod etiam notat Guyetus *lib. 4. cap. 6. quest. 6.* quo posito (quod tamen indiget diligenti discussione) concludi deberet, quod in prædicto casu Octava SS. Corporis Christi, quam celebrat universalis Ecclesiæ, dignior est reputanda, quam Octava SS. Trinitatis, quam celebrat particularis Ecclesiæ; ambæ enim hujusmodi Octavae sunt primæ Classis, ambæ sunt in primo ordine, cum Festum SS. Trinitatis, & Festa Christi Domini reputentur in eodem ordine ratione dignitatis divinarum Personarum, quapropter si verum est, quod in tali concursu Octavarum ejusdem Ordinis, & Classis, dignior ea sit, quam celebrat universalis Ecclesiæ, procul dubio attenda hac declaratione, dignior censenda erit Octava Corporis Christi, quam Octava SS. Trinitatis.

Præterea idem Gavantus hoc n. 2. dividit Octavas in quatuor genera, sive ad quatuor gradus revocat earundem differentiam; in primo gradu, ut etiam supra innuimus, col-

locat Octavas Paschatis, & Pentecostes, quæ sunt supra omnes alias privilegiatæ. In secundo gradu collocat Octavam Epiphaniæ ob Privilegia ibi recensita. In tertio gradu collocat Octavam Corporis Christi, ob Privilegia, quibus decoratur, nimirum, quia admittit tantum Festa duplicia, non tamen translata, nisi sint primæ, & secundæ Classis, juxta Decr. S. R. C. die 30. Maji 1699. datum in nostro Indice num. 98. In quarto gradu collocat Octavas reliquas, inter quas profectò recenseri debet Oct. Tit. SS. Trinit. hæc enim non excludit Festa semiduplicia, nec duplicia translata, non excludit Missas votivas, & de *Requie*, quæ tamen omnia excludit Oct. Corporis Christi, ob quam etiam rationem ex eodemmet Gavant. deducitur, Octavam Corporis Christi esse digniorem Octava SS. Trinitatis, ipse enim supra n. 5. appellat, cum Radulpho Tungrensi Octavam Prorogationem Festi. Ex quo sequitur (ait idem Gavantus) quod eo nobilior est Octava, quò minus interrupta est à Festis aliorum; quapropter si Octava Corporis Christi excludit semiduplicia occurrentia, & duplicia translata, non tamen primæ & secundæ Classis, est minus interrupta à Festis aliorum, quam Octava SS. Trinitatis, unde iterum dico etiam ex hoc capite, ad tradita per Gavantum sequitur, primam ex dictis Octavis esse nobiliorem secundam. Denique ex his, quæ docet ipse Gavantus n. 4. deducitur aliud argumentum ejusdem nostri assumpti: Dicit enim ibi noster Auctor: *adhuc accidit alia differentia inter Octavas trium graduum posteriorum, quod occurrente Festo in iisdem admisso, semper tamen de Octava Epiphaniæ, Corporis Christi, & Nativitatis ejusdem fit Commemoratio ob earundem dignitatem* Igitur juxta Gavantum, & omnes alios Rubricistas, quamvis in Festis primæ aut secundæ Classis occurrentibus infra Octavas quarti gradus, nempe non Privilegiatas (excepta tamen Octava Nativitatis Domini) nulla fiat Commemoratio, neque in Officio, neque

in Missa de dicta Octava, infra quam occurrunt prædicta Festa, nihilominus de Octava Corporis Christi, sicut etiam de Octava Epiphaniæ, & Nativitatis Domini ob eandem dignitatem, necesse est facere Commemorationem in utrisque Vesperis, Laudibus, & Missa, in quocunque duplici quantumvis sollempni, & primæ Classis infra eas occurrente, unde sequitur, quòd si in Feria VI. post Festum Corporis Christi occurrat Festum S. Johannis Baptistæ, à celebrantibus Octavam Trinitatis debet quidem omitti Commemoratio hujus Octavæ, non verò Commemoratio Octavæ Corporis Christi, quo posito nonne evidenter constat, etiam apud ipsos nobiliorem esse, & digniorem Octavam SS. Corporis Christi, quàm Octavam sui Titularis, nempe SS. Trinitatis?

Ex quibus omnibus concludendum est ponderatissimè, ut dixi, S. R. C. ad propositum dubium negasse, ut ita loquar, suppositum, nempe nihil respondisse quoad nominam Lectionem de Festo simplici, sed declarasse, quòd in concursu talium Octavarum SS. Corporis Christi, & SS. Trinitatis, hæc secunda debet cedere illi primæ, utpote magis sollempni, & majoribus privilegiis decoratæ, & idcirco Feria VI. & Sabbato subsequentibus immediate Festo Corporis Christi, etiam illi, qui celebrant Octavam SS. Trinitatis, debeant recitare Officium, & consequenter dicere Missam de Octava Corporis Christi cum sola Commemoratione Octavæ SS. Trinitatis, & idcirco nona Lectio de simplici fortè occurrente in prædictis diebus est omittenda.

VIII. Gavant. pag. 22. col. 2. eod. n. 2. -- *In quarto gradu Octavæ reliqua Nativitatis Domini, Ascensionis, & aliorum Sanctorum, &c.* In quarto gradu Octavarum recenset Gavantus Octavas non privilegiatas, infra quas fit non tantum de Festo duplici, & semiduplici quocunque tunc occurrente, sed etiam de duplici quocunque translato; in hujusmodi

tamen Festis fit commemoratio dictæ Octavæ, nisi Festum illud occurrens sit primæ, aut secundæ Classis, tunc enim nec in Officio, nec in Missa fit commemoratio de die infra Octavam hujusmodi quarti gradus, seu non privilegiatam. Excipitur tamen Octava Nativitatis Domini, nam de hac semper fit, ut inuimus supra in utrisque Vesperis, Laudibus, & Missa, commemoratio, uti habetur in *Rubrica nona de Commemorationibus.*

IX. Gavant. pag. 22. col. 2. n. 3. -- *Verum Rubrica satis verificatur in duobus casibus, &c.* Diximus, quòd Octavæ quarti gradus admittunt Festa quæcunque, non modò occurrentia, sed etiam translata, & ista non tantum si sint duplicia, sed etiam si sint semiduplicia, cum hoc tamen discrimine, ut de duplicibus tam ante, quàm infra Octavam translatis fieri possit Officium quocunque die infra hujusmodi Octavas, Festo alio novem Lectionum, aut Dominica occurrente, non impedita, at verò semiduplicia translata in duobus tantum casibus à Gavanto signatis, possunt celebrari in prædictis Octavis non privilegiatis, nempe primò, quando semiduplex occurrit in Dominica, secundò, quando in Festo Ascensionis Domini, tunc enim transfertur semiduplex in diem proximè sequentem, si non fuerit Festo alio duplici, vel semiduplici impedita; nam si talis Feria secunda fuerit prædicto modo impedita, tunc Festum semiduplex veniens in Dominica infra Octavam, debet transferri post Octavam, ita, ut tale Festum (sunt verba Rubricæ X. generalis de Translatione Festorum n. 5.) *infra Octavam non transferatur, nisi in proximè sequentem diem.* Prædictam Rubricam de Festo semiduplici occurrente in Dominica interpretatus est Gavantus, & extendit ob identitatem rationis etiam ad Festum semiduplex occurrens in Festo Ascensionis, & in quocunque alio Festo habente Octavam, de quo asserit, quòd fiat in proxima die immediata infra Octavam, & quia hæc Gavant-

Gavanti interpretatio communiter admittitur à Rubricistis, ideo suo placito, & tali extensioni me subscribo.

An verò idem quoque sit intelligendum de Festo Semiduplex alia die infra hujusmodi Octavas, Festo alio duplici, aut semiduplexi impedito occurrente, ita, ut de eo fieri debeat Officium die proxima infra Octavam, alio Festo novem Lectionum non impedita (uti fit, quando cadit in Dominica infra Octavam) vel utrum sit transferendum tunc post Octavam, controvertunt Doctores, non esse transferendum in tali casu Festum semiduplex in diem proximam infra Octavam Festo novem Lectionum non impeditam, sed omnino post Octavam censet Pater Gobat *tract. 5. n. 658. in Append. lit. R.* suamque sententiam ex principiis utriusque juris, & ipsius etiam Rubricis, ac præcipuo Rubricarum interprete Gavanto nostro petitis, stabilire conatur. Et equidem spectando rationem, ut ait Halden *par. 3. tit. 4. num. 3.* & finem Rubricæ de non transferendo, ultra unum diem, Festo semiduplexi in Dominica infra Octavam occurrente, sed eo tunc transferendo post Octavam, ne alioquin, ut notat idem Gavantus *hac sect. cap. 10. n. 4. imperturbetur Octava, & numero dierum nimis minuatur*; Gobati sententia admodum fundata apparet; nihilominus alii amplectuntur contrariam opinionem, sustinendo, quòd Festum semiduplex occurrens etiam extra Dominicam, in Festo v.g. Duplici infra Octavam non privilegiatam, non sit transferendum post illam, quando dies immediate sequens alio Festo Duplici, vel Semiduplexi impedita non fuerit, sed tunc perinde sit faciendum de eo Officium die immediate sequenti, ac quando incidit in Dominicam. Hanc sententiam tradit, & sequitur Lohner *Instruct. pract. II. par. 1. tit. 3. num. 2.* Henricus Pisart in suo *Directorio Canonico tit. 10. num. 7.* afferens in favorem suæ sententiæ Decretum à S. R. C. editum 30. Septembris 1679. & datum in nostro Indice n. 104. in

quo hæc habentur: *Festum Semiduplex incidens in Festo Duplici infra Octavam non privilegiatam, transferendum est in diem immediate sequentem Festo novem Lectionum non impeditam, ut sit de Semiduplexi occurrente in Dominica infra Octavam non privilegiatam.*

Huic Decreto, sicut etiam alteri eodem anno emanato, & dato in nostro Indice sub num. 105. derogatum profecto fuit per Decretum generale editum die 22. Decembris 1696. & datum in nostro Indice sub num. 191. Verùm quia ad dubium propositum ex parte Ecclesiæ Brugensis de Festo Semiduplexi incidente in Festum habens Octavam, vel in Dominicam infra Octavam, an die immediate sequenti debeat de ipso Semiduplexi celebrari Officium, etiamsi remaneat aliud Officium Duplex reponendum, v.g. anno 1736. Festum Ascensionis incidit in die 10. Maji, seu in Festo S. Antonini, & remanebat celebrandum Festum Duplex S. Petri Martyris, hinc quærebatur, an die 11. Maji celebrari deberet Festum Semiduplex S. Antonini juxta Rubricam de Translatione Festorum num. 5. transferendo ulterius Festum S. Petri Martyris, quia, inquam, præfatum dubium resolutum fuit decisione affirmatiiva, & deinde ab eadem S. Congregat. jussum fuit, quòd dentur Decreta emanata sub diebus 30. Septembris 1679. hinc videntur per hanc resolutionem datam à S. R. C. die 23. Junii 1736. *in Brugen.* & positam in nostro Indice per extensum sub num. 316. videntur, inquam, iterum confirmatæ dispositiones prædictorum Decretorum emanatorum die 30. Septembris 1679. in quibus statutum erat, quòd Festum Semiduplex incidens in Festo Duplici infra Octavam non privilegiatam, transferendum est in diem immediate sequentem Festo Duplici, vel Semiduplexi non impeditam. Et quòd de Festo translato faciendum est Officium die immediate sequenti, etiamsi adfit aliud ejusdem dignitatis Festum prius translatum,

latum, quam tamen confirmationem, & renovationem predictorum Decretorum, nonnulli in dubium revocant. Certiorem habent confirmationem Decreti emanati 15. Septemb. 1702. & dati in nostro Indice sub num. 226. de Festo Semiduplici occurrente in Dominica infra Octavam aliquam non privilegiatam; de quo pariter Decreto facta fuit mentio in dicta *Brugen*. Rursus certior quoque videtur resolutio de Semiduplici incidens in Festum habens Octavam; nimirum quid debeat de eo celebrari Officium die immediate sequenti eo modo, quo fit de Semiduplici occurrente in Dominica infra Octavam talis Festi, quia S. R. C. in eadem *Brugen*. affirmativè respondit, quoad utramque partem dubii præpositi, & deinde additum fuit, dentur Decreta sub diebus 30. Septembris 1679. & 16. Septembris 1702.

Concludendum itaque est, certissimum esse, quod Festum Semiduplex sive occurrat in Dominica infra Octavam non privilegiatam, sive in Festo Duplici habente Octavam; (& solum probabile, si occurrat in Duplici infra Octavam) celebrandum est die immediate sequenti, Festo novem Lectionum non impedita, etiamsi reponendum foret Officium majoris Ritus, sive æqualis, sed prius in Calendario.

Advertendum est, quod quamvis Octava Corporis Christi admittat Festa Duplicia non translata (immò etiam translata, dummodo sint primæ, vel secundæ Classis) nihilominus, si prima die hujus Festivitatæ occurrat Festum Duplex, quod non sit primæ, aut secundæ Classis, non potest de eo fieri Officium die immediate sequenti, sed transferri debet post Octavam, sicut disponit Decretum S. R. C. 7. Decemb. 1680. quod Decretum datur in nostro Indice sub num. 110. Vide etiam aliud sub num. 198.

Cæterum quoad Semiduplicia translata, quæ non possunt celebrari infra Octavam,

videantur ea, quæ tradit Gavantus *hoc cap. 8. n. 3. & cap. 10. num. 4. huj. Sect. 7.*

X. Gavant. pag. 23. col. 1. n. 6. -- *Undenam major Octava dignitas attendi debet, &c.*) Dignior Octava profectò dicenda est illa, quæ est Octava Festi dignioris: major autem dignitas Festi, & consequenter etiam Octavæ, non est ex eo desumenda (ut in Adnotationibus ad Octavarium Romanum, & hoc loco monet Gavantus, atque ex eo Arnaud.) quòd Sanctus ille in Ecclesia, ubi celebratur Octava, videatur potiore habere locum; sed attendenda est dignitas, ut innuimus supra, penes Classes Festorum, & Octavarum occurrentium: nam prima Classis est dignior secunda; in pari autem Classe attendendus est Ordo personarum, earumque dignitas, prout supra declaravimus; & in pari Ordine personarum, & dignitate, considerandi sunt ordines diversi, seu Ritus sollemniores ab Ecclesia præscripti, quibus diversimode celebrantur Octavæ, de quibus satis supra locuti sumus. Insuper Titulos, ex quibus desumi queat major Festi unius (& consequenter etiam Octavæ) præ altero sollemnitatis, vide apud P. Gobat *tract. 5. n. 6; 8. lit. V. & X.* necnon apud Guyetum *lib. 4. cap. 6. q. 6.* & alibi, prout notat Halden. *par. 3. tit. 4.* cum quo sentit, & monet, id, quod tradit Gavantus supra de desumenda dignitate Festorum ex ordine, sive ferie, qua Sancti collocantur in Litanis, non esse integrè verum, cum S. C. R. declaraverit die 18. Septembris 1666. ut patet in nostro Indice n. 92. nullam adesse disparitatem inter translationem Festorum Apostolorum, ac illam Evangelistarum, sed occasione dictæ translationis faciendum Officium, quod prius in Calendario proponitur. Et inharendo huic resolutioni eadem S. R. C. declaravit die 17. Julii 1700. prout datur in nostro Indice num. 239. quòd si Festum S. Marci Evangelistæ occurrat in Feria secunda post Dominicam Resurrectionis; & simi-

fimiliter Festum SS. Apostolorum Philippi, & Jacobi in Dominica in Albis, ac propterea juxta Rubricas utrumque sit transferendum, prius transferri, & reponi debeat Officium S. Marci. En igitur, quod quamvis Divus Marcus in Litaniis posteriorem locum habeat, Sancti verò Apostoli priorem; nihilominus quia Apostoli, & Evangelistæ sunt in eadem Classe dignitatis Personarum; rursus quoniam Festum utrumque ex dictis SS. est secundæ Classis, hinc statuitur, quod Festum S. Marci si transferri debeat, non cedit locum suum Festo SS. Apostolorum Philippi, & Jacobi. Quando itaque præferibitur, quod si transferenda fuerint duo Festa ejusdem Ritus, quæ eodem die occurrunt, prius celebretur de digniori, juxta ordinem Litaniarum; hoc justum, & congruum est, quando in reliquis sint omnino paria, nam in tali casu omnimodæ paritatis, procul dubio præferendum est Festum de digniori, juxta ordinem Litaniarum, sed in nostro casu omnia non sunt omnino paria, quia juxta regulam juris prior in tempore est potior in jure; prior autem in tempore, & in Calendario Ecclesiastico est Divus Marcus, & ideo debet præcedere in translatione Festum dictorum Apostolorum.

XI. Gavant. eodem num. 6. -- *Dignior est Octava, quam celebrat Universalis Ecclesia, &c.* In eadem sententia versatur Guyetus loco supracit. quæst. 6. nimirum, quod inter pares omnino octavas ea, quæ est universalior, præferenda est particulari, sed cum idem Guyetus doceat, quod octava, utpote quid accessorium, sequitur naturam Festi tanquam sui principalis; & cum adit Decretum S. R. C. 12. Julii 1704 datum in nostro Indice num. 227. ubi allegatur aliud simile, necnon duo alia ab iis non discordantia, in quorum primo præscribitur; præferenda esse Festa particularia Festis universalibus, hinc sequi videretur, Octavas horum Festorum particularium præferendas esse Octavis Fe-

Gavant. Rubr. Brev.

stæ universalium. His tamen non obstantibus, nos quoque cum Gavanto & Guyeto asserimus, octavas universales, cæteris paribus, præferendas esse octavis particularibus, ex eo, quod ista concessa sunt aliquibus Festis universalibus de præcepto Ecclesiæ servandis Ritu duplici primæ, vel secundæ Classis gaudentibus, & ut plurimum Vigilia cum Officio, & jejunio insignitis. Et equidem Sacra Rituum Congreg. die 21. Augusti 1688, statuit octavam S. Johannis Baptistæ præferendam esse octavæ Dedicacionis Ecclesiæ, quod Decretum datur in nostro Indice num. 156. supra verò allegata Decreta nihil officiant huic sententiæ, quia non intelliguntur de Festis universalibus, ex Præcepto Ecclesiæ quoad forum servandis. Immo etiam Festa particularia si quæ sint de præcepto servanda in aliqua Diocesi, cæteris paribus, præferri debent Festis ejusdem Ritus. Et reverà Lateranensis, Vaticana, & Liberiana Urbis Basilicæ, postquam multos annos celebrarunt die 26. Maji Festum S. Eleutherii P. P. sub Ritu duplici; accedente Festo S. Philippi Neri ejusdem Ritus in Urbe de præcepto quoad forum servando, celebrant alia die Festum S. Eleutherii.

XII. Gavant. pag. 23. col. 1. num. 7. -- *Dubitari potest de Octava Dedicacionis, an sit major &c.* Resolvit Gavant. hoc loco, quod Octava Dedicacionis Ecclesiæ sit dignior alia octava, etiam Patroni loci, vel Titularis Ecclesiæ, sed Guyetus loco supracitato varia adducit argumenta in favorem contrariæ sententiæ, concludit tamen, quod hujus opinionis neque est assertor, neque impugnator, sed media via incedendo, existimat, in hac re servandam esse consuetudinem Ecclesiarum, ut quæ primas dant Dedicacioni, quæ verò Patrono loci, in sua quæque stare agendi ratione, & nihil innovare permittantur. Ego tamen inharendo vero sensui Rubricæ, rationi, & æquitati, censerem, quod si Patronus vel Titularis Ecclesiæ fue-

H

rit

rit B. M. V. & juxta Decret. S. R. C. 21. Augusti 1688. & datum in nostro Indice num. 156. S. Johannes Baptista, vel SS. Apostoli Petrus & Paulus, debet fieri de Titulari cum commemoratione Dedicationis; in reliquis præferenda est octava Dedicationis.

XIII. Gavant. eodem num. 7. - - *Dignior erit Octava Assumpt. B. M. V. quàm Octava Dedicationis &c.* Postquam dixerat Gavantus, majus esse Festum Dedicationis Ecclesie, quàm ullius Sancti, quia in illo recolluntur beneficia toti Ecclesie collata, quæ haud dubie superant beneficia cuivis Sancto donata, quæ in ejus Festo commemorantur; procedit ulterius dicendo, digniorem esse Octavam Assumptionis B. V. quàm octava Dedicationis, quia majora beneficia contulit Deus unì Deiparæ in ejus Assumptione, quàm contulerit toti militanti Ecclesie; ex quo colligit Guyetus *lib. 4. capit. 6. quest. 5.* nullam pariter octavam etiam Dedicationis esse præferendam octavæ omnium Sanctorum, quia Sancti omnes simul sumpti, & præstant singulis seorsim, & sunt ipsimet tota Ecclesia non jam militans, sed Triumphans. Addit ulterius hoc argumentum ad confirmandam hanc sententiam, nimirum: illius Festi octavam cuique alteri præferendam esse, cujus Festum alteri cuicumque

Festo præferatur; cum autem Festum omnium Sanctorum præferatur Festo cujuslibet Patroni, & Dedicationis; hinc sequitur etiam ejus octavam præferri debere, nam accessorium sequitur naturam principalis. Præterea in prædicto Festo omnium Sanctorum præcipuum locum obtinet ipsamet Beata Dei Genitrix Maria, ut patet ex Martyrologio Romano, in quo annunciatur hoc Festum his verbis - *Festivitas omnium Sanctorum, quam in honorem Beata Dei Genitricis Mariæ, & Sanctorum Martyrum Bonifacius IV. dedicato Templo Pantheon, celebrem, & generalem instituit agi quotannis in Urbe Romæ &c.* Et reverà tale Templum sub hoc titulo est, *S. Mariæ ad Martyres.* Unde ob eandem rationem, qua Assumptio B. M. præferatur Festo Dedicationis, huic debet præferri etiam Festum omnium Sanctorum. Denique constat etiam hæc veritas ex Decretis S. R. C. in qua proposito dubio: An reliquis diebus octavæ omnium Sanctorum, præferri debeat octava Dedicationis Ecclesie in illis occurrens? die 5. Martii 1695. respondit: octavam omnium Sanctorum tanquam digniorem præferendam esse octavæ Dedicationis Ecclesie, quod Decretum datur in nostro Indice num. 187. Præstat hoc loco exhibere præsentem Tabellam.

TABEL-

# TABELLA COMPARATIONIS

Inter plures Octavas simul occurrentes, ut sciatur, quæ sit dignior,  
& alteri præferenda.

Ad tramites Rubricarum Breviarii Romani, & Decretorum S. R. C.

Nativitatis Domini, Paschæ, & Pentecostes.	0	0	0	0	0	0	0	0
Epiphaniæ, Ascensionis, Corporis Christi, Assumptionis B. M. V. & omnium Sanctorum.	0	1	1	1	1	1	1	1
Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, & Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli.	0	1	5	5	1	5	5	1
Dedicationis propriæ Ecclesiæ.	2	1	5	5	1	6	5	0
Patroni, vel Tituli Ecclesiæ.	2	1	3	3	4	3	0	4
Fundatoris, vel Patroni Congregationis, seu Instituti Secularis.	2	1	3	3	3	3	3	4
Fundatoris, vel Patroni Instituti, seu Congregationis Regularis.	2	1	3	0	0	0	3	4
Patroni Principalis Regni, Provinciae, Diocesis, Civitatis, seu Loci.	2	1	3	3	4	3	3	4
Festorum propriorum primæ Classis.	2	1	3	3	4	3	3	4
Conceptionis, & Nativitatis B. M. V.	0	6	2	2	2	2	2	2
S. Laurentii Martyris.	0	6	2	2	2	2	2	2
Festorum propriorum secundæ Classis.	2	3	2	2	2	2	2	2
Diei infra quamcumque Octavam.	2	0	0	0	0	0	0	0
1. Prima dignior.								
2. Secunda dignior.								
3. Præferenda, quæ est Personæ ordinis dignioris, & si Personæ sint æquales, præferenda est antiquior, aut sollemnior.								
4. Secunda dignior, nisi prima fuerit B. M. V.								
5. Prima dignior, nisi secunda fuerit B. M. V.								
6. Præferenda, quæ est Personæ ordinis dignioris, & si Personæ sint æquales, præferenda, cujus Festivitas Sollemnius est celebrata.								
Notandum, quod si S. Jo. Evangelista, seu SS. Innocentes fuerint Patroni, vel Titulares Ecclesiæ, eorum respectivè Commemoratio infra Octavam facienda est immediatè post Commemorationem Nativitatis Domini.								
	Feria sexta post Octavam Ascensionis.	Festorum propriorum secundæ Classis.	Festorum propriorum primæ Classis.	Patroni, vel Tituli Ecclesiæ Cathedralis, seu Maurici nullius Diocesis.	Dedic. Eccl. Cathedr. vel Matricis nullius Diocesis in Civit. seu Loco tantum.	Patroni principalis Loci, Civitatis, Diocesis, Provinciae, seu Regni.	Patroni, vel Tituli Ecclesiæ.	Dedicationis propriæ Ecclesiæ.

XIV. Gavant. pag. 23. col. 2. n. 8. -- *Sicut à Quadragesima &c.*) In postrema recognitione Brev. excluduntur octava à die decima septima Decembris usque ad Epiphaniam, sicut etiam per totam Quadragesimam, nihilominus Clemens PP. X. Anno 1672. die 31. Decembris extendit privilegium, à Clemente IX. sub die 20. Martii 1668. & 16. Februarii 1669. concessum, Monialibus Conceptionis B. V. M. Immaculate in Campo Martio de Urbe, celebrandi in earum Ecclesia Festum S. Benedicti, & S. Scholasticæ cum octava, extendit, inquam, ad totam Congregat. Cassinensem, nempe tam ad Monachos, quam ad Moniales eidem Congregat. subjectas, & S. R. C. die 17. Februarii 1672. Congregat. Hispaniarum Vallesoletanæ Ordinis Sancti Benedicti concessit facultatem celebrandi eadem Festa S. Benedicti, & Sanctæ Scholasticæ cum octava, etiam quando eorum officia celebrantur in Quadragesima. Eadem autem Sacra Rituum Congregat. die 24. Januarii 1682. statuit, quod qui habent privilegia celebrandi octavas in Quadragesima, non idè debent facere commemorationem in Feria IV. Cinerum, & datur hoc Decretum in nostro Indice num. 123. Ulterius eadem S. R. C. declaravit, quod in prædicto Officio Feriæ IV. Cinerum, relinquendo Commemorationem octavæ, debent d. Privilegiati dicere Preces, Psalmos Graduales, & servare omnino Rubricas d. Feriæ IV. Cinerum. Idem confirmatur in Decreto emanato die 23. Junii 1736. in Ensilden, quod datur in nostro Indice sub num. 324. ubi additur, quod si octava S. Scholasticæ occurrat Feria 4. Cinerum; nihil omnino sit de illa octava, quæ terminatur ad primas Vesperas ejusdem Feriæ IV. Cinerum exclusive, & conformiter ad hoc Decr. idem ferè statuitur; Si octava S. Benedicti incidat in Dominicam Passionis, ut videre est in Decreto sequenti dato sub n. 325.

XV. Gavant. pag. 24. col. 1. n. 9. -- *In prius Vesperis nihil sit &c.*) Inchoata aliqua octava, & supervenientibus prædictis temporibus, in quibus octavæ non celebrantur, cessari debere à quacunque octava jam inchoata, & nondum absoluta, declarat Gavantus hic, & cum eo Guyetus *lib. 2. c. 5. q. 4.* sed dubitatur, quo in loco sit cessandum, an statim post Nonam, an dictis insuper Vesperis, & Completorio: primum asserit noster Gavantus hoc n. 9. in eo saltem casu, in quo dies octava incidit in diem 17. Decembr. aut in Feriam IV. Cinerum, seu Vigiliam Pentecostes: tunc enim, ait, absurdum esset pridie facere primas Vesperas de eo Officio, de quo neque Matutinum, & Laudes, nec quidquam aliud eo die faciendum occurrit. Ex quo inferit, terminandam esse octavam pridie ad Nonam; adeoque in Vesperis consequentibus agendum esse de Feria, id quod confirmat etiam n. 13. Eodem modo esse agendum non tantum in casu proposito diei immediate præcedentis diem octavam, sed etiam absolute de quocunque alio die infra octavam inchoatam, asserit Ceremoniale Monasticum *lib. 4. c. 5. n. 6.* Verum dicti Ceremonialis opinio refellitur à Guyeto *lib. 4. c. 12. q. 6.* ex quo compertum est, Officium cujuslibet alterius diei infra octavam non terminari ad Nonam, sed habere insuper (si nullum saltem sequatur Festum) Vesperas, & Completorium, quæ non possunt illi detrahi ob sequentem Feriam, cujus Officium inchoatur dumtaxat à Matutino. Exemplum, quod affert Gavantus num. 13. diei octavæ in Dominicam Privilegiatam incidentis, ob idque carentis primis Vesperis, & exigentis Vesperas de Feria, par omnino non est, in eo siquidem casu, verè absurdum esset tribuere primas Vesperas diei octavæ, de qua postridie fieri debet ad summum tantum Commemoratio; at in casu proposito, cessante prorsus, & quoad Officium, & quoad Commemorationem die octava, absurdum non est, immò valde

valde congruum; Officium inchoatum diei infra octavam absolvere, cum nihil aliunde obset, eo modo, quo absolveretur Officium Festi Semiduplicis in tali die occurrentis. Concludendum itaque in prædicto casu juxta cit. Dec. n. 325. Vesperas recitandas esse de die illo Ritu Semiduplici ad instar aliorum dierum infra octavam, videlicet uti in secundis Vesperis. De Feria VI. post octavam Ascensionis, suo loco sermonem habebimus.

XVI. Gavant. pag. 24. col. 1. n. 11. -- *Festum habens octavam, si transferatur &c.* Est clara Rubricæ dispositio, quod Festum habens octavam, si transferatur post suam octavam, vel si celebretur in die ejus octavæ, tunc eo anno illud Festum amittere octavam, nisi quoad hoc habeatur aliquod privilegium, quale habent Monachi Cassinenses pro octava Sancti Benedicti, & PP. Minimi pro octava S. Francisci de Paula. Quid autem agendum sit de illa octava, cujus Festum infra ipsam octavam transfertur; respondet optimè Guyetus *lib. 4. c. 12. q. 3.* & ipsi inhaerens Bissius *lit. O. n. 16. §. 10.* in tali casu eos dies infra octavam esse supprimendos, qui transacti sunt à die celebrationis Festi principalis: quare si Festum ipsum celebratur secunda die infra octavam, tunc de diebus infra octavam omittenda erit secunda dies; ita, ut dies infra octavam in hoc casu incipiat à tertia die; si verò Festum principale celebratur tertia die infra suam octavam, tunc omittenda erunt secunda, & tertia dies; ita, ut post Festum, dies infra octavam incipiant à quarta die, & sic de singulis discurrendum; neque de prioribus diebus fieri debuit aliqua Commemoratio, quia, ut bene notat Guyetus, octava nihil aliud est, quam continuatio Festi; ad quid ergo facere Commemorationem dierum continuationis illius Festi, quod adhuc non est inchoatum?

Hic nobis oritur aliud dubium super Festo SS. Annunciationis B. M. V. quando jux-

ta Decretum Alexandri VIII. datum in nostro Indice n. 159. debet transferri ad Feriam secundam post Dominicam in Albis, ut contingit in Tabula quinta, in qua habetur Litera Dominicalis A. Epacta verò 19. 20. 21. 22. 23. & in Tabula sexta, in qua occurrit Litera Dominicalis B. Epacta verò 18. 19. 20. 21. 22. & 23. in prima enim ex dictis Tabulis die 25. Martii occurrit Sabbatum Sanctum, in secunda verò ex dictis Tabulis in dictam diem 25. Martii incidit Feria sexta Parasceves. Cum in prædictis casibus transferatur Festum Annunciationis ad Feriam secundam post Dominicam in Albis, etiam quocumque alio Festo impeditam, ita, ut eadem Feria prædicto casu eveniente perpetuis futuris temporibus pro sede propria, & fixa memorato Festo Annunciationis assignata, & stabilita intelligatur: Et in illa eo prorsus modo, & forma præfatum Festum quoad Officium, & Missam celebretur, quibus propria die 25. Martii in Calendario Romano appositum celebraretur; oritur, inquam, dubium, utrum de eodem Festo in tali casu debeat celebrari Octava ab illo Clero, cujus Ecclesiæ Titulus est Annunciatio B. V. Ideo enim de tali Festo non celebratur Octava regulariter loquendo, quia occurrit in Quadragesima, sed in nostro casu hoc Festum celebratur tanquam in sede propria eo tempore, quo non prohibentur Octavæ; hinc ad propositum dubium respondendum videtur, in Ecclesiis Annunciationi dicatis, tali Festo non esse denegandam Octavam in prædictis casibus, incipiendo à dicta Feria II. tanquam à die propria. Et ita sentit etiam Fagiolus in Calendario perpetuo Rationali in *Adnot. ionibus ad mensem Martii lit. L. sub n. 2.*

Advertatur tamen huic sententiæ Johannes Baptista Pitonus in *Decisionibus ad Sac. Rit. n. 1019.* & putat, se verum dicere, quia ex die fixa non venit consequenter celebratio Octavæ in Officiis pro aliquo casu transferendis. Ponderare tamen debuisset

prædictus Auctor, quòd in prædicto casu Festum, & Officium Annunciationis non est simpliciter translatum, sed suum mutavit domicilium, ita, ut Feria 2. post Dominicam in Albis tunc sit illi assignata ab Alexandro VIII. tanquam dies fixa, & propria, ac si esset dies 25. Martii; cum autem tale tempus non excludat celebrationem Octavæ cuiuscumque Festi, sicut excludit tempus Quadragesimale; hinc concludendum est, quòd in Ecclesiis, in quibus Annunciatio est Titulus illarum, debeat absque dubio celebrari cum sua Octava, quod enim (etiam juxta eundem Pittonum ibi) fieri nequit tempore prohibito, fieri potest tempore permisso; ob quam rationem idem Pittonus allèrit, quòd quando Annunciatio juxta Tabulam primam, vel secundam, occurret in Feria IV. vel V. infra Octavam Paschæ, celebrabitur 30. vel ultima Martii, & sic poterit continuari Octava per unum, vel duos dies, juxta ea, quæ initio hujus nostræ observationis diximus, sed si hoc verum est, quando tale Festum transfertur infra ejusdem Octavam, & remanent aliqui dies, in quibus de eadem Octava celebrari potest Officium, quodnam erit absurdum, si concedatur initium ejusdem Octavæ, quando incipit prædictum festum in Feria 2. post Dominicam in Albis, tanquam in die proprio, & fixo, ut supra explicavimus?

Unica potest esse difficultas super Lectionibus 3. nocturni, quænam nimirum essent recitandæ? in Octavario enim Romano quamvis habeantur Lectiones 2. nocturni pro quacunque Octava B. V. habentur tamen Lectiones particulares 3. nocturni pro aliis Festis B. V. præterquam pro Festo Annunciationis, quia cum hoc regulariter celebretur tempore Quadragesimali, in quo omnis Octava excluditur, ideò pro Octava hujus Festi nullæ reperiuntur assignatæ, legendæ post 3. nocturnum. Sed etiam huic difficultati occurritur, quia hujusmodi Lectiones pro 3. nocturno, nempe Homiliæ in

Evangelium *Missus est*, dici poterunt illæ, quæ habentur in Officio Almæ Domus Lauretanæ, vel Expectationis Partus ejusdem B. M. V. vel in Festo S. Gabrielis Archangeli cum Responsoris, ut in Festo Annunciationis, & prædictæ Lectiones sufficiunt, quia in Tabula V. infra dictam Octavam Annunciationis occurrunt multæ Sanctorum Festivitates, in quibus non potest recitari Officium de Octava Annunciationis, sed solum ejusdem fieri Commemoratio, & equidem videat Lector dictam Tabulam V. & reperiet die 4. Aprilis Fer. 3. immediate sequenti post Festum Annunciationis occurrere Festum Sancti Isidori Episcopi, & Conf. Dup. Fer. 4. S. Vincentii Ferrerii Dup. Fer. 5. S. Josephi Dup. 2. Classis translatum, Fer. 6. S. Joachim Dup. pariter translatum, Sabbato, S. Benedicti Dup. translatum Dom. 2. post Pascha Semid. de ea, & die 10. April. occurret Feria 2. in qua ab iis, qui celebrant dictam Octavam, recitabitur Officium de Octava Annunciationis legendo in 1. nocturno Lectiones de Fer. occur. in 2. nocturno Lectiones 2. nocturni S. Bernardi in Officio translationis Almæ Domus Lauretanæ usque ad illa verba *fecundaretur & Caro*, vel Lectiones 2. nocturni S. Ildefonsi in Festo Expectationis partus B. V. vel Lectiones 2. nocturni, quæ habentur in Festo S. Gabrielis Archangeli; nempe *Sermo S. Bernardi &c.* In 3. nocturno, Homiliæ in Evangelium *Missus est*, ut in prædictis Festis, & ut supra innuimus.

In sexta pariter Tabula habentur omnes dies impediti, ut videre est, & die 11. Aprilis celebrabitur de Octava Annunciationis eo modo, quo mox diximus, transferendo Festum Sancti Leonis PP.

XVII. Gavant. pag. 24. col. 1. num. 12. *Dies Octava quia non transfertur, excludit &c.* Doctrina, quæ traditur hic à Gavanto, nimirum quòd dies Octava, quia non potest transferri, excludit, & transferri facit Festum duplex in ea occurrens, non solum minus,

nus, sed etiam majus, colligitur ex Rubrica de Translatione Fistorum num. 2. Hoc idem colligitur ex Decreto S. R. C. de die 22. Januarii 1707. dato in nostro Indice n. 244. & ex alio 19. Junii 1700. ibi n. 216. vide tamen specialem dispositionem pro Festo SS. Nominis B. M. V. in Decreto dato in nostro Indice n. 155.

XVIII. Gavant. pag. 24. col. 2. n. 13. *Recitabis Vesperas cum Psalmis Sabbati, à Capitulo de Dominica privilegiata, & in fine addes Commemorationem &c.*) Gavanti sententiam, & S. R. C. decisionem amplectuntur omnes, & de hac tractant Corlettus in praxi tr. 1. par. 1. cap. 24. in addit. on. sub n. 22. Billus tom. 2. lit. T. verb. Translatio Fistorum. Sub n. 73. §. 8. Tale Decretum habetur etiam inter Rubricas Breviarii Ordinis minorum S. Francisci à S. R. C. approbatas n. 49. & 97. in quibus additur, quod in dictis Dominicis privilegiatis, occurrentibus infra Octavas, debet fieri Commemoratio Octavae tam in primis, quam in secundis Vesperis, & Laudibus, & omittuntur suffragia Communia, nec non preces ad primam, & Completorium.

XIX. Gavant. eodem n. 13. *Neque erant secunda Vesperae de die infra Octavam, qua terminantur ad nonam Sabbati &c.*) Non placet Guyeto hoc Gavanti assumptum, nimirum terminari in nona Sabbati Officium de die infra Octavam; quia hoc modo loquendi metitur Gavantus singulos dies infra Octavam, quasi singula Festa, quod naturae ipsius Octavae repugnat, neque enim Octava Festum est, sed Continuatio, & Prolongatio Festi, quod tamdiu perseverat, quamdiu durat Octava, & idcirco nisi improprie dictum est, Officium diei infra Oct. terminatum fuisse ad nonam nisi quatenus Vesperae sunt de die Oct. Quod si contingit, ut Vesperae non sint ejusmodi, cur continuanda non erit in iis Octava, eo modo, quo fieri potest, nempe sumendo Psalmos, & Antiphonas de ipsa ex secundis Vesperis Festi,

Capitulum verò, & caetera deinceps de Dominica, cum Commemoratione Octavae per Antiphonam ad Magnificat, & Versum ex primis Vesperis? Hæc ratio quadrabat apprime cum antiquo usu Breviarii Casalis Benedicti, & aliorum, in quibus anticipatio pridie, ob Festum aliquod Majus, Officio diei Octavae, fiebat nihilominus adhuc ejus Commemoratio in ipsa die Octava, ut sic tandem, quo meliori modo fieri posset, integra completeretur Octava. Hæc Guyetus lib. 4. cap. 7. quest. 7. qui tamen concludit, quod, his non obstantibus, standum est Decreto, quod à S. C. emanavit. Verum si Dominica privilegiata non cadit in die Octava, & in Sabbato præcedenti factum fuerit Officium de die infra Octavam, Vesperae erunt de eadem infra Octavam, & à Capitulo de Dominica, cum Commemoratione de dicto die infra Octavam.

XX. Gavant. pag. 25. col. 2. n. 16. *Excipie dies Octavae Epiphaniae, Paschae, Ascensionis &c.*) Excipiendi etiam sunt dies Octavarum Assumptionis, Nativitatis, aliarumque Festivitatum B. M. V. Octavam habentium; hi enim concurrentes cum Officio Duplici minori habere debent integras Vesperas, ut disponit Rubrica ultimo posita in Officio Octavae Conceptionis, si concurrat cum Sancta Lucia, & ita respondit S. R. C. die 1. Martii 1681. in una Canoniarum Regularium Lateranensium ad tertium dubium, & datur in nostro Indice sub n. 117. Idem etiam declaratum fuit die 21. Augusti 1691. & datur in nostro Indice sub n. 167. hujusmodi autem Decreta se extendunt non solum ad dies Octavas B. M. V. quae sunt Universales pro tota Ecclesia, sed etiam ad particulares alicujus Diocesis, vel Religionis.

XXI. Gavant. pag. 26. col. 1. n. 23. *Tum quia est privilegium Octavarum Christi Domini. . . . &c. optassim & ego cum aliis, diem Octavam Festi B. V. habentis Octavam, esse duplex Majus &c.*) Ex Decretis mox recensitis patet, non solum Octavas Christi Domini habere

habere integras Vesperas in concursu duplicis majoris, sed etiam diem Octavam cujuscumque Festi B. M. V. habere integras Vesperas in concursu quidem Duplicis Minoris, non vero majoris, unde quod optaverat Pius-  
simus Gavantus inter vivos degens, post obitum saltem quoad partem obtinuit, nimirum, quod dies Octava Festorum B. M. V. habeant integras Vesperas in concursu Du-

plicis Minoris, non ideo tamen tales Octavae censenda sunt duplicia majora, ut bene notat Halden par. 3. Tit. 6. §. 3. & alibi.

Superest nunc, ut hic exhibeamus sequentem Tabellam, qua juvare potest pro Commemorationibus Octavarum, & infra trademus etiam aliqua Decreta spectantia ad hanc Materiam.

### TABELLA COMMEMORATIONIS dierum Octavarum.

Occurrentium cum	Dominica primæ, & secundæ Classis.	1
	Duplici primæ, & secundæ Classis.	1
	Alia die Octava.	2

1. Commemoratio in utrisque Vesperis, Laudibus, ac Missa.
  2. Commemoratio minus dignæ in Officio dignioris.
- Dies Octava Epiphaniæ, & Paschæ, cum Festa omnia rejiciant, nunquam cum sola commemoratione fiunt.

Festa ad libitum, quæ cadunt infra aliquam Octavam, celebrari non possunt, S. R. C. 24. Januarii 1682. & 15. Martii 1698. quæ Decreta dantur in nostro Indice sub 122. & 196.

Pro Octavis verò Beatorum videnda sunt Decreta data in Indice nostro Decretorum spectantium ad Rubricas Missalis num. 373. & 380.

In Rubricis Generalibus Breviarii Romani Rubricam septimam de Octavis excipit Rubrica VIII. de S. M. in Sabbato, & post hanc sequitur Rubrica IX. de Commemorationibus, deinde Rubrica X. de Translatione Festorum, & post eam Rubrica XI. de Concurrentia Officii; Nos insistendo Gavanti vestigiis post prædictam Rubricam de Octavis consignamus sequentem de Concurrentia Officii, & reliquas trademus suo loco.

### De Concurrentia Officii, XI.

#### RUBRICA.

**C**oncurrentia Officii attendenda est semper in secundis Vesperis, quomodo sit ordinandum Officium cum sequenti die. Itaque cum dicitur Officium aliquod cum alio concurrere, intelligitur de præcedenti in secundis Vesperis cum sequenti in primis Vesperis.

- 2 Duplici ergo in secundis Vesperis concurrente cum alio sequenti Duplici, in primis, si utraque sint ejusdem sollemnitatis, regulariter à Capitulo fit de sequenti cum commemoratione precedentis, nisi aliter in propriis locis annotetur; Si verò non sint ejusdem sollemnitatis, servetur differentia in Rubricis de Commemorationibus, & Translatione Festorum assignata: ut scilicet Festa majora habeant primas, & secundas Vesperas integras cum commemoratione minorum, quando de eis fieri debet; Si autem post aliquod Festum ex iis, quæ in secundo ordine posita sunt in Rubrica de Commemorationibus, sequatur immediatè aliud ex sollemnibus majoribus, Vespera erunt de sequenti cum commemoratione precedentis. Inter Festa equalis sollemnitatis servetur hic ordo, ut Festa Domini præferantur omnibus aliis, & habeant utrasque Vesperas integras; sicuti Festa B. Mariae Festis Sanctorum: item Festa Angelorum & Apostolorum cæteris aliis: & Festa illorum Sanctorum, qui in propriis locis vel Ecclesiis sollemniter celebrantur, aliis in Calendario descriptis.
- 3 Duplici verò concurrente cum Festo Semiduplici, cum Dominica, cum die infra Octavam, cum Festo Simplici, & cum Officio B. Mariae in Sabbato, omnia in secundis Vesperis de Duplici cum commemoratione illorum: nisi illud Duplex fuerit de iis, quæ excipiuntur in Rubrica de Commemorationibus, in quibus aliqua commemorationes omittuntur. Duplici etiam, & quocumque Officio novem Lectionum concurrente cum Feria, vel potius sequente Feria, omnia de Duplici, & nihil de Feria sequenti. Sed si Festum celebretur in Adventu & Quadragesima, fit semper commemoratio de Feria, ut infra dicitur. Idem dicendum de Festis Simplicibus venientibus cum sequenti Festo novem Lectionum, de quibus etiam commemoratio fit non ratione concursus, sed quia eodem die occurrunt, ut dictum est in Rubrica de Commemorationibus.
- 4 Semiduplici Festo, Dominica, & die infra Octavam concurrentibus cum sequenti Duplici, omnia de Duplici cum commemoratione illorum; nisi Duplex fuerit ex numero majorum, quæ supra in Rubrica de Commemorationibus numerata sunt, in quibus nulla fit commemoratio precedentis. Semiduplici Festo concurrente cum sequenti alio Semiduplici, cum Dominica, vel cum die infra Octavam, à Capitulo fit de sequenti, & commemoratio precedentis, nisi aliter signetur. Semiduplici autem concurrente cum sequente Festo Simplici, vel cum Officio B. Mariae in Sabbato, omnia de Semiduplici cum commemoratione sequentis.
- 5 Dominica concurrente cum sequente Festo Semiduplici, & cum die infra Octavam, vel cum Festo Simplici, omnia de Dominica cum commemoratione sequentis.
- 6 Die infra Octavam concurrente cum sequente Dominica vel Semiduplici, à Capitulo fit de sequenti cum commemoratione Octavae. Dies infra Octavam cum Simplici propriè non habet concursum, quia in sequenti die infra Octavam non fit de Simplici, nisi commemoratio, quæ, & eadem ratione in precedenti die infra Octavam fieri debet.

Gavam, Rubr. Ereo.

I

7 Die

7. Die Octava concurrente cum alia die Octava, à Capitulo fit de sequenti cum commemoratione precedentis, excepta Octava Corporis Christi concurrente cum Octava S. Johannis Baptiste, in qua de sequenti fit tantum commemoratio; & quando aliter, in propriis locis notatur. Die Octava concurrente cum sequenti Duplici minori, etiam translato, à Capitulo fit de sequenti cum commemoratione Octava, Concurrente verò cum sequenti Duplici majori, etiam translato, totum Officium fit de sequenti cum commemoratione Octava: excepta die Octava Epiphania, Pascha, Ascensionis, & Corporis Christi, in quibus de sequenti fit tantum commemoratio. Si autem sequens Festum etiam translato, fuerit ex sollemnioribus supra enumeratis in Rubrica de Commemorationibus in secundo ordine num. 6. totum Officium fit de sequenti cum commemoratione Octava.
8. Simplex cum alio non potest concurrere in secundis Vesperis (licet cum ipso possit esse concursus in primis Vesperis) quia non habet secundas Vesperas, sed ejus Officium terminatur ad Nonam, & deinceps nihil fit de eo nec commemoratio. Si sequatur aliud Simplex, Psalmi erunt de Feria occurrente in Psalterio ad Vesperas, & à Capitulo fit de sequenti Simpliciter sine ulla commemoratione precedentis. Si sequatur Officium novem Lectionum, Vespera tota erunt de eo sine ulla similiter commemoratione Simpliciter precedentis. Si nullum Festum sequatur, subintrat Officium de Tempore, & Vespera tota erunt de Feria.
9. Feria non potest concurrere cum alio Officio in secundis Vesperis, neque cum ipsa potest esse concursus in primis Vesperis: quia ejus Officium incipit & desinit, ubi desinit & incipit quodcumque aliud Officium. Quamvis propriè, (si ei dandum est principium) sequente Feria post aliam Feriam, ejus Officium incipiat à Matutino, & terminetur sequente alia Feria ad Completorium; & ideo si Feria sequatur aliam Feriam, in Vesperis precedentis Feria nihil fit de sequenti, quoad ea, qua in sequenti Feria sunt propria. Verbi gratia: si in Vesperis Feria 3. ante Feriam 4. Cinerum fiat de Feria, dicitur Oratio Dominice precedentis, non autem ea, qua est propria in sequenti Feria 4. Cinerum, nec ante Orationem dicuntur Preces, qua dicenda sunt in dicta Feria 4. Cinerum. Quod etiam fit, quando Feria per annum precedit Feriam Quatuor temporum, vel Vigiliarum. Hac etiam ratione superius dictum est in concurrentia aliorum Officiorum, cum Feria nullum Officium concurrere, & nihil fieri de Feria precedenti, adveniente alio Officio. Si autem de ea aliquando fieri debeat commemoratio in Vesperis, non fit ratione concursus, sed quia eo die, quo Officium Feriarum Adventus & Quadragesime impeditur, illarum commemoratio ratione temporis ex precepto Ecclesie pratermitti non debet.
10. Cum verò occurrit, ut Festum Simplex veniat in Feria 4. & 6. Quatuor Temporum, in Feria 4. Cinerum, & in Vigiliis, qua jejunantur, Vespere antecedentes (nisi ea die celebratum sit Festum novem Lectionum) erunt de Feria communi per annum, non autem de sequenti, ut dictum est, cum commemoratione Festi

*Festi simplicis in sequenti Feria occurrentis. Quod ideo non fit, quia sequens Feria non habeat primas Vesperas: sed quia cum Festum Simplex in sequenti die non habeat Officium propter Feriam prædictam in eo occurrentem, nec etiam convenit illud habere primas Vesperas in præcedenti die. Et eadem ratione, si Festum Simplex occurrat Feria 5. in Cæna Domini, in qua de eo non debet fieri commemoratio, nulla etiam fiet commemoratio in Vesperis Feria 4. præcedentis.*

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Cap. IX. De Concurrentia Officii.

I. Gavant. pag. 26. col. 2. n. 1. -- *Datur in Officio Divino Concurrentia, & Occurrentia.* Duorum officiorum datur aliquando conflictus, & mutua pugna, primò, quando simul una, eademque die occurrunt, & hæc appellatur occurrentia in Sacris Rubricis, de qua cum Gavanto agemus capite sequenti; quando autem duo officia se invicem continuis duobus diebus consequuntur, tunc pugna, quam possunt habere in Vesperis, Concurrentia appellatur. Quapropter Concurrentia non datur nisi inter officia, quæ Jus habent aliquod in Vesperas illas veluti intermedias, & utrique Communes, qualia sunt primò Festa omnia duplicia cujuscunque ordinis, item semiduplicia, quæ cum utrasque habeant Vesperas, sunt capacia Concurrentiæ tam activæ, quàm passivæ; nomine autem Concurrentiæ activæ venit illa, quæ se tenet ex parte secundarum Vesperarum Festi præcedentis, quod propriè cum sequenti concurrat; passiva vero Concurrentia est illa, quæ se tenet ex parte primarum Vesperarum Festi sequentis, quod propriè à præcedenti concurrat, ut accurate explicat Guyetus *lib. 4. cap. 13. quest. 1.* Hinc sequitur, aliqua Festa posse habere, ut mox innuimus, utramque concurrentiam, nempe illa, quæ habent utrasque Vesperas, qualia sunt Festa duplicia, & semiduplicia, ut diximus. Illa verò, quæ habent tantùm primas Vesperas, ut sunt Festa simplicia, possunt habere solam concurrentiam passivam, & tandem illa, quæ habent tantùm

secundas Vesperas (si quæ darentur Festa hujusmodi habentia solas Vesperas secundas, ut olim habebant Festa Simplicia) habere possent solam concurrentiam activam.

Effectus igitur concurrentiæ totus est in Vesperis, nimirum, ut vel integræ fiant de alterutro concurrentium, vel inter utrumque dimidientur. Cum enim concurrentia omnis, aut sit majoris cum minore, aut minoris cum majore, aut denique æqualium inter se: In primo & secundo casu Vesperæ sunt integræ de majore cum sola Commemoratione minoris, immò nonnunquam etiam absque hujusmodi Commemoratione, prout dignitas major exigit. In 3. autem casu regulariter Vesperæ dimidiantur, adeo ut Psalmi cum Antiphonis sint de Officio præcedenti, Capitulum verò cum reliquis fiat de sequenti, & tunc semper cum Commemoratione præcedentis. Ex quo in Concurrentia majoris cum minore Vesperæ sint semper integræ de majore; debemus hic explicare, quo ordine majora haberi debeant. Igitur semper duplex primæ Classis majoritatem habet supra duplex secundæ Classis, duplex secundæ Classis verò supra quodcumque aliud duplex per Annum, sive Majus, sive minus, duplex Majus supra duplex minus. Quodcumque duplex per Annum supra Dominicam, Festum semiduplex, & diem infra Octavam; hæc verò supra Festum simplex, & Officium B. M. in Sabbato, & taliter servari debet hæc regula, ut si Festum aliquod Domini, vel B. M. sit duplex

plex tantum, & concurrat cum Festo secundæ Classis Apostoli, aut cujusvis alterius Sancti, Vesperæ integræ fieri debeant de Sancto cum Commemoratione Festi Christi Domini, & B. M. quia videlicet major personæ dignitas non sufficit in hoc casu, sed solum quando adest æqualitas gradus, sive Ritus, & sollempnitatis.

II. Gavant. pag. 27. col. 1. n. 3. *Inæqualitas attenditur ex hoc Ordine, Festa Domini præferuntur &c.*) Quando autem Festa sunt æqualis omnino Ritus, & sollempnitatis, tunc attendenda est dispositio Rubricæ superioris n. 2. ubi habetur *in et Festa æqualis Soll. munitatis, servetur hic O do, ut Festa Domini præferantur omnibus aliis, & habeant utrasque Vesperas integras, sicut Festa B. V. Festis Sanctorum: Item Festa Angelorum, & Apostolorum ceteris aliis.* Cæteris igitur omnino paribus, majora reputantur Festa omnia, sive SS. Trinitatis, sive Christi Domini præ omnibus aliis; secundo Festa B. M. præ Sanctis omnibus; Tertio Angelorum, & Apostolorum præ ceteris aliis, an verò Angelorum Festa tertiam constituent Classem, superiorem etiam Festis Apostolorum; Rursus utrum Apostolorum Festa, ceteris paribus, præferri etiam debeant, & majora censeri Festis Evangelistarum, dicemus infra. Solum hic statuimus eum omnibus Rubricistis, quod Festum primæ Classis Christi Domini comparatum cum Festo primæ Classis B. V. illud censetur Majus, hoc verò minus, unde in Concurrentia haberet illud integras Vesperas; & ita pariter Festum aliquod B. V. v. g. secundæ Classis in comparatione alterius Festi Angelorum, sive Apostolorum pariter secundæ Classis, illud B. V. majoritatem haberet ob dignitatem suæ personæ, & in concursu istorum Festorum integræ Vesperæ darentur Festo B. V. de alio verò Festo sola fieret commemoratio, & sic de cæteris. Guyetus *lib. 4. cap. 13. quæst. 5.* doctissime explicat dignitatem Christi Domini, excellentiam Beatissimæ Virginis, ratione cujus Ille excel-

lit omnem creaturam, Ista verò præfertur ipsismet Angelis, & Apostolis, aliisque Sanctis. Et procedit ulterius ad examinandas Angelorum perfectiones, & merita, concluditque, se non posse recedere à legitimo Ecclesiæ usu præferendi in Concurrentia Sanctos Angelos Sanctis hominibus, etsi enim hominum aliqui præstent aliquibus Angelorum, juxta opinionem aliquorum, ab eo ibi recensitam, non tamen præstant omnibus Angelis, & idcirco tenet, Festa Angelorum in æquali Ritu præferenda esse etiam Festis Apostolorum, saltem ob communem Angelorum naturæ præstantiam.

III. Gavant. eod. n. 3. *Festa Angelorum, & Apostolorum ceteris aliis, ergo etiam Evangelistis &c.*) Asserit hic Gavantus, Festa Apostolorum ob eorundem dignitatem præferenda esse omnibus aliis Sanctis, etiam Evangelistis, sed cum nullam dicti sui proferat rationem, ait Guyetus loc. cit. ut allerantur pares, facit Classis, & Officiorum omnimoda paritas. Guyeti sententiam tenemur nos quoque tueri, & Gavanti opinio est profecto reformanda, quia à S. R. C. emanarunt Decreta, quibus paria reputantur Festa Apostolorum, & Evangelistarum, ut videre est in Decretis datis in nostro Indice n. 92. & 239. de quibus pariter mentionem fecimus, & per extensum dedimus in nostris Additionibus ad commentaria Capitis præcedentis n. 9.

De reliquis Sanctis an alii aliis, v. g. Martyres Confessoribus, Confessores Virginibus, sint præferendi, Communis est Rubricistarum Sententia, prædictos Sanctos reputandos esse æquales, nullamque habere Martyres in hac parte rationem dignitatis personarum præ Confessoribus, neque Confessores præ Virginibus, quamvis in Litanis Martyres in diverso, & superiori ordine ad Confessores, Confessores verò in diverso, & superiori ordine ad Virgines collocentur; & super hoc emanavit Decretum à S. R. C. 20.

Julii

Julii 1686. datum in nostro Indice n. 157. & aliud 14. Septembris 1709. n. 250.

De Sanctis Johanne Baptista & Patriarcha Josepho, Sponsò B. M. V. quorum invocatio præfertur in Oratione -- *A cunctis*, & in Litanis, controversia minime esse potest, cum circa primum adsit Decretum S. R. C. 22. Augusti 1620. datum in nostro Indice Decretorum spectantium ad Rubricas Missalis n. 179, circa verò S. Josephum est certa dispositio Decreti Benedicti Papæ XIII. 19. Decembris 1726. ut videre est in nostro Indice n. 268. Idcirco eorum Festa primaria si sint æqualis Ritus in quocumque casu concurrentiæ, vel etiam occurrentiæ, semper præferenda sunt Festis SS. Apostolorum. Si verò sermo sit de eorum Festis secundariis concurrentibus, vel occurrentibus cum Festis primariis Apostolorum ejusdem Ritus, tunc non sunt præferenda, nisi celebrentur cum majori sollemnitate & apparatu, quam Festa Apostolorum. Quod videtur magis congruum, magisque conforme Rubricis & S. R. C. Decretis. Hinc sequitur, quòd si alicubi occurrit Festum Patrocinii S. Josephi sub Ritu duplici secundæ Classis cum Festo SS. Apostolorum Philippi & Jacobi, vel S. Marci Evangelistæ ejusdem Ritus, tunc his præferendum non est, nisi celebrentur cum majori sollemnitate & apparatu. Hæc omnia tutè assero, accedente etiam maturo consilio, & approbatione peritissimi ac Illustrissimi Domini Johannis Baptistæ Gambarucci, Amaseni Archiepiscopi, & Apostolicarum Cæremoniarum Præfecti.

Ex dictis à Gavanto, & ex nostris Additionibus satis constat, quomodo ordinandæ

sint Vesperæ in concurrentia duorum Festorum diversæ Classis, & dignitatis, nimirum dicendas esse integras de Felto Classis superioris cum Commemoratione inferioris; circa quas Commemorationes faciendas in concursu Festorum diversæ, & etiam æqualis Classis & dignitatis, Lectorem remittimus ad evolvenda ea, quæ tradit Gavanto hac Sect. 3. Cap. 11. de Commemorationibus, & ea, quæ à nobis adjiciuntur; ne eadem hic, & ibi repetamus.

Reliquum est, ut pro coronide hujus capituli innuamus aliqua Decreta spectantia ad hanc Materiam diebus infrascriptis edita, quæ dantur in nostro Indice &c.

1. Martii 1681. num. 117. circa Vesperas dierum Octavarum Beatæ Mariæ Virginis.

12. Julii 1664. num. 88. 17. Junii 1684, n. 150. 20. Julii 1686. n. 157. & 14. Decemb. 1709. n. 250. circa Vesperas Duplicium, etiam majorum absque sollemnitate, & apparatu, & inter Sanctos Apostolis inferiores. Quæ quidem Decreta minimè abrogata intelliguntur per illa de diebus 21. Aug. 1688. in una *Aquilejen.* & 25. Septemb. 1688. in una *Hyssin.* cum ibi agatur de casibus particularis inspectionis, & speciali nota dignis.

1. Martii 1681. num. 116. 14. Maji 1707. 20. August. 1712. n. 245. & 16. Septemb. 1730. n. 277. circa Vesperas Sanctorum Angelorum sub ritu dup. min. per quæ Decreta omnimode abrogatum intelligitur illud de die 27. Septemb. 1698. in una Ordinis Capuccinorum editum.

## QUANDO CONCURRIT

Dominica major seu, i. & ii. classis cum,	0	4	3	4	4	3	3	3	3	3	0
Dominica minor, seu per annum,	0	4	3	4	4	3	3	1	1	1	0
Duplex primæ Classis,	2	2	4	2	4	4	4	0	4	6	4
Duplex secundæ Classis,	4	4	4	4	4	4	4	3	6	3	4
Patronus seu Titulus Ecclesiæ,	2	2	4	2	4	4	4	0	4	0	4
Duplex per annum majus,	4	4	4	4	4	4	6	1	3	1	4
Duplex per annum minus,	4	4	5	4	4	5	3	1	3	1	4
Semiduplex,	4	5	3	4	5	3	3	1	1	1	5
Dies Octava,	4	4	5	4	4	5	3	1	3	1	4
Dies infra Octavam,	0	0	3	4	5	3	3	1	1	1	5
1. Totum de sequenti, nihil de præcedenti.	Sancta Maria in Sabbato.	Die infra Octavam.	Die Octava.	Simplici.	Semiduplici.	Duplici per annum minore.	Duplici per annum majore.	Patrono, seu Titulo Ecclesiæ.	Duplici secundæ Classis.	Duplici primæ Classis.	Dominica quæcumque.
2. Totum de præcedenti, nihil de sequenti.											
3. Totum de sequenti, commemoratio de præcedenti.											
4. Totum de præcedenti, commemoratio de sequenti.											
5. Capitulum de sequenti, commemoratio de præcedenti.											
6. Totum de digniori, commemoratio de minus digno.											
Simplex, & S. Maria in Sabbato, Feria, & Vigilia non concurrunt.											

**N**otandum, quod in primis Vesperis diei Octavæ Ascensionis & Corporis Christi, totum Officium sit de Octava, cum Commemoratione præcedentis festi Duplici, nisi fuerit Festum sollemne principale, vel primæ, vel secundæ Classis, quia tunc de Festo fieret Officium, & Commemoratio de Octava.

In secundis Vesperis diei Octavæ Epiphania, Pascha, Ascensionis, & Corporis Christi, de sequenti Duplici sit tantum Commemoratio, nisi illud fuerit primæ, vel secundæ Classis, seu Patronus, vel Titulus, aut Dedicatio Ecclesiæ: quia tunc de Festo fieret Officium, & de Octava Commemoratio. Et similiter die Octava Corporis Christi in secundis Vesperis concurrente cum die Octava S. Johannis Baptista Vesperæ erunt de Octava Corporis Christi cum Commemoratione Octavæ sancti Johannis.

In secundis Vesperis Duplicis secundæ Classis non sit Commemoratio de die infra Octavam, nisi quando de ea fieri debeat Officium die sequenti.

Cium

*Cum plures sunt Commemorationes, servetur hic ordo. De Duplici, de Dominica, de Semiduplici, de die infra Octavam, de Feria majori, seu Vigilia, de sancta Maria in Sabbato, de Simplici.*

Exposita Tabella concurrentiæ, & alia occurrentiæ, quæ infra dabitur, non ita universales sunt, ut ex iis præcisè omnia decendantur, quæ in hac materia occurrere possunt dubia, sed sæpius ad ipsas Rubricas, easque non modo speciales, sed aliquando etiam generales, est recurrendum. Et reverà ubi agitur de Concurrentia duplicis primæ Classis cum Patrono seu Titulo Ecclesiæ, vel Patroni seu Titulo Ecclesiæ cum duplici primæ Classis, vel cum Patrono seu Titulo Ecclesiæ, qui respectivè potest esse Patronus seu Titulus Ecclesiæ particularis, vel Ecclesiæ Cathedralis, seu Matricis nullius Diœcesis, vel quid hujusmodi, non ponitur in quadrangulo num. 6. qui significaret, faciendum esse de digniori, ad instar Concurrentiæ duplicis primæ Classis cum duplici primæ Classis, sed ponitur litera O, non quia hujusmodi concursus minimè accidere possit, sed quia nos remittit ad Rubricas generales, præsertim Tit. XI. num. 2. ubi pro hujusmodi Festorum ordinando concursu sufficienter disponitur, si rectè expendantur ea, quæ ibi habentur, quòd cæteris paribus præferenda sunt Festa, quæ sunt magis particularia, & sollemnius celebrantur, & consequenter his debentur integræ Vesperæ cum

commemoratione alterius Festi concurrentis.

Rursus in eadem Tabella duplex primæ Classis concurrens cum die infra Octavam, præscribitur, totum fieri debere de primo, & nihil de secundo, sed advertendum est, quòd intelligendum est de quacunque Octava non privilegiata, etiam si de ea fieri debeat Officium die sequenti, quæ Sententia Gavanto conformis est Sect. 3. cap. 8. n. 18. & cap. 11. n. 14. Sicut & Bislo lit. C. n. 363. §. 11. ac Halden part. 3. tit. 6. §. 1.

Denique in eadem Tabella ad diem infra Octavam concurrentem cum die infra aliam Octavam, non assignatur num. 6. ubi habetur; totum de digniori, commemoratio de minus digno, sed litera O, non quia hujusmodi concursus nunquam evenire possit, nam de facto diversæ Octavæ, possunt eodem die occurrere; sed cum hoc principaliter pertineat ad Tabellam de occurrentia, ubi n. 7. statuitur Officium de digniori, commemoratio de minus digno, ideo in tali concursu Vesperæ regulandæ sunt ad instar occursum. Fusus tamen de occursum Octavarum particularium, ut dignoscatur, quamnam sit præferenda, nos supra sermonem fecimus, & Tabellam descripsimus.

## De Translatione Festorum. X.

### RUBRICA.

**¶** *Si aliquod Festum Duplex occurrat in Dominicis Adventus, & in Dominicis à Septuagesima usque ad Dominicam in Albis inclusivè, in Vigilia Nativitatis Domini, in die Circumcisionis, in tota Octava Epiphaniæ, in Feria quarta Cinerum, in tota majori Hebdomada, & infra Octavam Paschæ, in Ascensione Domini, in diebus à Vigilia Pentecostes usque ad Festum Trinitatis inclusivè, in Festo Corporis Christi, & ejus die Octava, in Festo Assumptionis B. Virginis, & omnium Sanctorum, transfertur in primam altem Festo Duplici, vel Semiduplici*

- plici non impeditam: exceptis tamen Festis Nativitatis S. Iohannis Baptista, & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, quae in die Octava Corporis Christi celebrantur: excepto quoque Festo quocumque sollemni alicujus loci, quod in propria tantum Ecclesia, etiam in aliquibus ex supradictis diebus occurrens, scilicet, in Dominicis 2. 3. & 4. Adventus & Quadragesima, Dominica Septuagesima, Sexagesima, & Quinquagesima, & diebus infra Oct. Epiphania, (ut in Rubrica de Commemorationibus dictum est) celebratur. Si autem Festum Nativitatis S. Iohannis Baptista venerit in die Corporis Christi, transfertur in sequentem diem, cum commemoratione Octavae; & in secundis Vesperis Corporis Christi fit tantum commemoratio S. Iohannis: sequentibus autem diebus fit Officium de eadem Octava Corporis Christi, cum commemoratione Octavae S. Iohannis. Dies autem Octava S. Iohannis tunc veniens in die Octava Corporis Christi, non transfertur, sed de illa ea anno fit tantum commemoratio in utrisque Vesperis & Laudibus diei Octavae Corporis Christi; & id semper servetur, quando Festum habens Octavam transfertur: ut non ideo dies Octava transferatur, sed ipsa die de ea fiat commemoratio, quae alias erat Octava, si Festum non fuisset translatum. Quod si Festum post totam suam Octavam transferri contigerit, illo anno celebratur sine Octava: nisi Titularis Ecclesia privilegio aliter fieri oporteat.
- 2 Si in die Octava alicujus Festi habentis Octavam, occurrat aliquod Festum Duplex ex majoribus supra in Rubrica de Commemorationibus enumeratis, fiat de Festo cum commemoratione diei Octavae: excepta die Octava Nativitatis Domini & Epiphania, in quibus non fit de aliquo Festo, sed transfertur in primam diem similiter non impeditam. Si autem non fuerit ex praedictis Festis, fiat de Octava, & Festum transferatur, ut supra.
  - 3 Si aliquod Festum Duplex infra Octavam occurrens, alio majori festo Duplici impediatur, transferatur in primam diem similiter non impeditam, & in eo fiat commemoratio de Octava.
  - 4 Si in aliis Dominicis per annum à supradictis occurrat Festum Duplex, non transfertur, ut dictum est in Rubrica de Commemorationibus.
  - 5 Festum Semiduplex occurrens diebus supradictis, & infra Octavam Corporis Christi, & aliis Dominicis per annum, transfertur in primam diem simili Officio non impeditam: occurrens verò in Dominicis infra illas Octavas, in quibus fit de Festis occurrentibus, (ut dictum est in Rubrica de Octavis,) transfertur in sequentem diem, cum commemoratione Octavae; quae si fuerit alio Festo Duplici vel Semiduplici impedita, praedictum Festum Semiduplex veniens in Dominica, transfertur post Octavam: ita ut Festum Semiduplex infra Octavam non transferatur, nisi in proximè sequentem diem.
  - 6 Si duo, vel plura Festa novem Lectionum simul eodem die veniant, fiat Officium de majori, id est, de Duplici, & Semiduplici transferantur. At si omnia fuerint

runt Duplicita, vel omnia Semiduplicita fiat de digniori, seu sollempniori; & quæ minoris sollempnitatis sunt, transferantur.

- 7 Si plura Festa novem Lectionum transferenda sint, prius transferatur Duplex, quam Semiduplex; & inter plura Duplicita, quod est magis sollempne, semper prius transferatur, & prius celebretur: alioquin si sunt equalia, unum ante aliud transferatur eo ordine, quo erant celebranda in propriis diebus.
- 8 Festum Simplex nunquam transfertur: sed si de eo fieri non potest Officium, fiat commemoratio, ut dictum est in Rubrica de Commemorationibus: si autem venerit in illis diebus, in quibus de Simplici nulla fit commemoratio, eo anno non fit de eo amplius.
- 9 Si aliquod Festum novem Lectionum, in quo annotatum est fieri commemorationem alicujus Sancti, transferatur propter advenientem Dominicam, vel aliud Festum majus, non tamen transfertur cum illo commemoratio illius Sancti in eo assignata: sed dicta commemoratio fit die suo in Dominica, vel alio Festo, in quo fieri possit, cum nona Lectione ejusdem, si propriam de vita Sancti habuerit: Festum verò novem Lectionum transfertur sine ulla amplius commemoratione Festi Simplicis prædicti. Quod etiam servatur in commemorationibus occurrentibus in Vigiliis, cum de Vigilia veniente in Dominica fit in Sabbato præcedenti; tunc enim commemoratio Festi Simplicis non fit in Officio Vigilia, sed in Dominica.

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Cap. X. De Occurrentia Officii Divini, seu de Translatione Festorum.

I. Gavant. pag. 28. col. 1. Tit. Sect. De Occurrentia &c.) Ex conflictu duorum Officiorum una simul, eademque die occurrentium id efficitur, ut si neutrum cum sola Commemoratione peragi queat, necesse sit alterum dimitti, donec die, qua primum libera, resumatur, quod cum sit, translatio proprie dicitur, de qua luculenter satis egit Micr. cap. 42. & nos hic fuse pertractare debemus. Rursus Translatio, ut optime advertit Guyetus lib. 4. cap. 7. quest. 1. non est idem ac mutatio, de qua idem doctissimus Auctor agit lib. 2. cap. 6. quest. 1. & seqq. nam licet utraque sit amotio Festi à suo die proprio, differunt tamen in eo, quod mutatio est veluti transmigratio, & perpetua alterius sedis occupatio; translatio vero instar est peregrinationis, qua se alio quis sic confert, ut tamen ad sedem propriam illico sit rediturus;

Gavant. Rubr. Brev.

utriusque causa est Officium aliquod diem Festo destinatum occupans; at hujus ex accidenti, atque pro hac, aut alia simili vice dumtaxat, ut fit in occurrentiis Dominica Septuagesimæ, Feriæ IV. Cinerum, Ascensionis Domini, & aliis Festorum Mobilium; illius constanter, ac perpetuo propter occursum videlicet Festorum Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Assumptionis B. M. Omnium Sanctorum, & similibus, quæ eodem stato semper Calendarii die recurrunt. Porro occupantis Officii ratio, qua alteri præfertur, vel est ipsius dignitas, vel necessitas, vel dignitas simul & necessitas. Dignitas quidem, ut in Festis Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Assumptionis B. M. Omnium Sanctorum, quæ cum duplicia sint primæ Classis, & quidem Christi Domini, & Beatissimæ Virginis, omnibus aliis dignitate antecellunt; necessitas verò, ut in

K

Do-

Dominicis, Adventus, Septuagesimæ, Quadragesimæ, Feria IV. Cinerum &c. quæ cum non nisi ritu semiduplici, ac simplici celebrentur, ideo tamen Festis duplicibus longè dignioribus in occurrentia præstant, quia nec omitti penitus, nec ullo alio die fieri possunt. Dignitas denique simul, & necessitas in Dominicis Paschæ, Pentecostes, & Trinitatis, quæ simul & Dominicæ sunt & Festa item omnium Sollemnissima.

Ex his colligitur, Officii de tempore ut sic, nullam dari propriè translationem. Quamvis enim aliqua pars Officii Dominicalis, aut Ferialis, putà Lectiones primi Nocturni, Responsoria, Historiæ expositio, item Homiliæ, & Evangelii Dominica alia die interdum resumantur, nunquam tamen totum Officium talis Dominicæ, aut talis Feriæ alio die fit, quàm tali Dominicæ, aut tali Feriæ. Non sic Festa Sanctorum; hæc enim idonea sunt æquè uno die fieri, atque alio, unde si suo proprio die impediuntur, facile resumuntur in alio; hincque est, quod translatio propriè Festorum dicatur.

Cùm autem Festa, quò digniora sunt, & superioris gradus, eò firmiter diem suum retineant, & ab eo difficilius removeantur, idcirco ut eorum Translationes certius à Nobis investigentur, operæ pretium est, rem juxta varios singulorum gradus definire, qui quatuor numerantur, ut alibi etiam innuimus, videlicet Duplicium primæ Classis, Duplicium secundæ Classis, Duplicium per Annum, sive Majorum, sive Minorum, & Semiduplicium; de Simplicibus, sicut etiam de Vigiliis, & Octavis mentionem hinc non facimus, quia regulariter non dantur de his translationes. Hæc ex Guyeto placuit transcribere, quia perutilia sunt ad sternendam viam quæstionibus omnibus ad præsentem translationis materiam spectantibus.

II. Gavant. pag. 28. col. 1. num. 1. -- *Duplex Festum potest occurrere &c.* Quamvis indistincte loquatur Gavantus hoc loco de Fe-

sto Duplici quocumque occurrente in Dominicis Adventus &c. tamen ex iis, quæ posterius tradit, & ex Rubrica superiori colligitur, quòd dies excludentes Festum quodcumque etiam primæ Classis in iis occurrens, & quod proinde deberet transferri seu respective mutari, sunt Dominica prima Adventus, Vigilia Nativitatis Domini, & à fortiori ipsiusmet Festum, Circumcisio Domini, Epiphania, & ejus dies Octava, Feria IV. Cinerum, Dominica prima Quadragesimæ, Dominica Passionis, Dominica Palmarum, ac deinceps usque ad Dominicam in Albis inclusive, Ascensio Domini, à Vigilia Pentecostes usque ad Dominicam Trinitatis inclusive, Festum Sanctissimi Corporis Christi, Assumptio B. M. V. Nativitatis S. Johannis Baptiste, Festum SS. Apostolorum Petri & Pauli, & Festum omnium Sanctorum. Præfati, inquam, dies tali Religione, & Sollemnitate ab Ecclesiâ celebrantur, ut excludant quodcumque Festum in iis occurrens etiam primæ Classis, qualia sunt Festum Patroni Principalis loci, seu Ordinis, nec non Titularis Ecclesiæ ac ejus Dedicatio, ita, ut nequeat feri Officium de dicto Festo, sed transferri seu respective mutari debeat in diem proximè non impeditam.

Verum quidem est, quòd prædictorum omnium dierum non est eadem ratio in excludendis omnibus Festis etiam primæ Classis, ut supra observavimus, nam cum prædictorum dierum alii sint instabiles, seu certam in Calendario sedem non habentes, putà Dominica prima Adventus, Feria IV. Cinerum, Dominica prima Quadragesimæ, & cætera Festa Mobilia; alii è contra fixi, statoque semper die quotannis recurrentes, ut sunt Vigilia, & Festum Nativitatis Domini, Circumcisio, Epiphania, & ejus Octava, Assumptio B. M. V. Nativitas S. Johannis Baptiste, Festum SS. Apostolorum Petri & Pauli, & Festum Omnium Sanctorum; hi quidem, Occurrentia secum Festa etiam primæ Classis, perpetuò excludunt, adeò, ut  
de

de iis nullo unquam Anno tali die possit fieri, puta de S. Anastasia die 25. Decembris. De aliis non item discurrendum est; si enim Dominica 1. Adventus incidat in diem 30. Novembris, excludit quidem Festum S. Andree ab eo die, sed hoc non nisi quinto, aut sexto quolibet anno, aut etiam undecimo accidit: Unde in hoc postremo casu translatio est adhibenda, in illo verò priori opportunior esset mutatio, ut optime consulit Guyetus *lib. 2. cap. 2. præsertim qu. 6.*

III. Gavant. pag. 28. col. 2. n. 2. - - Si verò est Duplex primæ Classis, de eo fit in Dominica &c.) Advertit optime hic Gavantus, quòd si Festum aliquod Duplex primæ Classis occurrat in Dominica majore secundæ Classis, nempe vel in Dominica secunda, vel tertia, vel quarta Adventus (nisi in hanc incidat Vigilia Nativitatis Christi) vel in Dominica Septuagesimæ, vel Sexagesimæ, vel Quinquagesimæ, vel denique in secunda, vel tertia, vel quarta Quadragesimæ, tunc Officium fit de Festo illæ primæ Classis: fieri tamen simul debet Commemoratio de hujusmodi Dominica occurrente secundæ Classis in utrisque Vesperis, Laudibus, & Missa, cum nona Lectione de Homilia ejusdem Dominicæ in Officio, & cum ultimo de eadem Evangelio in Missa. Si verò Festum Duplex secundæ Classis incidat in Dominicam aliquam majorem ex dictis primæ, vel secundæ Classis, tunc Officium, & Missa debent dici de Dominica prædicta majori, & Festum Duplex secundæ Classis debet transferri in diem aliam, eamque proximam non impeditam Festo novem Lectionum.

Ex hucusque dictis patet, translationem Festorum esse motum aliquem duos terminos habentem, videlicet terminum à quo Festum amovetur, & terminum in quem Festum rejicitur. Rursus liquet, quòd terminus à quo, non est idem pro omnibus Festis, quæ enim digniora sunt, difficilius à suo loco dimoventur, sic difficilius amoventur Festa primæ Classis, quàm Festa secun-

dæ Classis, unde sequitur, quòd dies illi, qui rejiciunt superiora Festa, v. g. primæ Classis, iidem quoque rejiciunt omnia inferiora, nempe secundæ Classis &c. Sed non è contra, Semiduplicia enim v. g. rejiciuntur à Dominicis per Annum, in quibus stant immota Duplicia &c.

Terminus verò ad quem, sive dies, in quem Festum translatum rejicitur, quoad Ferias idem est pro Festis Superioribus, & inferioribus, ita ut tam hæc, quàm illa in primam, quæ vacat, transferantur, unde cum in Rubricis dicitur: *transfertur in primam diem non impeditam*: intellige in Feriam, seu diem non impeditam Festo Duplici, vel Semiduplici juxta superiorem Rubricam n. 1. sub nomine verò Festi novem Lectionum cum veniat etiam Dominica, ut patet ex Decreto S. R. C. 12. Martii 1618. dato n. 41. hinc fit, quòd etiam quælibet dies Dominica censetur dies impedita ad admittendum Officium translatum. E contra nomine Festi non admittentis Officium translatum, non veniunt dies infra octavam aliquam non privilegiatam, in quibus fit de Duplicibus translatis, immò & de Semiduplicibus in diem immediate sequentem, sed de his tantum, quando occurrunt in Dominica infra Octavam, in Festo duplici habente Octavam, vel in Festo Duplici infra eandem Octavam occurrente, de qua re videantur ea, quæ diximus supra ad *cap. 8.* ubi pariter adnotavimus, diem Octavam nunquam posse transferri, & diximus, quid faciendum sit, si in ea occurrat Festum aliquod sollempnius, & quomodo transferri debeat duplex per annum, vel majus, vel minus, si in dictam diem Octavam incidat, cum talia Duplicia cuicumque Octavæ cedant, non sic verò Duplicia primæ, vel secundæ Classis, quæ non cedunt nisi Octavis privilegiatis, quales sunt Octava Paschatis, Pentecostes, & dies Octava Nativitatis Domini, in qua occurrit Circumcisio ejusdem, & dies Octava Epiphaniæ. In die autem Octava SS. Corporis

ris Christi, potest fieri tantum de Duplici primæ Classis in ea occurrente, non verò translato, & infra eam exclusis aliis Duplicibus translatis, ut notat Gavantus *sect. 2. cap. 8. n. 24.* Exceptis tamen Duplicibus primæ, immò etiam secundæ Classis translatis, ut declaravit S. R. C. die 30. Maji 1699. quod Decretum datur in nostro Indice n. 193. & idem (licet cum aliqua hæsitatione) adnotavit Guyetus *lib. 4. cap. 6. quest. 7.* Diximus, quòd dies infra Octavas non privilegiatas non rejiciunt à se Duplicia quæcumque translata, nam Octava privilegiata, nempe Paschatis, & Pentecostes, excludunt quæcumque Festa etiam primæ Classis occurrentia, unde à fortiori translata. Dies verò infra Octavam Epiphaniæ, non admittunt aliud Festum, nisi sit primæ Classis, cætera verò transferenda sunt post dictam Octavam.

Disputabatur inter Rubricistas, utrum in Feria VI. post Octavam Ascensionis (quæ censetur tanquam dies infra Octavam) possit fieri de Officio translato? De Festis duplicibus translatis nulla potest esse difficultas, quia ea etiam translata fiunt infra Octavas non privilegiatas, ut diximus supra; sola igitur remanebat difficultas de Festis Semiduplicibus translatis, de quibus non potest fieri infra Octavas, nisi transferantur à Dominica in Feriam secundam proximè sequentem non impeditam Festo duplici, vel semiduplici in eam occurrente, vel transferantur à Festo duplici Octavam habente, vel à Festo duplici infra eandem Octavam occurrente in proximam diem immediate sequentem, prout diximus supra *cap. 8.* Propositum dubium affirmativa decisione resolverat Guyetus *loc. cit. quest. 8.* ubi ait, quòd Festa semiduplicia quomodocumque translata possunt habere locum in dicta Feria VI. post Octavam Ascensionis, licet enim hæc Feria more diei infra Octavam celebretur, in rigore tamen non est talis, sed repetitio Officii Dominicæ infra Octavam, quamvis Ritus O-

ctava in ea servetur. Hanc verò quæstionem, juxta mentem Guyeti, omnino dirimit Decretum à S. R. C. die 11. Aug. 1691. datum à nobis n. 169. Non potest tamen in ea fieri de quacumque alia die infra Octavam occurrente, cujus sola commemoratio debet fieri ad Laudes, & Missam, nec amplius de ea fit aliud, cum debeat cessare Octava ob Vigiliam Pentecostes supervenientem, ut optimè præscribitur in Rubricis Breviarii Franciscani à S. R. C. die 13. Febr. 1666. approbatis, & in postrema ejusdem recognitione Tit. IX. de Commemorationibus n. 94. & Tit. X. de Translatione Festorum n. 103. die 18. Octobris 1696. recognitis, & per Innocentium Papam XII. 21. Novembris 1696. & 3. Decembris 1697. per binas Constitutiones confirmatis, quodque videtur valde rationi congruum, ex quo, cum sit Officium Domini, est præferendum Officio diei infra aliquam Octavam.

Alia quoque movetur difficultas super Vigiliam Epiphaniæ, utrum in ea possit reponi Officium translatum? sed citatus Guyetus negat firmè cum nostro Gavanto *sect. 6. cap. 7. num. 1.* quia Officium prædictæ Vigilie est verè Dominicale, & se habet veluti Dominica inter Circumcisionem, & Epiphaniam, taliter ut in ea Vigiliam, nec de occurrente quidem semiduplici fieri possit; en igitur, quòd excludit talis Vigiliam quodcumque Officium translatum etiam primæ Classis.

Possit etiam agitari quæstio cum Guyeto, quomodo esset celebrandum Officium S. Agnetis, si transferri deberet usque ad diem 28. Januarii, quo occurrit ipsiusmet S. Agnetis Festum *secundò* dictum; & quid faciendum, si ulterius tale Festum transferatur? sed cum adsit Decretum S. R. C. 5. Maji 1736. in nostro Indice num. 286. hæc quæstio remanet decisa. Alia quæstio, quam ibidem *lib. 4. quest. 9.* proponit Guyetus circa transferendum Festum SS. Apostolorum Petri, & Pauli, si eo die occurrat Festum Titu-

Titularis, seu Dedicatio Ecclesiae, est inutilis pace tanti viri; ex dictis enim à nobis supra n. 2. hic casus est impossibilis, quia omne Festum primae Classis cedit Festo sollempni dictorum Apostolorum.

De translatione Festi S. Benedicti pro PP. Benedictinis vide Decretum emanatum 6. Septembris 1727. datum sub n. 270. De aliis translationibus Festorum particularium, v.g. de Translatione Festi septem Dolorum B. M. V. S. Josephi, Annunciationis B. M. V. &c. agemus in nostris Additionibus ad Sectionem 7. quae est de proprio Sanctorum in suis locis propriis. Interea procedemus sectando Gavanti vestigia ad discutienda, & decidenda alia dubia tum nostris doctrinis, tum S. C. Decretis, quae spectant ad hanc materiam Translationis in genere, quorumcumque Festorum, seu Officiorum. Quoniam vero sermo hic est de termino ad quem, sive de die, in quo Festum translatum, est reponendum, circa quod legenda sunt Decreta in nostro Indice 7. Februarii 1699. n. 211. & 20. Martii 1706. num. 237. quo vero ad translationem Officiorum de uno ad alium Annum inspiciantur Decreta 7. Decembris 1680 num. 108. 27. Aprilis 1697. in Florentina, & 27. Septembris 1698. num. 207. Et licet S. R. C. ad dubium propositum ab Ecclesia Hispalensi tenoris sequentis: *An Sancti, de quibus in toto Anni decursu celebrari Officium non potuit, transferre di sint ad Annum sequentem, vel potius eo Anno sint omitterendi?* responderit sub die 26. Novembris 1735. *Sanctos, qui in fine Anni supersunt, non esse ad Annum sequentem transferendos, sed quoties toto Anni decursu de illis celebrari non valeat, tunc in illo Anno, diebus eorum propriis, considerandos esse tanquam simplices, faciendos illorum commemorationem, ut sit in semiduplicibus, cum nona Lectione ad Marcinum composita ex omnibus eorum Lectionibus propriis secundi Nocturni ad modum unius.* Et cum hoc Decretum aliquibus visum fuerit particulare; attamen quia post-

ea eadem Sacra Congregatio consulta in una Toletana: *An stantibus Decretis de non addendo, mutando, vel retrahendo in Breviario Romano necnon Decretis Officiorum noviter apponendorum in corpore, in quibus praecipitur his verbis -- Debeant, teneantur, agant. In Officiis vero provincialibus concludi ut sic -- Valeant, possint, recitari posse censuit, concessit, annuit &c. Si autem in aliqua Ecclesia, praesertim Regularium, sint tot Festa, quod non possint nonnulla semiduplicia translata, adhuc recurrente Anno, reponi semel in biennio. In hoc ergo casu licebit omittere, quae sunt de Breviario, ut fiat de particularibus dicto modo concessis?* sub die 15. Septembris 1736. respondit: *Detur Decretum in Hispalen. 26. Novembris 1735. nempe supra allegatum.* Et quamvis Illustriss. D. Diverlini, unus ex Caeremoniarum Apostolicarum Magistris, inuenerit in suo voto, posse juxta Decreta emanata transferri Officia, quae supersunt, in annum sequentem, nihilominus conclusit, potius moderandas esse Octavas minus principales in aliquibus Ordinibus Regularibus, & quatenus supersint aliqua Officia adhuc celebranda, ea non esse transferenda in annum sequentem; unde S. C. resoluit juxta hoc votum, confirmando Decretum in Hispalen. Ex quibus aliqui censent, quod talis norma, & dispositio non transferendi ullum Officium ad Annum sequentem, debeat servari ab omnibus Ecclesiis, & Ordinibus etiam Regularium. Et revera Minores Sancti Francisci Conv. in praxim eam deduxerunt, ut videre est in Ordine Divini Officii pro Anno 1737. Decreta vero supradicta innuuntur in nostro Indice n. 282. & 337. quae quidem Decreta ab aliis judicantur particularia pro praefatis Ecclesiis Hispalen. & Tolet.

IV. Gavant. pag. 28. col. 2. n. 3. -- *Si contingat, ut duo Festa duplicia occurrant eodem die, &c.)* Inharendo dispositioni Rubricae, quae habetur n. 3. docet optimè Gavantus, quod si occurrant eodem die infra Octavam

non privilegiatam duo Festa duplicia, eo casu debet celebrari Officium de magis nobili, seu de eo, quod preferri deberet, juxta regulas supra, & infra tradendas, & transferri aliud duplex minus nobile in primam diem infra eandem Octavam non impeditam alio Festo novem Lectionum. Hæc dispositio congrua omnino est, quia cum certissimum sit etiam juxta mentem S. R. C. declaratam in suo Decreto 30. Septemb. 1679. dato in nostro Indice n. 101. in quo habetur: *Festum duplex occurrens ante Octavam non privilegiatam si est transferendum, non est protrahendum post Octavam, sed infra eandem celebrandum*; hinc optimè fit, quòd idem Festum duplex non est pariter protrahendum quotiescumque occurrit etiam intra eandem Octavam.

Non me latet, aliquos Auctores asserere, ferè idem etiam de Festo semiduplici, quando incidat in Festum duplex infra Octavam non privilegiatam, dicendo, in tali casu transferendam esse tale Festum semiduplex in diem immediatè sequentem Festo duplici, vel semiduplici non impeditam, ita tradit Pisart in suo Directorio Canonico tit. 10. num. 7. quem sequitur Halden par. 3. tit. 6. § 5. innixi præsertim S. C. Decretis 30. Septembris 1679. datis num. 104. & 105. & his duobus Decretis profectò non derogatum fuisse per subsequens editum die 22. Decembris 1696. & datum num. 191. jam diximus in nostris Additionibus ad Caput 8. hujus tertiæ Sectionis, ubi concludimus, quòd Officium semiduplex non potest transferri, nisi in sequentem Feriam II. quando occurrit in Dominica antecedenti infra Octavam non privilegiatam, & admittentem Festa semiduplicia occurrentia, & si tale Officium inveniat Feriam illam secundam impeditam, tunc transferri debet post illam Octavam in primam diem pariter non impeditam servato semper debito translationis ordine cum aliis Festis, quæ transferri debent, quòdque S. R. C. declaravit, habere

locum etiam Officium quoad Festum semiduplex occurrens in Festo duplici infra Octavam non privilegiatam, ut ibi clare, ac distinctè adnotavimus. Cæterum si Festum semiduplex incidat in aliam Dominicam per Annum, tunc observanda est ad literam dispositio superioris generalis Rubricæ, quæ habetur num. 7. & ea, quæ tradit Gavantus supra num. 4. videantur Decreta data in nostro Indice num. 226. & 316. quibus confirmantur nostra placita mox exposita.

Multoties accidit, & in pluribus locis, sive Ecclesiis, quòd plura Officia ejusdem, sive diversi Ritus de præcepto eadem die occurrant, & ita fixe, ut translatio alicujus sit perpetua; in hoc casu quæri posset, utrum prima dies proximè non impedita, assignata censeatur in perpetuum pro die propria, & fixa Festi translati respectivè? Hanc quæstionem tractabimus, & decidemus infra perpendentes verba, & opinionem Gavanti, quæ habentur n. 15.

V. Gavant. pag. 29. col. 1. n. 5. -- *Occurritibus pluribus Festis novem Lectionum, transferatur illud, quod est minus nobile &c.* Optimè explicat hoc loco Gavantus, verba Rubricæ Generalis, quæ habentur n. 6. & docet, quòd in transferendis Festis servanda est hæc Regula, nimirum: quòd in occurrentia duorum Festorum debeat celebrari Officium de magis nobili, & transferri illud, quod est minus nobile, vel ratione ritus, vel ratione personæ, quando Festa, seu Officia in ritu sint æqualia.

Huc spectant sequentia Decreta, quæ videre est in nostro Indice, videlicet 21. Augusti 1688. n. 156.

6. Septembris 1727. n. 260. & 270.

3. Septembris 1672. n. 97. & 25. Januarii 1729. n. 272.

27. Augusti 1633. n. 76. & 20. Martii 1706. n. 237.

1. Martii 1681. n. 115. 12. Julii 1704. n. 227.

15. Martii 1698. n. 194. 27. Septembris 1698. n. 209.

7. Decembris 1680. n. 109. & 112. 5. Maji 1636. n. 286. & 23. Junii 1736. n. 286. 287. 288. 322.

2. Martii 1683. n. 137. & 138. 10. Januarii 1693. n. 177.

20. Julii 1686. n. 157. & 6. Septembris 1727. n. 270. 5. Maji 1736. sub n. 290.

VI. Gavant. pag. 29. col. 1. n. 6. -- *Translat. pluribus Festis &c.*) Postquam num. 5. explicavit Gavantus, quodnam Festum sit celebrandum, & quodnam transferendum, quando plura occurrunt eodem die, transit deinde n. 6. ad explicandum ordinem, qui servari debet in reponendis pluribus Festis translatis, & dicit, quod si plura Officia habeantur translata diversi Ritus, tunc id, quod est Ritus altioris, v. g. primæ Classis, prius transferendum, & reponendum est, quam illud, quod est Ritus inferioris, v. g. secundæ Classis; & sic ob eandem rationem prius Officium Duplex, quam Semiduplex. Inter plura autem ejusdem Classis, & Ritus debet servari ordo dignitatis, unde prius transferri debet Officium de Digniore, quam de minus digno, quod innuit pariter Gavantus n. 7. dicendo, quod in Translationibus debet servari ordo tum Dignitatis, tum Calendarii. Cohærendo autem prædictis Dispositionibus, quæ eruantur ex sacris Rubricis, emanarunt sequentia Decreta à S. R. C. 13. Junii 1681. num. 127. 5. Maji 1736. num. 290. 18. Septembris 1666. num. 92. 17. Julii 1706. num. 239.

Cæterum, quodnam ex pluribus Festis ejusdem Ritus unum censendum sit dignius altero, atque adeo vel simul occurrenti præferendum, vel si ambo sint translata, prius reponendum, colligi potest ex dictis à nobis in præcedente Capite de Concurrentia Festorum, & ex dicendis infra.

VII. Gavant. pag. 29. col. 1. n. 8. -- *Festum Simplex non transfertur &c.*) Ex huc-

usque dictis colligitur, quænam Officia, ac Festa possint, ac debeant transferri, nempe ex Festis sola Festa Duplicita, & Semiduplicita de præcepto, suo die celebrari impedita. Ex aliis verò diebus quoad Officium, immò quoad partem Officii, ut supra notavimus, & Missam (non autem quoad obligationem audiendi sacrum, & abstinendi ab opere servili) etiam Dominicam (quando juxta Rubricas aliquando contingit, ut ad diem aliquam præcedentis Hebdomadæ sit anticipanda) ac etiam Vigiliis minores, quando incidunt in Dominicam; & Festa illa, quorum sunt Vigiliæ, in Feriam secundam incidant &c. Tunc enim de talibus Vigiliis fit in Sabbato præcedenti, ut disponunt Rubricæ, è contra nunquam transferuntur dies Octava, nec Feria, nec Festum Simplex, ut ait Gavantus hoc numero; sed de istis si die suo celebrari Officia non possint, vel solam fieri Commemorationem suis locis, si dies, aut Festum occurrens id permittat; vel si ratio diei, vel Festi occurrentis neque hanc Commemorationem permittat, tunc omittitur omnino Officium Simplex pro eo Anno, aut loco; Unde fieri potest, ut optimè notat Gavantus, ut alicubi nunquam quid fiat de Festo Simplicij, neque Officium, neque Commemoratio. Huic autem perpetuo impedimento S. R. C. die 22. Januarii 1735. in correctione & approbatione Calendarii Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium provide occurrit, ut adnotavimus supra hac Sect. Cap. V. in fine. Alia etiam sunt Officia, quæ transferri non possunt, v. g. Festa Duplicita, aut Semiduplicita mære ad libitum, de quibus tamen fusiori calamo agemus infra in nostris Additionibus ad num. 16.

Præterire tamen hoc loco non debeo, quod si Festa Semiduplicita ad libitum, quæ antea fuerant Simplicia, occurrant, v. g. in Dominica, tunc de his nona Lectio legi debeat, & fieri Commemoratio, ac si forent adhuc Simplicia, nec minus habeanteo Anno,

no, quam ante habuerant: hoc colligitur ex Decreto 13. Junii 1682. dato in nostro Indice num. 126. Hoc contingit aliquando in Festo S. Remigii incidente in diem primam Octobris, cujus Festum sub Ritu Semiduplici est ad libitum; sub Ritu vero Simpliciter est de precepto. Neque potest dici, quod si tale Festum occurrat in Dominica, & sequens dies vacet, possit in talem diem transferri, quia Decretum, quod asseritur datum die 30. Martii 1692. & quod affertur ab Henrico Pisart in suo Directorio Canonico Tit. X. n. 19. nimirum, quod -- Festa ad libitum transferri possunt in solam immediate sequentem diem, dummodo non sit impedita Festo Duplici, vel Semiduplici, vel non habeatur, reponendum aliquod Festum translatum cujuscunque Ritus -- in Regesto Decretorum S. R. C. reperiri non potuit; & anno 1692. die 30. Martii incidit in Dominicam Palmarum; unde tanquam authenticum tale Decretum admitti sane nequit.

VIII. Gavant. pag. 29. col. 2. num. 11. -- v. g. S. Sebastiani, cui cum S. Fabiano sit ordinariè Festum (&c.) Asserit hic Gavantus, quod si occurrant duo Festa eodem die sub una ratione Festi, quorum tamen alterum est Patroni, seu Tituli Ecclesiæ, v. g. Festum S. Sebastiani, cujus cum S. Fabiano sit ordinariè Festum, tunc eo casu fit de Patrono, seu Titulari tantum, hoc est de S. Sebastiano solo, uti Festo primæ Classis, non autem de socio eo die; & num. sequenti resolvit, quod tunc de S. Fabiano fiet prima die non impedita sub Ritu semiduplici post Octavam S. Sebastiani. Quamvis doctrina Gavanti vera sit generaliter loquendo de occurrentia talium Festorum, quorum alterum est Patroni, seu Tituli Ecclesiæ; attamen si unus fuerit Patronus minus principalis, Officium fit de ambobus, juxta Decreta S. R. C. 22. Novembris 1698. & 16. Septembris 1730. data in nostro Indice n. 210. & 273. & licet per quandam ejusdem resolutionem in una Egitanien. 6. Septembris 1603. non-

nulli versarentur in opinione, de S. Sebastiano in Ecclesia propria non posse recitari Officium separatim à S. Fabiano: corrui tamen hic error, si accurate perpendatur, quod à Sacra Congregatione nunquam proscripta fuit, in ea Ecclesia S. Sebastiani, recitatio communis Orationis amborum Sanctorum, vel tantum S. Sebastiani; sed quia colore Orationis, quæ petebatur particularis, & solum de S. Sebastiano, conjiciebatur, implicite, & indirecte obtineri velle tacita approbatio, vel confirmatio celebrandi Officium, & Missam ejusdem S. Sebastiani bis in quolibet Anno, nempe ultra diem propriam 20. Januarii, etiam in Dominica secunda Augusti; hinc eadem Sacra Congregatio congruè, & provide rejecit instantiam, quam utique admisisset, & annuendum eidem esse censuisset, ad transitis Rubricæ, post Tabellam de occurrentia, descriptæ. Prædictum autem Decretum hic, prout jacet, exhibemus, ut exinde nostri asseriti veritas magis elucescat.

Cum Episcopi, & Capitulum Egitanien. ob generalem pestilentiam in Regno Portugalliæ Ecclesiam à fundamentis in eadem Civitate erexerint, & B. Sebastiano, inclyto Martyri, dedicaverint, ad quam singulis Annis bis accedunt, & sollempniter in honorem dicti S. Sebastiani Missam, & Officium celebrant, nempe die 20. Januarii in Festo ejusdem Sancti, & secunda Dominica Augusti: & quia in Officio, quod de S. Sebastiano recitatur, Oratio est communis cum S. Fabiano, supplicaverunt, ut eis licitum sit, in dicta Ecclesia B. Sebastiano dicata, dictis duobus Anni diebus, Orationem de S. Sebastiano tantum recitare, cum in Cathedrali Ecclesia, etiam Officium, & alia Missa de Sanctis Fabiano, & Sebastiano à parte Capituli, quæ ibi remanet, celebretur juxta formam Breviarii, & Missalis Romani. Congregatio verò nihil concedendum esse judicavit, & ita respondit, die 6. Septembris 1603. -- Decreta autem, quæ relpe-

respectivè ad hanc materiam attinent, reperiuntur in nostro Indice sub diebus 12. Februarii 1633. n. 74. 12. Julii 1664. num. 36. 6. Decembris 1704. 19. Februarii 1707. in una Urbis, 18. Augusti 1724. & 5. Aprilis 1727. in Nolana.

Una idcirco est omnium Doctorum sententia, quòd quando in Calendario habentur duo, vel plura Festa sub eadem festivitate eodem die celebranda, quorum alterum est in qualitate Patroni, seu Tituli Ecclesiæ, & alia non, tunc in ea Ecclesia debet fieri tantùm de Patrono, vel Titulari, absque commemoratione aliorum, & hæc est particularis Rubrica, quæ habetur in Breviario Romano post Tabellam de Occurrentia num. 8.

E contra verò eum quæsitum fuisset, an in Ecclesia S. Mariæ in Porticu, ubi asservatur Brachium S. Marcelliani tantùm (occurrentis die 18. Junii) faciendum sit Officium etiam de S. Marco sub Ritu duplicis minoris de Communi plurimorum Martyrum, vel potius de S. Marcelliano tantùm de Communi unius Martyris? S. R. C. die 7. Augusti 1717. respondit -- Officium esse recitandum de utroque Sancto de Communi plurimorum Martyrum -- Et hoc Decretum datur in nostro Indice n. 259. Ex hoc infertur, non esse dividendos eos Sanctos, qui juncti sunt per se, & quasi ex natura rei, cum videlicet aliqua inter eos consanguinitas, vel affinitas intercessit: SS. igitur Marcus, & Marcellianus, qui erant fratres, id eo non sunt dividendi, licet in prædicta Ecclesia reperiatur Reliquia insignis tantùm de S. Marcelliano. Qui non sunt pariter dividendi, etiamsi unus eorum esset Patronus, vel Titularis, secus verò, si fraternitas esset tantùm spiritualis, utpote quia Sancti Fratres alicujus Instituti, seu Congregationis Regularis; in tali enim casu apud illos Regulares, qui gaudent privilegio recitandi eorum Officium, si unus, vel plures eorum sunt respectivè Titulares, vel Patroni, etiam

GAVANT. Rubr. Brev.

Provincia Regularis, per modum unius, de ipso, vel ipsis debet recitari sub Ritu duplicis primæ Classis cum Octava; de reliquis verò in proxima die sub Ritu, quo debebat celebrari, ac si nullus eorum fuisset Titularis, vel Patronus. Octava verò ex omnimoda congruentia ab ipsis Regularibus debet recitari, quando aliquis Sanctus eorum Ordinis est Patronus tantùm Loci, vel Provincia, seu Regni, vel Titulus Cathedralis, seu Matricis nullius Diocesis, quamvis ipsi in eorum Ordine, seu Congregatione de prælaudato Sancto, vel Sanctis Octavam non celebrent; Quodque intelligitur de aliqua Octava ipsorum Sanctorum Regularium Clero Sæculari concessa. Si autem unus dictorum Sanctorum est Patronus minus principalis, Officium fit de ambobus. Ab ipsis verò, qui non fruuntur privilegio recitandi Officium talium Sanctorum Fratrum alicujus Instituti Regularis, de eo tantùm debet recitari, qui est Titulus, vel Patronus, etiam minus principalis, vel asservatur Reliquia insignis, vel adest indultum particulare; de reliquis autem nullum recitatur alio die Officium, neque fit commemoratio. Ex prædictorum exemplo idem dicendum censet de aliis Sanctis Fratribus eadem die occurrentibus Guyetus lib. 3. sect. 1. cap. 3. quæst. 5. & cum eo Johan. Baptista Pittonus, num. 1368.

IX. Gavant. pag. 30. col. 1. n. 15. -- De Patrono loci tanquam de digniori recitandum sit Officium, translato Titulari (&c.) Resolvit hinc Gavantus, quòd in Ecclesia Regularium, quando occurrunt duo Festa eodem die Patroni principalis loci, & Titularis Ecclesiæ illorum Regularium, resolvit, inquam, quòd Regulares debent recitare Officium de Patrono loci, translato Titulari, qui est minus dignus. Huic Gavanti decisioni non acquiescit Guyetus, sed etiam refellere nititur lib. 4. cap. 12. quæst. 2. Guyeti sententiæ ego pariter propendo ea ratione ductus, quia Festa propria cæteris omnino paribus, ut supra

L innui-

innuimus, & patet ex Decreto 23. Junii 1736. dato sub n. 322. preferenda sunt in ea Ecclesia, cujus sunt Festa, aliis Festis communibus; Festum autem Patroni, seu Tituli Ecclesiæ est perfectio Festum omnium maximè proprium; unde in paritate Ritus hoc est preferendum. Rursus considero, Regulares teneri quidem ad celebrandum Festum Patroni loci sub Ritu primæ Classis, sed sine Octava, ut liquet ex Decreto 27. Maji 1628. dato in nostro Indice n. 63. & ex aliis Decretis ibidem indicatis. Festum verò Patroni, seu Tituli Ecclesiæ tenentur pariter Regulares sub Ritu duplici primæ Classis, & cum Oct. ut patet ex Decret. 13. Junii 1682. dato in nostro Indice n. 125. unde dignius, vel sollemnius perfectio apparet relatè ad Regulares Festum Patroni, seu Tituli propriæ Ecclesiæ, vel ejus Dedicacionis, quàm Festum Patroni loci, ex quo illud sollemnius celebratur ab ipsis, nempe cum Octava, hoc verò sine Octava. Hinc est, quòd Cæremoniales Monasticum, licet Gavanto additissimum, lib. 4. cap. 16. ubi agit de Festis Patronorum, præfert Festum Patroni, seu Titularis Ecclesiæ, Festo Patroni principalis loci, nam præscribit, primum esse celebrandum sub Ritu primi ordinis, secundum verò sub Ritu duplici tertii ordinis.

X. Gavant. cod. n. 15. -- *Quòd si quotannis hic accidat occurfus, assignanda erit dies sequens in perpetuum Tituli in Ecclesiæ.* Inhærendo suæ sententiæ progreditur Gavantus ad declarandum, quod si quotannis accidat prædictus occurfus Patroni principalis loci cum Titulari Ecclesiæ, tunc asserit, assignandam fore diem sequentem in perpetuum Titulari illius Ecclesiæ, adjuncto etiam Festo Dedicacionis Ecclesiæ; specialiter cum Festum Patroni loci habet forum, & populus magis gaudet Missa de suo Patrono, quàm de quocumque alio Titulari, seu Patrono, vel Dedicacione alicujus Ecclesiæ particularis.

Fateor, quòd valde urgerent Gavanti rationes, si Festum Patroni loci esset sub præcepto observandum cum obligatione audiendi Sacrum, & abstinendi ab operibus servilibus; quia in hoc casu, si Festum Titularis Ecclesiæ non celebraretur à Regularibus cum majore sollemnitate, quàm Festum Patroni principalis loci, tunc videretur præferendum Festum dicti Patroni loci Festo dicti Titularis Ecclesiæ; quia cæteris paribus quando concurrunt duo Festa, quorum unum sit in Populo celebre, & alterum tantum in Choro consuetum sollemniter celebrari absque celebratione Populi; prius posteriori est preferendum, quia major est habenda ratio publicæ celebrationis Cleri, & Populi, quàm solius Cleri; videantur, quæ diximus de occurfu Festorum Patrocini S. Josephi cum Festo universali de præcepto SS. Philippi, & Jacobi. Ubi resolvimus, non esse preferendum primum; licet ejusdem Ritus, nisi ubi celebratur cum majori sollemnitate, quàm celebratur Festum secundum dictorum Apostolorum. Si autem sermo sit de Festo Fundatoris, seu Patroni alicujus Ordinis, tanquam de præcepto celebratur ab omnibus sub ejus Instituto militantibus, & ideo absque dubio ab iis præferri debet Festo Patroni loci, & non est postponendum, nisi Festis primæ Classis Ecclesiæ universalis, quæ supra recensuimus.

Nunc se offert occasio agitandi quæstionem, quam supra n. 4. innuimus, nimirum quando plura Officia ejusdem; sive diversi Ritus de præcepto eadem die occurrunt, & ita fixè, ut translatio alicujus sit perpetua, utrum in hoc casu prima dies proximè non impedit assignanda censeatur in perpetuum pro die propria, & fixa Festi translati respectivè? Hæc quæstio proposita fuit pluries in S. R. C. præsertim verò die 28. Aug. 1706. & 14. Decembris 1709. & S. C. respondit negativè, siquidem concessio facta utentibus Breviario Minorum de Observantia, ut habetur in Rubricis particularibus n. 15. per quam

quam conceditur talis facultas, non extenditur ad non utentes tali Breviario, quæ Decreta videri possunt in nostro Indice n. 240. & 252.

Tandem de Anno 1712. fuerunt proposita sequentia dubia S. R. C. ex parte Canonicorum Ecclesiæ Pisaurensis.

Primò. In Civitate, & Diœcesi Pisaurensi die 31. Augusti occurrit Festum Dedicationis Cathedralis sub Ritu duplici primæ Classis celebrandum, & in eadem die ab Ecclesia universali fit Officium Sancti Raymundi Nonnati sub Ritu duplici minori.

Secundò. Item in eadem Civitate, & Diœcesi die 24. Septembris occurrit Festum S. Terentii Martyris, Patroni principalis Civitatis, & Diœcesis sub Ritu duplicis primæ Classis celebrandum, & eadem die ab universali Ecclesia fit Officium B. M. V. de Mercede sub Ritu duplici minori; supplicatum autem fuit S. R. C. à prædictis Canonicis declarari, si supradicta Festa altioris ordinis venerint die Sabbato, an Officia S. Raymundi, & B. M. V. de Mercede vigore Decreti S. R. C. editi 14. Augusti 1664. & iterum 18. Octobris 1696. in reformatione Calendarii Fratrum Minorum sint celebranda die Dominico sequenti, tanquam die propria, vel debeant transferri in Feriam proximam non impeditam?

Hæc supplicatio à S. R. C. remissa fuit ad D. Abbatem Johan. Baptistam Gambarucci, tunc Sedis Apostolicæ, & Sacrarum Cæremoniarum Magistrum, pro voto; votum autem prædicti, qui nunc Archiepiscopus Amasani dignitate decoratus, & Officii Apostolicarum Cæremoniarum Præses est commendatissimus, fuit sequentis tenoris.

Duplici proposito dubio, uno dumtaxat, ac compendioso responso satisfaciendum videtur. Officia enim Sanctorum, quorum Festa, non quidem ex accidenti, atque pro hac, aut alia simili vice, sed constanter, ac de rei natura, propter occursum majoris Festi perpetuò sunt impedita, apud Peritos

Sacrorum Rituum in aliam diem permutari, & non transferri dicuntur. Translatio namque non idem est, quod mutatio, juxta tradita per Guyetum in sua *Heor. ol. g. lib. 4. cap. 7. quest. 1.* Quamvis etenim utraque fit amotio Festi à die propria, differant tamen in hoc, quòd mutatio est quædam veluti transmigratio, ac nova alterius sedis adeptio: Translatio verò instar est peregrinationis, quæ se aliò quis ita confert, ut tamen ad suam stationem illico fit rediturus. Posita igitur hac distinctione, liquidò apparet in nostro casu, quòd Officia S. Raymundi Nonnati, & B. M. V. de Mercede non translata omnino sint, sed potius immutata, & stabiliter constituta à trigesima prima Augusti in die proxima prima Septembris; necnon respectivè à die vigesima quarta Septembris in die immediate sequenti; ac propterea sub præfatis hæc diebus perpetuò, & quancumque etiam in occursum Dominicæ jure merito celebranda. Adstipulatur nostræ sententiæ praxis Basilicæ Vaticanæ, cujus auctoritas in hac materia quanti à nobis facienda sit, colligi potest ex Constitutione Nicolai III. quæ incipit: *Civitatem Sanctam Hierusalem &c.* ubi Principis Apostolorum Basilicæ cunctarum Ecclesiarum exemplar, & speculum nuncupatur; ex ejus liquidem Calendario, omissis aliis quampluribus, unum sat erit adduci exemplum, de Festo scilicet S. Catharinæ *Virg. & Mart.* quod ob perpetuum impedimentum diei Octavæ Dedicationis diætæ Basilicæ, à sua pristina sede amotum, & in diem proximam asportatum, ita ei firmiter addictum est, ut et si inciderit in Dominicam: cessare faciat illius Officium, quemadmodum pro ultima vice de Anno 1708. laudabiliter servatum fuit.

Quare ex allatis juxta mentem hujus S. C. jam pluries declaratam, & signanter per duo Decreta, quæ in præsentis supplicis libello citantur, rescribi posse censeo faciendum esse de Officiis, de quibus agitur sub die

respectivè assignatis, etiam in occurſu Dominica.

Audita ab Eminentissimis PP. hac consultatione, S. R. C. ad proposita dubia respondit -- *juxta votum antedicti Cereemoniarum Magistri*, nimirum faciendum esse de Officiis, de quibus agitur sub diebus respectivè assignatis etiam in occurſu Dominica, & ita decrevit die 2. Julii 1712.

Hoc Decreto derogatum videtur ex vi sua declarationis Decretis datis in nostro Indice n. 240. & 252. & eo magis suadeor de hac derogatione, quia de Anno 1717. aliud simile Decretum emanavit, nam cum quaesitum fuisset ex parte Ecclesiae S. Jacobi Incurabili Urbis: an Officium Visitationis B. M. V. die 2. Julii, in qua Festum Dedicationis ejusdem S. Jacobi occurrit, celebrari possit die immediate sequenti, etiamsi fuerit in die Dominica? Rursus cum pariter ex parte dictae Ecclesiae secundo quaesitum fuerit: an item die immediate sequenti diei primi Augusti etiam Dominica celebrandum sit Officium S. Petri ad Vincula, cum hac ipsa die occurrat Octava S. Jacobi? S. R. C. rescripsit -- Faciendum esse de Officiis, de quibus agitur in die immediate sequenti, etiam in occurſu Dominica, propter perpetuum impedimentum in propria die, juxta alterum Decretum editum die 2. Julii 1712. in *Pisaurin.* & ita declaravit S. C. die 20. Novembris 1717. -- Vide etiam decreta posita in nostro Indice sub nn. 286. 287. 288. 318. quibus idem declaratur, & confirmatur.

Hujusmodi suis iteratis Decretis S. R. C. approbavit sententiam Guyeti, expositam in voto Illustrissimi Praesulis Gambarucci, quod Officia Sanctorum non ex accidenti, sed constanter à suo proprio die amota, non intelliguntur transferri, sed permutari, adeoque praedictis Officiis prima dies proximè non impedita assignari censei debeat in perpetuum pro die propria, & fixa tali Festo sic translato, ita, ut, si celebratur sub Ritu

duplici, etiam in occurſu Dominica tali die sit celebrandum, id quod fieri non posset, si praedicta proxima prima dies non esset illis in perpetuum assignata, unde nunc pro omnibus Ecclesiis videtur firmiter statutum id, quod declaratum, & concessum jam fuerat in Rubricis particularibus Minorum Observantium n. 15. pro his, qui tali Breviario utuntur, nimirum, quando plura Officia de praecepto eadem die in aliquibus locis ita fixè occurrant, ut translatio alicujus, seu aliquorum sit perpetua, tunc prima dies proximè non impedita assignata censetur in perpetuum pro die propria Festi respectivè translata. Et equidem haec omnia evidenter confirmantur ex praxi communi Ecclesiae, etenim cum Benedictus PP. XIII. s. m. Anno 1728. 27. Septembris indulserit, atque concesserit, ut Officium S. Gregorii PP. VII. alias à S. R. C. die 19. Augusti 1719. cum Lectionibus secundi Nocturni, & Oratione propriis pro universo Ordine Benedictino revivum, & approbatum, in posterum ab omnibus Christianidelibus utriusque sexus tam Secularibus, quam Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, die 25. Maji sub Ritu duplici recitari, & Missa respectivè celebrari debeat, hinc à sua sede amotum fuit in perpetuum Festum, & Officium S. Mariae Magdalena de Pazzis, quod eodem die 25. Maji occurrebat, & celebrabatur, cui Festo, & Officio S. Mariae Magdalena de Pazzis reperitur assignata in perpetuum (etiam antequam ullum emanaret Decretum circa hoc Festum alii diei assignandum, sicut emanavit post aliquos Annos, ut videre est in nostro Indice sub n. 318.) tanquam dies propria, & fixa, dies 27. Maji, quae erat dies proximior, & non impedita; unde apparet, ad praxim communiter deductam esse sententiam, quam amplectimur, & quam tenemus, confirmatam pariter esse à S. R. C. Decretis mox adductis, quibus nihil officunt Decreta data in nostro Indice n. 262. & 264. pro Ecclesia, & Diocesi Januensi, quia

quia prædicta Decreta loquuntur tantum in casu, de quo agitur, adeoque sunt particularia pro dicta Diœcesi, quapropter per ipsa non fuit derogatum præcedentibus S. C. Decretis datis in nostro Indice sub numeris supra indicatis. Ex quibus omnibus firmata remanet prædicta regula generalis pro Officiis in perpetuum à sua sede amotis, & necessario transferendis; quam quidem regulam insinualle videtur noster præclarissimus Auctor dicendo, quod si quotannis accidat occurfus Patroni loci cum Titulari Ecclesiæ, assignanda erit dies sequens in perpetuum Titulari illius Ecclesiæ, nisi ex privilegio aliter fieri debeat.

XI. Gavant. pag. 30. col. 1. n. 16. -- *Officia co. cessa ad libitum in pari gradu cedunt aliis de præcepto &c.* Præter Officia recitanda de præcepto, hoc est, ex obligatione imposta universali Ecclesiæ, vel alicui particulari Diœcesi, Nationi, vel Ordini Regularium sub Ritu iisdem conveniente celebranda, dantur insuper, & occurrunt quædam alia per Annum, quæ dicuntur ad libitum, eo quod de licentia, ac Indulto Sedis Apostolicæ possunt quidem, non tamen necessario debent celebrari; sed si celebrantur, non nisi sub Ritu, ac modo ejusmodi Indultis, vel expressè præscripto, vel à S. R. C. declarato celebrari debent.

Circa Festa, seu Officia hujusmodi ad libitum celebranda nihil quidem expressè disponunt, ac statuunt Rubricæ generales Breviarii; non desunt tamen quædam Decreta auctoritate Summorum Pontificum à S. R. C. edita, ac proinde in praxi observanda, quæ infra simul collecta ad dirimenda nonnulla dubia, quæ oriri possent super hac materia, fideliter trademus.

Premittere tamen debemus primò, alia hujusmodi Festa esse ad libitum ubique, hoc est, sine restrictione ad certum locum, aut Nationem, vel Communitatem, & hujusmodi sunt nunc primò Festum S. Canuti, Regis Danorum Martyris semid. 19. Janua-

rii à Clemente X. secundo S. Laurentii Justiniani Episcopi Confessoris semid. 5. Sept. ab Innocentio XII. tertio S. Remigii Episcopi Confessoris 1. Octobris, quæ de Sedis Apostolicæ licentia alicubi quidem sunt Festa de præcepto, at verò in tota reliqua Ecclesia universali in quantum sunt semiduplicia, seu novem Lectionum, sunt Festa ad libitum tantum. Alia verò sunt ad libitum concessa alicui loco, aut Communitati, vel Provinciæ dumtaxat particulari: ad hujus posterioris generis Officia Sanctorum ad libitum possunt revocari illa, quæ nonnullæ Congregationes, Religiones, aut Ecclesiæ, vel Nationes de Sedis Apostolicæ licentia semel per mensem, vel singulis hebdomadibus de SS. Sacramento, aut de B. M. V. vel de sui Ordinis Fundatore, aut de aliis Sanctis, diebus non impeditis Festo duplici, vel semiduplici, aut Feria majori, seu Vigilia, vel illa Feria, in quo sit reponendum Officium Dominicæ, possunt recitare.

De hujusmodi Festis ad libitum nonnulli scripserunt, sed non omnia ad praxim deduci possunt, quæ iidem tradiderunt, sic olim P. Gobati relati ab Halden *part. 3. tit. 5.* & aliorum communis erat sententia: Festa ad libitum aequè transferri posse, ac Festa de præcepto, cui opinioni favebant etiam Decreta S. R. C. sed moderata fuit hæc facultas ab eadem S. R. C. à qua die 20. Decembris 1673. approbante etiam Clemente X. Summo Pontifice, editum fuit sequens Decretum datum in nostro Indice sub n. 98. -- Officia Sanctorum ad libitum censuit S. C. in futurum non esse transferenda, quando dies eorum Festivitatum sunt impediti Dominico, vel aliquo die Festorum mobilium -- Sed quia in hoc Decreto habetur limitatio ad solos dies Dominicos, ac dies Festorum mobilium, ita, ut Festa ad libitum non sint transferenda juxta hoc Decretum, nisi quando occurrant die Dominico, vel in aliquo ex Festis mobilibus, ideo Festa ad libitum in alios dies impeditos incidentia, per-

inde ac Festa de præcepto, adhuc posse transferri in aliam diem non impediam, supracitatus Gobat, & cum eo Lohner, necnon Bissus *lit. 7. n. 73. §. 17.* cum aliis sustinebant, sed prædictorum aliqui cum hac limitatione, ita, ut, si contingeret, ex pluribus translatis unum esse Festum de præcepto, alterum vero ad libitum, juxta regulam nostri Gavanti, hoc numero traditam, tunc prius fieri debere de eo, quod fuit de præcepto, & postea de eo, quod erat ad libitum; sed si translatum ad libitum altioris Classis, seu gradus foret; tunc hoc prius transferendum. Hanc Gavanti regulam admittebat quoad utramque partem Gobat *tract. 5. n. 36. append. 6. n. 65.* Guyetus tamen *lib. 4. cap. 8. quest. 3.* & cum eo Bissus supracitatus §. 16. refellunt prædictam Gavanti regulam, quoad primam partem, ex eo, quod Rubrica generalis supra *num. 6.* nulla posita distinctione Festi de præcepto, vel Festi ad libitum præscribat, quod si occurrant plura Festa, illud sit transferendum, quod est Classis inferioris, quod si Festa sint in æquali gradu, regula transferendi unum ex illis est desumenda à minori, vel majori dignitate, non vero, quod Festum sit de præcepto, vel ad libitum, quam distinctionem cum non posuerit Rubrica, ait Bissus, neque nos pro nostro arbitrio ponere debemus. Sed optimè defendi potest Gavantus, quia in pari gradu, & in pari dignitate, semper præcedentiam habet Festum de præcepto supra Festum ad libitum. Omnes autem modo corruunt hujusmodi concertationes inter Gavantum, Guyetum, & Bissum, quia S. R. C. approbante Innoc. XI. Anno 1682. die 24. Jan. Clem. X. dispositionem de non transferendis Festis ad libitum, sed de his penitus omittendis, extendit etiam ad Octavas, & Natalitia Sanctorum ex Indulto Apostolico in aliqua Religione, vel Diocesi de præcepto celebranda, ita, ut Festa ad libitum infra, aut infra aliquam Octavam, aut in Festo aliquo universali, vel particulari alicu-

jus Diocesis, vel Ordinis occurrentia, nec die illo celebrari, nec etiam transferri amplius (secluso speciali Indulto) possint, sed omnino omitti debeant; hinc fit, quod nec Gobati, nec Gavanti; nec Bissi sententia potest amplius admitti circa translationem prædictorum Festorum ad libitum. Allegatum Decretum reperitur in nostro Indice sub *n. 122* per extensum, in quo etiam additur, quod si Festa ad libitum occurrant eo die, in quo aliàs aliquod Festum translatum poni deberet, tunc liberum fore eadem Officia ad libitum recitare, & Officium translatum ulterius ad aliam diem non impediam transferre; ita etiam, omisso Officio, quod semel per hebdomadam, aut per mensem ex Apostolico Indulto recitari concessum est, Officium ad libitum eodem die occurrens recitari posse, ibidem declaratur.

E contra non licet in occurso transferre Officium duplex proprium Ordinis, causa faciendi aliud duplex ad libitum, etiam si de hoc non sit concessa translatio, ita S. R. C. 2. Decembris 1684. in una Canonice. Regul. *Lat. ran. n. ad decimum dubium*, & datur in nostro Indice sub *n. 153*.

Advertendum est, hoc Decretum loqui de Officio duplici proprio Ordinis occurrente eodem die cum Officio duplici ad libitum, in quo casu disponitur, non esse omittendum Officium proprium Ordinis, causa faciendi aliud duplex ad libitum; unde non loquitur Decretum de Officio proprio Ordinis jam ob aliquam causam omisso, & deinde transferendo, in quo casu valet dispositio tradita in superiori Decreto Anni 1682. nimirum, quod si Festum ad libitum occurrat eo die, in quo aliàs aliquod Festum translatum poni deberet, tunc liberum esse, idem Officium ad libitum recitare, & Officium translatum ulterius in alia die non impediam reponere, quod nunc ita certum est, ut dubitandi locus non sit.

In præfato Decreto edito die 24. Januarii 1682. habetur, ut Officia Sanctorum ad libitum

bitum etiam sub Ritu duplici in diebus Dominicis, & Octavis occurrentia non possint transferri, sed omitti debeant. Hinc dubium obortum est, an illa verba, in *Octavis*, intelligi debeant de die proprio Octavae, vel de tota Octava? an de qualibet Octava, vel saltem de Octavis privilegiatis? Et resolutum fuit, verba illa intelligenda esse de tota Octava, & de quacumque Octava, ita S. R. C. die 28. Novembris 1682. in *Faventina*, & datur hoc Decretum in nostro Indice n. 132. Hoc idem confirmatum fuit in Decreto 2. Decembris 1684. dato n. 154. item in alio 11. Augusti 1691. n. 168. & denique 10. Jan. 1693. n. 174.

Diximus supra, revocari posse ad Classem Officiorum ad libitum Officia semel in mense, vel hebdomada recitari concessa aliquibus Religionibus, sive Ecclesiis, vel Nationibus; unde videnda sunt Decreta edita die 20. Martii 1706. & data in nostro Indice sub n. 236. & 237. utpote spectantia ad dicta Officia ad libitum, & declarantia, quales dies censeantur impediti pro dictis Officiis recitandis. Videatur etiam Decretum editum sub die 7. Febr. 1699. & datum in nostro Indice n. 211.

Præter allegata Decreta lubet etiam mentionem facere de eo, quod editum fuit die 20. Novembris 1683. & datum in nostro Indice sub n. 146. in quo habetur -- Quando in Indultis, & Decretis super concessione Officiorum leguntur verba illa: *recitari posse: si.ri posse* -- Ita intelligenda sunt, ut nihil significant præter Officia ad libitum, quibus omnino competit Decretum die 24. Januarii 1682. pro Sanctis ad libitum editum.

Hoc Decretum multos ingerere poterat scrupulos, ob nonnulla, & penè innumera Officia Nationibus, & Religionibus sub præfatis terminis *re.itari*, & *cel. bravi* concessa, quæ tamen ab omnibus; si quandoque occurrant in die impedito, transferuntur. Ad evellendos scrupulos, qui suboriri poterant

ex allegato Decreto, examinanda est doctrina, cum cum aliis Rubricistis tradit Henricus Pilart. in *Direct. Canonico Ti. X. num. 21.* ubi ait, non alio sensu ad libitum prædicta Festa censerì debere, quando sunt concessa sub illis terminis: *celebrari posse, recitari posse*, quàm quòd liberum fuerit Episcopis, Superioribus Ordinibus, aut Capitulis Generalibus, ea acceptare, vel non; semel autem admittà à Superioribus, liberum non esse subditis, ea dimittere, vel non servare. Quibus positis sequitur citra omnem scrupulum, prædicta Officia sic acceptata si occurrant in die impedito, non reputari debere tanquam Officia merè ad libitum, sed tanquam de præcepto, adeoque esse ex genere illorum, quæ possunt transferri. Nunc verò omnis remouetur difficultas à Decreto emanato 16. Septembris 1730. in *Meliten.* dato in nostro Indice num. 278. Vide etiam Decretum editum die 26. Novembris 1735. in *Hispan.* in nostro Indice sub n. 279.

Quamvis juxta Decreta supra allegata omitti omnino debeant, & non transferri Officia Sanctorum ad libitum, quando dies eorum Festivitatum sunt impediti alio Officio novem Lectionum de præcepto, nihilominus adsunt aliquando speciales declarationes, & respectivè concessiones ab Apostolica Sede peculiariter factæ, vel recitandi talia Officia ad libitum etiam in die impedito, ut ex Decreto edito die 20. Octobris 1683. & dato in nostro Indice sub num. 143. & ex alio pariter edito die 28. Novembris 1682. & dato in nostro Indice sub num. 131. colligi potest, eadem Officia ad libitum, occurrentia in diebus impeditis, assignari, seu mutari in aliam diem non impeditam, sic concessum fuit in toto Ordine Eremitarum Sancti Augustini, ut ab omnibus utriusque sexus Religiosis Fratribus, & Monialibus Officia ad libitum SS. Canuti, & Wenceslai occurrentia in diebus impeditis Officio novem Lectionum aliorum Sanctorum dicti Or-

Ordinis, determinari possint ad aliam primam diem non impeditam, ita S. R. C. 19. Aprilis 1687. & reperitur tale Decretum in initio Breviarii ejusdem Ordinis. Ita pariter die 5. Martii 1721. concessit S. R. C. universo Ordini S. Benedicti facultatem assignandi Officium semiduplex ad libitum S. Canuti Martyris ad diem 20. Februarii, quia die 19. Januarii ob occurrence aliterius Officii S. Agathonis Papæ Confessoris, à prædicto Ordine Benedictino recitari minime potest; ita etiam pro dicto S. Canuto concessa fuit altera dies fixa, nempe 6. Februarii pro Civitate Cenetensi sub die 12. Junii 1713 ob perpetuam occurrence infra Octavam S. Titiani, Patroni principalis, occurrence die 16. Januarii. Nec desunt quamplura exempla tam pro Ecclesiis Almæ Urbis, quam pro Ordinibus Regularibus, Diocesis, ac locis particularibus.

In his autem casibus, quando prædicta dies fixa pro Officio S. Canuti incidit in Dominicam, eo Anno omitti omnino debet tale Officium etiam à dictis privilegiatis, quia adhuc remanent in suo robore Decreta supra allata de non transferendis, sed omitendis Officiis ad libitum, quando ob aliquod impedimentum in die illis assignato recitari minime possunt.

Reliquum est, ut exhibeamus hoc loco sequentia Decreta spectantia ad hanc materiam translationis Officiorum, ultra ea, quæ supra, juxta materiam opportunitatem tradidimus.

Officia concessa pro aliquibus locis, quibus assignata est dies aliqua Dominica, si sit impedita alio Festo altioris Ritus, vel dignitatis, non sunt transferenda, sed omitenda, ita S. R. C. 20. Martii 1683. & datur in nostro Indice sub n. 139.

In nostris tamen Tabulis transfertur Officium Patrocinii B. V. in Statu Ecclesiastico affixum Dominicæ secundæ Novembris, quando hæc est impedita à Festo altioris Ritus, quia præ eodem Statu memoratum Of-

ficiam B. V. est demandatum, & præceptum à Benedicto Papa XIII. ut patet ex illius Diplomate edito die 23. Augusti 1725. Ubi verò concessum est dictum Officium, seu quodvis aliud sine illa particula *ad libitum*, sed cum expressione, *recitari possit, & valeant*, vel aliquid simile virtute supradictorum Decretorum in *Meliten. & Hispanen.* quæ dantur in nostro Indice sub n. 278. & 279. intelligitur, tale Officium esse de præcepto recitandum; idcirco quoties fuerit impeditum, debet transferri. Ex his liquet, quod superius Decretum emanatum die 20. Martii 1683. explicatum remanet per Decreta mox à nobis indicata.

In Officio pro Sanctis Confessoribus, quoties eisdem fixa dies est assignata, quæ non est dies obitus eorum, recitari non debet ad Hymnum *Iste Confessor &c. & Meruit Beatas scandere sedes &c.* & eadem Regula servanda est, si transferatur Festum S. Confessoris ad diem, quæ non sit sui Obitus; ita S. R. C. ad relationem Eminentissimi, ac Reverendissimi D. Cardinalis Petrucci, auditis prius Cæremoniarum Magistris, die 11. Junii 1701. in una Tertii Ordinis S. Francisci, & datum in nostro Indice sub n. 223.

Quando contingit transferri Festum aliqujus S. Confessoris à die sui obitus in diem proximè sequentem, tunc in primis Vesperis, & in reliquo Officio continuandus est Versus, *Meruit Beatas &c.* S. R. C. 13. Junii 1682. & datur in nostro Indice n. 128.

Translata aliqua Festivitate non dicuntur translata Indulgentiæ pro die ejusdem Festivitatis concessæ; ita S. R. C. 30. Septembris 1679. & datur in nostro Indice sub n. 106. necnon die 10. Junii 1690. & datur in nostro Indice sub n. 162.

Fagioli in Calendario perpetuo rationali pag. 55. censet, excipiendum esse casum, in quo Annunciat. B. M. V. juxta Decretum editum 11. Februarii, & 11. Martii 1690. celebratur quoad forum, & Chorum

in Feria II. post Dominicam in Albis tanquam in die fixa; ita, ut unâ cum Festo ita translato in diem illam, tanquam in diem fixam, & propriam, ac si esset dies 25. Martii, intelligatur tunc translata etiam Indulgentia. In eandem opinionem descendit Felix Potestas in Examine Ecclesiastico sub *num.* 3793. Excipiendi etiam sunt Casus, in quibus ex speciali Indulto Apostolico unâ cum Translatione Festi, transfertur etiam Indulgentia. Hujusmodi Indultum Apostolicum obtinuerant PP. Minimi à Gregorio XIII. ut refert Peyrinus de Privilegiis Regularium Tom. 2. circa Constitutionem 4. ejusdem Pontificis, necnon Ursaya. Disceptat. Ecclesiast. Tom. 3. part. 2. disceptat. 24. sub *num.* 18. obtinuerunt, inquam, dicti PP. Minimi, ut cum translatione Festi S. Francisci de Paula, eorundem Institutoris, translata pariter censeatur Indulgentia plenaria Fidelibus concessa pro ejusdem Sancti Festo. Ita pariter Indulgentia perpetua à Clemente X. 1671. 19. Decembris concessa visitantibus aliquam ex Ecclesiis erectis,

vel erigendis tam Monachorum, quam Monialium Militantium sub Regula S. Benedicti, ex Indulto Innocentii XI. ut per extensum habetur in Officiis propriis Sanctorum Monastici Ordinis S. Patris Benedicti, impressis Patavii Anno 1715. transfertur ad illam diem, in qua celebrabitur prædicti S. Benedicti Festum translatum. Hæ sunt speciales concessionis; ceterum translato simpliciter Festo, ut diximus, non transferuntur Indulgentiæ concessæ pro certo, & determinato die tanquam pro die ejusdem Festivitatæ concessæ, & eidem affixæ, nisi hoc per Summos Pontifices sufficienter exprimat; sicut sufficienter exprimi censent ferè omnes, si unâ cum Officio transfertur Festum quoad forum. Monacelli tamen in Formular. leg. pract. 2. tit. Formul. 9. & alii contrariam sustinent sententiam.

XII. Labet hic subnectere sequentem Tabulam Occurrentiæ, quæ reperitur præfixa etiam omnibus Breviariis, ut Lector ob oculos habeat omnia ea, quæ spectant ad præsentem materiam Translationis Festorum.

*Tabula generalis Translationis Festorum communium, seu in Kalendario descriptorum, occurrentium in Dominicis, & Festis per Annum tam Mobilibus, quàm Immobilibus.*

## SI CONCURRAT EODEM DIE

Duplex primæ Classis, &	6	4	0	6	2	4	6	2	2	8	4	4	1
Duplex secundæ Classis,	4	4	0	4	2	4	6	2	8	1	4	1	1
Duplex per annum,	4	4	0	4	2	1	4	8	1	1	4	1	1
Dies infra Octavam,	4	4	0	4	3	3	7	3	5	5	3	3	3
Dies Octavæ,	4	4	0	4	2	7	4	2	3	3	4	3	3
Semiduplex,	4	4	0	4	8	1	4	1	1	1	1	1	1
Simplex,	3	3	3	0	3	3	3	3	3	5	3	3	3
S. Maria in Sabbato,	5	5	0	4	0	0	0	0	0	0	0	0	0
Feria major,	6	0	6	4	3	3	3	3	3	3	0	0	0
Vigilia,	0	5	6	4	3	3	3	3	3	5	0	0	0
1 Translatio de primo, Officium de secundo.	Vigilia.												
2 Officium de primo, translatio de secundo.	Feria major.												
3 Commemoratio de primo, Officium de secundo.	S. Maria in Sabbato.												
4 Officium de primo, commemoratio de secundo.	Simplex.												
5 Nihil de primo, Officium de secundo.	Semiduplex.												
6 Officium de primo, nihil de secundo.	Dies Octavæ.												
7 Officium de digniori, commemoratio de minus digno.	Dies infra Octavam.												
8 Officium de digniori, translatio de minus digno.	Duplex per annum.												
	Duplex secundæ Classis.												
	Duplex primæ Classis.												
	Dominica per annum.												
	Dominica secundæ Classis.												
	Dominica primæ Classis.												

*Notandum, quòd Duplex quodcumque etiam Patroni, & Tituli Ecclesie, vel Dedicacionis ejusdem, occurrens in Vigiliis Nativitatis Domini & Pentecostes, in die Circumcisionis, in die Octava Epiphania, in Feria quarta Cinerum, ac*

*in*

in tota majori Hebdomada, & infra Octavas Pasche & Pentecostes, in Ascensione Domini, in Festo Corporis Christi, in Festo Assumptionis beate Virginis, & Omnium Sanctorum, transfertur.

Infra Octavam Epiphania fit tantum de Patrono, vel Titulari Ecclesia, & ejusdem Dedicatione, cum Commemoratione Octava: alia Festa transferuntur post Octavam.

Infra Octavam Corporis Christi, Semiduplex transfertur, neque fit de Duplici translato; & de ea, quocumque adveniente Duplici; fit Commemoratio.

Infra illas Octavas, in quibus fit de Festis occurrentibus, Semiduplex occurrens in Dominica, transfertur in proximè sequentem diem: qua si fuerit impedita alio simili Festo, transfertur post Octavam.

De Octava Nativitatis Domini, Epiphania & Corporis Christi semper fit Commemoratio quocumque Festo in illis occurrente.

De aliis Octavis, quæ non sunt in Calendario, nihil fit à Feria quarta Cinerum usque ad Dominicam in Albis, & à Vigilia Pentecostes usque ad Festum Trinitatis inclusivè, & à die 17. Decembris usque ad Epiphaniam.

Dies Octava numquam transfertur; idèo quamquam Nativitas S. Johannis Baptista occurrens in die Corporis Christi, transferatur in diem sequentem: non tamen transfertur Octava, sed de ea fit tantum Commemoratio in Officio de Octava Corporis Christi.

Si occurrat, ut Patronus, vel Titulus Ecclesia descriptus sit eodem die in Calendario cum aliis Sanctis, in ea Ecclesia fit tantum de Patrono, vel Titulari, absque Commemoratione aliorum. Qui si in dicto Calendario descripti sint sub Officio Duplici, vel Semiduplici, transferuntur in primam diem simili Officio non impeditam, & de eis fiat Officium Semiduplex: nisi tamen sint de majoribus Festis, quia tunc de translato quoque fiet Officium Duplex, ac si propria die celebraretur. Si verò in Calendario omnes sint tamquam Festum Simplex, de illis nihil fit.

De Feriis Adventus & Quadragesima, quando de eis non fit Officium, fit Commemoratio in utrisque Vesperis & Laudibus cujuscunque Festi: de quatuor Temporibus, & Feria secunda Rogationum, ac Vigiliis in Laudibus tantum. Si verò aliqua Vigilia occurrat in Adventu, Quadragesima, & Quatuor Temporibus, vel in diebus Festorum Duplicium primæ Classis, sive Patroni, vel Tituli, aut Dedicationis Ecclesie, de ea nihil fit, nec etiam in Laudibus.

XIII. Ex dictis in hac, & præcedentibus Sectionibus inferitur, Festa Duplicia constituta esse in triplici differentia seu ordine generatim loquendo, alia enim dicuntur Duplicia primi ordinis, seu Classis, alia Duplicia secundæ Classis, alia denique Duplicia

per annum, & in unoquoque ordine alia esse aliis digniora; atque in tertio ordine, ea, quæ sunt digniora, appellantur Duplicia majora per annum, reliqua verò ejusdem ordinis appellantur Duplicia minora. His firmatis, certum est apud omnes, Duplex pri-

mae Classis in Concurrentia, & Occurrentia præferri aliis aliorum ordinum, & Duplex secundæ Classis præferri cæteris inferioris ordinis; inter Festa autem unius ordinis digniora præferri aliis ejusdem ordinis minus dignis, v. g. Festa Domini primæ Classis, præferri Festis Beate Mariæ primæ Classis. Ita Festa secundæ Classis Beate Mariæ, præferri Festis secundæ Classis Apostolorum, & Angelorum; denique Festa illorum Sanctorum, quæ in propriis locis, vel Ecclesiis sollemniter celebrantur, præferri aliis in Calendario descriptis, ut patet ex Rubrica de Concurrentia Officii n. 2. & ex Rubrica de Translatione Festorum n. 6.

Infertur secundò, certum pariter esse, quòd in præferentia Festorum in primis habenda est ratio majoris Sollemnitatis: dignitatis autem majoris solum est habenda ratio in æqualitate Sollemnitatis, ac in præferendis tantum (aliis remanentibus paribus,) Festis Domini, Festis Beate Mariæ, Angelorum, & Apostolorum, non verò aliorum, v. g. Martyrum, aut Virginum, ut supra annotavimus.

Infertur tertio, quòd quamvis nullum Festum inferioris ordinis ex more & Ritu Romanæ Ecclesiæ, in qua omnia magis ordinatè fiunt, videatur Sollemnius celebrari altero ordinis superioris, in aliis tamen Ecclesiis sæpe aliter evenire, ut v. g. apud nonnullos in Festis S. Antonii, & S. Annæ, quæ sunt solum Duplicia per annum, major adhibetur Sollemnitatis, quàm in plerisque Festis secundæ Classis, v. g. Sanctorum Jacobi, Matthæi, Andreae &c. Hinc oritur interdum difficultas in concurrentia quoad Vesperas, & Commemorationes faciendas, utrum videlicet præferenda sint ea, quæ majori celebrantur Sollemnitate ex particulari Consuetudine, an ea, quæ sunt sublimioris dignitatis, vel Ritus ex præscripto Rubricarum Breviarii, seu Cæremonialis?

Infertur quartò ex supra firmatis à nobis, omnia Festa in usu Romano celebranda esse

cum ea Sollemnitate, quæ ipsis convenit ex Rubricis Breviarii & ex præscripto Cæremonialis; proinde in omnibus Festis primæ, & secundæ Classis debent exerceri illæ Cæremoniaæ aliæque Sollemnitates, quæ pro Festis prædictis præscribuntur à Breviario, & Cæremoniali.

Advertere autem est, nullum Festum habendum esse in aliqua Ecclesia, seu Diocesi pro Duplici primæ aut secundæ Classis præter ea, quæ specialiter conceduntur à Sede Apostolica, & præter enumerata in Rubrica de Commemorationibus, & in fine Rubricarum, quamvis in Choro, vel etiam in Populo sit celebre; quia Rubricæ disponentes circa Festa primæ, & secundæ Classis ubique loquuntur solum de ibi enumeratis, ut videre est in Rubric. de Octavis n. 3. de Commemorationibus n. 3. & 4. de Translatione Festorum n. 2. Unde irregulare esset, aliquod Festum, quod non est de illorum Classe, alicui ex ipsis præferre ob Sollemnitatem; quia celebratur, quia est contra ordinem, ut Festum inferioris ordinis, seu generis præferatur alteri ordinis superioris, & contra Rubricam de Concurrentia Officii n. 2. ubi expressè dicitur, *ut Dupliciter concurrente cum alio Duplici si non sint ejusdem Sollemnitatis, servetur differentia in Rubricis de Commemorationibus, & translatione Festorum assignata, ut scilicet Festa majora habeant primas, & secundas Vesperas integras cum Commemoratione minorum, quando de eis fit ritus d. bet.* Ex quibus sequitur, ut innumus paulò antè, Festum Duplex simpliciter per annum, v. g. Sanctæ Annæ, etiam alicubi celebretur cum majori Sollemnitate, quàm Festum S. Jacobi, quod est secundæ Classis, non debet tamen huic præferri, & habere integras Vesperas, quia est contra ordinem, ut diximus, ut Festum inferioris ordinis præferatur alteri ordinis superioris. E contra non videtur tamen inordinatum, quòd Festum tertii ordinis præferatur ratione majoris Sollemnitatis alteri ejusdem ordinis æquali, aut etiam

etiam digniori ob celebritatem, seu Sollemnitatem majorem, quam alicubi habet in populo, vel in Ecclesia, seu Choro, & ratio est, quia in præferentia Festorum in primis habenda est ratio Sollemnitatis, dignitas autem non nisi in æqualitate Sollemnitatis, ut supra diximus, & patet tum aliunde, tum ex Rubrica de Concurrentia Officii n. 2. & de Translatione Festorum n. 6. Unde etiam ibidem inter Festa ejusdem sollemnitatis Festa illorum Sanctorum, qui in propriis locis vel Ecclesiis sollemniter celebrantur, dicuntur præferenda aliis in Calendario descriptis utique etiam dignioribus. Hinc etiam in Rubrica de Officio Duplici n. 1. ordinatur, ut in Festis Sanctorum, qui apud quasdam Ecclesias Religiones, vel Congregationes consueverunt sollemniter celebrari, Officium fiat Duplex: quocirca non immerito ait Johannes Jacobs, Canonicus Ecclesie Cathedralis Brugensium, in suo aureo Compendio Cæremoniarum, Consideratione V. Festum S. Nicolai, quod tunc in Calendario Romano erat tantum Semiduplex, Brugis ob celebritatem in populo quasi celebrabatur Officio duplici cum sola commemoratione S. Ambrosii in secundis Vesperis. Equam enim est, & rationi maxime consonum, ut Officium, quod fit pro Clero, & Populo, & nomine omnium, omnibus eo loci quoad fieri potest, accommodetur. Unde etiam verisimile est, quod ob solam majorem Sollemnitatem in Ecclesia seu Choro adhiberi consuetam absq; celebratione Populi, Festum tertii ordinis alioquin æquale, vel minus dignum, alteri ejusdem ordinis præferendam sit in publica decantatione Officii, ut ita Sollemnitatis, Officium Festi, ob quod ea adhibetur, correspondeat, & omnia ordinatè fiant. Unde ulterius idem videtur servandum in privata recitatione, quæ quasi subrogatur loco publicæ in iis, qui Choro non tenentur assistere, vel de facto non assistunt, ut sic quisque sese conformet suæ Ecclesie, in qua residet.

Quare autem Festum tertii ordinis, nimirum Duplex minus, seu majus per annum ob particularem Sollemnitatem majorem, præferendum sit alteri ejusdem ordinis, etiam digniori, ut hucusque diximus, & v. g. fit Brugis in Festo S. Antonii, quod in secundis Vesperis concurrat cum Cathedra S. Petri, & ob eandem rationem non sit etiam præferendum alteri secundæ Classis, v. g. non sit præferendum, ut diximus, Festum S. Annæ Festo S. Jacobi, ut sic Sollemnitati correspondeat Officium Festi, ob quod ea adhibetur, ut in divinis Officiis omnia ordinatè fiant, ratio jam est à nobis assignata, nimirum quia Sollemnitatis illa, qua celebratur Festum S. Jacobi, omnibus Festis secundæ Classis convenit, nec solum illis, sed etiam aliis, quæ à Populo observantur; proinde illis omnibus tribuenda est, & non alia ipsis præferenda, sed potius illa ita moderanda, ut omnia honestè, & secundum ordinem fiant, ut monet Apostolus 1. ad Corin. b. 14. & maxime intenditur per Rubricas Breviarii ac dispositiones Cæremonialis. Inordinatum enim, & irregulare esset, quod majora Festa Ecclesie præscripta sollemniter celebrari negligantur, ut alia minora, quæ non ita præscribuntur celebrari adeo sollemniter, & cum tali pompa celebrantur, ut ipsis etiam Festis majoribus præferantur. Etsi enim, ut supra diximus, Festa Sanctorum, qui consueverunt sollemniter celebrari, per hoc etiam ex dispositione Rubricarum, constituentur Duplicia, relinquuntur tamen intra limites Duplicium tertii ordinis, & merito, ne alioquin per particulares consuetudines Ordo Officii Romani nimirum turbetur, & quia decet majora Festa Ecclesie, cujusmodi sunt Festa primæ, & secundæ Classis, apud omnes eadem esse, & uniformiter celebrari: in minoribus autem admittitur varietas, quia etiam ea ad ornatum Ecclesie spectat.

Infertur quintò ex dictis, quòd si concurrant duo Festa tertii ordinis, quorum unum sit in Populo Celebre, & alterum tantum in Choro consuetum sollempniter celebrari absque celebratione Populi, prius posteriori sit præferendum, quia, ut diximus, in omnibus Festis, quæ à Populo observantur, Officium celebrandum erit in Choro sollempniter, & cum illud fiat pro omnibus, & nomine omnium, major habenda est ratio publicæ celebrationis Cleri, & Populi, quàm solius Cleri.

Denique ex hucusque dictis inferendum pariter est, quòd constituta jam quidditate & qualitate Officii singulorum Festorum, juxta præscriptiones Rubricarum generalium dicere oportet, quòd si plura Festa eodem die occurrant, vel unum in 2. Vesperis concurrat cum altero sequenti in primis Vesperis juxta eandem qualitatem, judicandum est de præferentia illorum, & de Commemorationibus faciendis ex Rubricis de Translatione Festorum, & de Concurrentia Officii, & de Commemorationibus, seu ex Tabulis Generalibus ex illis excerptis, & à nobis supra positis. Ex illa Occurrentia videtur est, de quo duorum Festorum Occurrentium eo die faciendum sit Officium; & ex altera Concurrentia videre est, de quo in Concurrentia sint faciendæ Vesperæ, & de quo tantum Commemoratio. Sed animadvertendum ex dictis: illud, quòd dicitur in Regula Tabulæ Generalis pro concursu Festorum ejusdem ordinis, seu ad numerum 8. *Officium de digniori Translatione de minus digno* accipiendum esse accommodatè ad Rubricam de Translatione Festorum sub num. 6. & ad supradicta à nobis, videlicet hoc modo: *Officium faciendum de digniori, seu sollempniori, & quod minoris Sollemnitatis vel dignitatis, transferendum, & similiter, quod dicitur in Regula Tabulæ de Concurrentia num. 6. nimirum: totum de digniori Commemoratio de minus digno ac-*

cipiendum est accommodatè ad Rubricam de Concurrentia Officii num. 2. & ad dicta à nobis supra, videlicet hoc modo: *totum Officium faciendum de digniori, vel sollempniori cum Commemoratione ejus, quod est minus dignum, vel minus sollempne.* Et Duplex per annum majus sic extendendum, & accommodandum sit, ut sub eo comprehendatur tam majus dignitate, quàm majus sollempnitate, id est, tam dignius, quàm sollempnius, licet enim inter Festa ejusdem ordinis, seu generis, v. g. primæ Classis, vel secundæ Classis in Concurrentia, & Occurrentia dignius absolutè dicitur præferendum, quia scilicet ejusmodi per se sunt æqualis Sollemnitatis, ut indicatur in Rubrica de Concurrentia Officii num. 2. Ubi tamen ex consuetudine unum eorum sollempnius celebratur quàm alterum, ibi in Concurrentia, & Occurrentia potius habenda est ratio majoris Sollemnitatis, quàm majoris dignitatis, ut supra explicatum est. Sed advertendum, quòd sicut Duplex tertii ordinis nunquam ratione Sollemnitatis debet præferri Duplici secundæ Classis, seu secundi ordinis, ita Duplex secundæ Classis, seu secundi ordinis, nunquam ratione Sollemnitatis debet ita elevari, ut in concursu seu concursu præferri debeat Festis primæ Classis, & primi ordinis; sicut etenim inordinatum, & præposterum est, ut Festum tertii ordinis præferatur ratione Sollemnitatis Festo secundi ordinis, ita inordinatum esset, Festum secundi ordinis ita sollempniter celebrare, ut præferri deberet Festis primi Ordinis.

Multa ex his, quæ hoc loco adnotavimus, desumpta sunt ex allegato opusculo Johannis Jacobs. Omnia vero diligenter discussa, & approbata fuerunt à viris, in hac scientia Rubricarum peritissimis; unde crederem, posse ab omnibus ad praxim deduci; superest tantum, ut hoc loco mentionem faciamus Decreti emanati die 23. Junii 1736. in  
Ein.

*Einſiden; & dati in noſtro Indice ſub num. 322. in quo hæc leguntur - - In Occur-  
rentia Feſtorum ejuſdem Ritus, & aliàs quo-  
modocunque parium, primum locum ha-  
bebit Officium Eccleſiæ particularis, ſecun-  
dum Ordinis, ſeu Religionis, tertium Dic-  
ceſis, quartum Nationis, quintum Eccleſiæ  
Univerſalis. Huic Decreto conſonant alia*

*data ſub num 174. 286. 287. 288. quæ  
tamen Decreta intelligenda ſunt juxta ex-  
ceptiones, & conſiderationes mox à nobis  
factas de majori, vel minori Sollemnitate,  
quo prædicta Feſta celebrari poſſunt, ut  
melius intelligatur, quæ in aliquo caſu par-  
ticulari cæteris paribus præferenda, vel poſt-  
ponenda ſint.*

## De Commemorationibus. XI.

## RUBRICA.

- 1 **C**ommemorationes ſunt de Feſtis Simplicibus, quando in eorum diebus incidit Feſtum novem Lectionum etiam translatum, vel Octava, vel Sabbatum: & quando fieri debet de Feria, ut ponatur Officium alicujus Dominica, qua eo anno ſuperſit.
- 2 De Feriis Adventus, Quadrageſima, Quatuor Temporum, Vigiliarum, & ſecunda Rogationum ſit Commemoratio, quando Feſtum novem Lectionum in illis Feriis occurrit. Si Simplex Feſtum in eiſdem Feriis occurrat, Officium ſit de Feria, & Commemoratio de Feſto Simplici.
- 3 Præterea ſit Commemoratio de Dominicis à Pentecoſte uſque ad Adventum, & ab Epiphania uſque ad Septuageſimam, & à Dominica in Albis uſque ad Pentecoſten excluſivè, quando Feſto Duplici impediuntur. De aliis Dominicis nulla ſit Commemoratio occurrente Feſto Duplici, quia Feſtum in illis occurrens transfer-  
tur; niſi illud Feſtum fuerit principalis Patroni, vel Tituli, aut Dedicacionis ipſius Eccleſiæ, non autem alicujus Capellæ, vel Altaris ejuſdem Eccleſiæ: & tunc de huiusmodi principali Feſto ſit tantum in eo loco vel Eccleſia, cujus eſt Patronus vel Titulus, aut Dedicatio, cum Commemoratione Dominica: excepta Domini-  
ca I. Adventus, Dominica I. Quadrageſima, Dominica Paſſionis, Dominica Pal-  
marum, Dominica Paſchæ, Dominica in Albis, ac Dominica Pentecoſtes, & Trinitatis: in quibus huiusmodi occurrens Feſtum, transfertur in ſequentem diem ſimiliter non impeditam: dummodo non fuerit infra majorem Hebdomadam, & per Octavam Paſchæ & Pentecoſtes; quibus diebus non ſit de aliquo Feſto Duplici occurrente.
- 4 De Octava etiam, quando Feſto novem Lectionum, vel Dominica impeditur, ſit Commemoratio, niſi illud Feſtum novem Lectionum fuerit ſollemne principale alicujus loci, ut ſuprà. Nam in primis Veſperis & Laudibus huiusmodi Feſti nulla ſit Commemoratio Feſti Simplicis occurrentis, nec alicujus Vigiliæ (excepta Vigilia Epiphaniæ,) nec alicujus diei infra Octavam, nec alicujus præcedentis Feſti novem Lectionum (niſi id Feſtum fuerit ex iis, quæ infra in hac eadem Rubrica enumerantur,) nec diei Octava, nec Dominica, ſi Feſtum illud ſollemne celebra-  
tur

- tur Feria secunda: exceptis Dominicis Adventus, & Dominicis à Septuagesima usque ad Octavam Pascha inclusivè; de quibus Dominicis, sicut etiam de Feriis Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, & secundæ Rogationum, semper fit Commemoratio, quocumque Festo adveniente. Quòd si hujusmodi Festum sollemne venerit in quacumque Dominica, fit Commemoratio de ea in utrisque Vesperis & Laudibus. Et similiter, si occurrat in die Octava alicujus Festi habentis Octavam, de ea fiet Commemoratio etiam in utrisque Vesperis & Laudibus. In secundis autem Vesperis Festi prædicti fit Commemoratio de Duplici, Semiduplici, & Dominica sequentibus, & non de aliis.
- 5 Idem servatur in quibusdam Festis majoribus per annum, scilicet in Nativitate Domini (in cujus Officio nulla fit Commemoratio de S. Anastasia, sed in secunda tantum Missa,) in Epiphania, in Pascha Resurrectionis cum tribus proximè antecedentibus & duobus sequentibus diebus, in Ascensione Domini, in Pentecoste cum duobus sequentibus diebus, in Festo Corporis Christi, & in Festis Nativitatis Sancti Johannis Baptista, Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, & Assumptionis B. Maria, in Festo Omnium Sanctorum, & in Festo Dedicationis propriae Ecclesiae: in quibus Festis fiunt Commemorationes eo modo tantum, quo dictum est supra de Festo sollemni alicujus loci.
- 6 In Festis autem secundi ordinis, videlicet, Circumcisionis, Trinitatis, Purificationis, Annunciationis, & Nativitatis Beatae Mariae, in Natalitiis xij. Apostolorum, & Evangelistarum, in Festo Inventionis S. Crucis, & in Festo S. Laurentii, & Dedicationis S. Michaëlis Archangeli, in primis Vesperis fit Commemoratio Festi Duplicis eo die celebrati, nisi aliter in propriis locis notetur: de Dominica verò, de die infra Octavam, & de Festis Semiduplicibus non fit commemoratio, eo modo, quo nec in Festo sollemni alicujus loci, ut dictum est supra. De simplicibus, & Vigiliis in his Festis occurrentibus legitur nona Lectio, & fit Commemoratio in Laudibus tantum. In secundis autem Vesperis fit Commemoratio de quocumque sequenti Festo, etiam Simplici, & de die infra Octavam, si de ea fieri debeat Officium die sequenti. De Octavis Nativitatis Domini, Epiphaniae, & Corporis Christi semper fit Commemoratio in utrisque Vesperis & Laudibus, quandocumque contigerit, infra illas de aliquo alio Festo Officium celebrari, juxta Rubricam de Octavis num. 3.
- 7 De Dominicis & Feriis Adventus, & Quadragesimæ Commemoratio fit in utrisque Vesperis & Laudibus. De Feriis Quatuor Temporum, Vigiliarum, & secundæ Rogationum, quando de illis commemoratio fieri debet, fit in Laudibus tantum. De Festis autem Simplicibus (nisi in diebus supradictis occurrant) Commemoratio fit in primis Vesperis & Laudibus eo die, quo in Calendario assignantur. De aliis verò Dominicis per annum, & Octavis Commemoratio fit in utrisque Vesperis & Laudibus, nisi concurrant cum supra enumeratis Festis.

- 8 Commemorationes fiunt hoc modo. Post Orationem diei, in primis Vesperis dicitur Antiphona, quæ posita est ad Magnificat, & in Laudibus, quæ posita est ad Benedictus in Communi (si propriam non habuerit) conveniens ejus Officio, cujus fit Commemoratio. Post Antiphonam dicitur Versus, inde sumendus, unde sumpta est Antiphona, scilicet post Hymnum Vesperarum & Laudum: deinde dicitur Oratio. Si Antiphona & Versus Festi, de quo fit Commemoratio, sumenda essent ex eodem Communi, unde sumpta sunt in Officio diei, in Festo Commemorationes variantur; ita ut in Vesperis sumantur ex Laudibus, & in Laudibus ex primis Vesperis ejusdem Communis, nisi aliter signetur. Et similiter si in secundis Vesperis S. Agathe, aut alterius Sancta novem Lectionum fieri debeat Commemoratio B. Mariae pro ejus Officio in sequenti Sabbato celebrando, ne repetatur Versus Diffusa est gratia; dicatur Versus Benedicta tu; ex Laudibus. Si item occurrat, ut eadem sit Oratio Festi, de quo fit Officium, & ejus, de quo fit Commemoratio, mutetur Oratio pro Commemoratione in aliam de Communi. Si de Tempore fiat Commemoratio, de Dominica scilicet, vel Feria, Antiphona & Versus ante Orationem eodem modo sumantur ex proprio de Tempore, si habuerit proprium; alioquin de Psalterio: Oratio verò ex proprio de Tempore.
- 9 Quando fit Commemoratio de Dominica vel Feria, quæ habent propriam Homiliam, nona Lectio in Officio diei novem Lectionum legitur de Humilia Dominica vel Feria; quæ erit vel prima de Homilia, vel tres simul in una Lectione conjunctæ.
- 10 Si in die, in quo fit Officium novem Lectionum, fiat Commemoratio de Festo trium Lectionum, nona Lectio legitur de Festo trium Lectionum, si propriam habuerit: si duas, ex duabus fiat una Lectio, quæ sit nona in Officio novem Lectionum. Quæ Lectio de Sancto non legitur, quando de eo fit Commemoratio in Dominicis, quæ habent nonum Responsorium, nec quando nona Lectio legenda est de Homilia Dominica vel Ferie, ut supra; nec in Feriis, & aliis diebus, quando in Officio diei leguntur tantum tres Lectiones; nec etiam nona Lectio legitur de die infra Octavam, quando de ea fit Commemoratio in Dominica vel aliquo Festo, licet habeat Evangelium proprium, & Homiliam.
- 11 Quando contingit fieri plures Commemorationes, servetur hic Ordo. De Duplici fiat ante Dominicam, de Dominica ante Festum Semiduplex, de Semiduplici ante diem infra Octavam, de die infra Octavam ante Ferias Adventus, Quatuor Temporum, Vigiliarum & Rogationum, & de dictis Feriis ante Festum Simplex: De S. Maria (quando in secundis Vesperis Festi novem Lectionum, quod Feria vj. celebratum sit, de ea fieri debet Commemoratio pro Officio sequenti Sabbati) fiat ante Festum Simplex in Sabbato occurrens: De Festo Simplici fit Commemoratio ante Suffragia, seu communes Commemorationes.

nes de Cruce, S. Maria, Apostolis, & Pace, & ante Commemorationem eius. cumque Tituli vel Patroni Ecclesia, qua etiam pro sui dignitate aliis Suffragiis traditis praeponeatur. De quibus Suffragiis, quomodo & quando facienda sint, habetur inferius propria Rubrica.

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Cap. XI. De Commemorationibus.

I. Gavant. pag. 30. col. 2. n. 1. -- De Commemorationibus.) Tractationem de Commemorationibus non servato Rubricarum ordine postponit Gavantus Tractationibus Concurrentiæ Officii, ac Occurrentiæ, seu Translationis Festorum, & nos hujus insignis Auctoris vestigiis semper inhærendo, in his Additionibus, & Observationibus nonnulla spectantia ad hanc materiam hic adnotabimus. Commemorationes igitur, quæ faciendæ sunt aliquando in Officio diei currentis ad utrasque, aut saltem alterutras Vesperas, necnon ad Laudes, & respectivè ad Missam post Orationem diei ex præscripto Rubricarum, sunt duplicis generis, nempe *Speciales*, & *Communes*. Speciales consistunt in his Antiphonis, Versibus, & Orationibus, quæ ratione alterius Festi, aut Officii occurrentis, vel concurrentis, Orationi Festi, aut diei currentis in hujus Officio prædicti loci sunt superaddendæ. Communes (quæ alio nomine Suffragia Sanctorum à majori illarum parte delumpta denominatione dicuntur) sunt illæ, quæ unâ cum suis Antiphonis, & Versibus sub titulo commemorationum communium, seu suffragiorum Sanctorum extant in Psalterio post Vesperas Sabbati immediatè ante Completorium, sicutque in fine Vesperarum, & Laudum post Orationem Officii currentis, & post antedictas commemorationes speciales, si quæ fieri debent ab Octava Epiphaniæ usque ad Dominicam Passionis exclusivè, & ab Octava Pentecostes usque ad Adventum exclusivè, diebus infra referendis. De hujusmodi Commemorationibus, & suffragiis Sanctorum

communibus agemus infra cum nostro Auctore *Sect. 5. cap. 8.* nunc enim sermonem contrahimus ad solas Commemorationes speciales, quæ, ut dixi, constant Antiphona, Versu, & Oratione. Antiphona in Vesperis ea sumitur, quæ est assignata pro Cantico *Magnificat* Officii illius, de quo fit commemoratio, in Laudibus verò, quæ pro *Benedictus*, cujus rei rationem assignat Gavantus *hoc cap. num. 31.* & Versus sunt, qui dicuntur post Hymnum respectivè ad Laudes, vel Vesperas, prout pariter notat Gavantus *ibid. n. 27. & 28.*

II. Gavant. pag. 30. col. 2. n. 3. -- De *Feria majori si commemoratio &c.*) De Feriis majoribus semper in Vesperis, & Laudibus, quando de dictis Feriis non potest fieri Officium propter impedimentum Festi duplicis, semiduplicis, vel Octavæ tempore respectivè permisso, debet fieri commemoratio. Adhuc etiam pro ultima Lectione Homilia earundem Feriarum majorum ad Matutinum; hujusmodi autem Feriæ sunt sequentes, nimirum Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, & Feria II, Rogationum: de his, inquam, Feriis semper fieri debet commemoratio, etiam occurrente Festo duplici primæ Classis, cum hac differentia, quod de Feriis Quatuor Temporum Septembris, & de Feria II, Rogationum fit commemoratio tantum in Laudibus, de aliis verò etiam ad Vesperas; ceterum de Feriis minoribus per Annum nulla unquam fit commemoratio, etiamsi de his non possit fieri Officium, excepta Feria VI. post Octavam Ascensionis, quæ habet Officium, sicut dies infra Octavam

vam ejusdem Festi, unde si in hac Feria occurreret Festum novem Lectionum, non tamen aliqua dies infra Octavam, quæ per solam Commemorationem cessat ad Nonam; tunc quidem erit faciendum Officium de Festo (etiam translato, ut supra diximus) addita tamen Commemoratione dictæ Feriæ VI. ex Rubrica particulari posita ante hanc VI. Feriam, quæ Commemoratio, excepto duplici primæ, & secundæ Classis, facienda est ad Laudes absque nona Lectione de Homilia hujus Feriæ, ut notat etiam Gavantus *sect. 6. cap. 17. n. 6. & 7.* At in secundis Vesperis dictæ Feriæ non desunt, qui censent, faciendam esse ejusdem Feriæ Commemorationem, etiam si occurrat Festum duplex primæ Classis. Hanc opinionem amplectuntur PP. Monachi Benedictini S. Mauri in suo Ceremoniali Monastico *lib. 4. cap. 16. pag. 533.* Qui huic opinioni adherent, opinantur, hanc Antiphonam hujus Feriæ, quæ est in secundis Vesperis, pertinere ad Feriam sequentem, nempe ad Vigiliam Pentecostes, quam comparant aliquo modo cum Vigilia Epiphaniæ, de qua fit commemoratio in Vesperis antecedentis diei; occurrente etiam Festo primæ Classis in illa die: Ego nihil decidere aulam super hanc rem, quamvis potius inclinem in Guyeti sententiam, prout in sequenti Tabula.

Rursus fit etiam Commemoratio Vigiliarum (de quibus non potest fieri Officium propter aliquod impedimentum) & non solum Vigiliarum, quæ jejunantur, sed etiam, quæ non jejunantur, ut accidit in Vigilia Ascensionis Domini, quæ est sine jejunio. Excipiendæ tamen sunt Vigiliæ occurrentes in Festo duplici primæ Classis, tunc enim de Vigilia nulla fit commemoratio, ut præscribitur in Rubrica generali Breviarii *tit. 6.* necnon

in Rubrica generali 3. Missalis *n. 2.* ubi inter alia habetur, quod si Vigilia occurrat in die alicujus Festi ex majoribus primæ Classis, in Missa non fit commemoratio de ea, sicut nec in Officio. Fit tamen commemoratio dictarum Vigiliarum occurrente quocunque alio Festo duplici, etiam secundæ Classis, ut bene notat Guyetus *lib. 4. cap. 5. quest. 2.* omittitur etiam commemoratio Vigiliæ in Officio Feriarum (non verò in Missa, ut alibi diximus) Adventus, Quadragesimæ, & Quatuor Temporum, etiam si fieret de aliquo Festo ut notat etiam Bissus *in lit. V. n. 50 §. 4.*

Supereest mentionem facere de Vigiliis privilegiatis, nempe de Vigilia Nativitatis Domini, Pentecostes, & Vigilia Epiphaniæ; ad primas duas quod attinet, nihil est addendum, quia de his semper fieri debet Officium, cum nulli Festo cedant, ut observat Guyetus *loc. cit. quest. 5.* quoad Vigiliam verò Epiphaniæ occurrere potest casus: quod in ea celebretur Festum duplex, non tamen translato, & tunc de hac Vigilia debet fieri semper commemoratio in primis Vesperis, & Laudibus, cum Lectione de Homilia, etiam si tale Festum duplex fuerit primæ Classis; Festa verò semiduplicita in hac Vigilia occurrentia transferuntur, ut alibi diximus.

Sicut ad commodiorem antedictorum intelligentiam consignavimus Tabellas à Guyeto traditas, ejusdem quasi forma cum illis, quæ in calce Rubricarum generalium appositæ sunt pro Occurrentiâ, & Concurrentiâ Officiorum, ita hoc loco congruum videtur subijcere alias sequentes Tabellas, ut statim uno aspectu colligatur, quæ, & qualis fieri debeat in quocunque eventu Commemoratio Feriarum, Vigiliarum &c.

# TABELLA COMMEMORATIONIS FERIARUM.

	Occurrente in iis					
Adventus,	1	1	1	1	1	1
Quadragesimæ,	2	0	0	2	2	2
Secunda Rogationum,	3	4	3	3	3	3
Quatuor Temporum,	3	4	3		3	3
Sexta post Octavam Ascensionis,	8	7	5	5	6	9
1 Commemoratio in utrisque Vesperis, Laudibus, ac Missa.	Semiduplici etiam translato.	Die infra Octavam.	Die Octava.	Duplici per annum.	Duplici secundæ Classis.	Duplici primæ Classis.
2 Commemoratio in utrisque Vesperis, & Laudibus, cum nona Lectione de Homilia ad Matutinum: item in Missa cum Evangelio in fine.						
3 Commemoratio in Laudibus, cum nona Lectione de Homilia ad Matutinum: item in Missa cum Evangelio in fine.						
4 Commemoratio in Laudibus, cum nona Lectione de Homilia: Missa verò de Feria ipsa, cum commemoratione Octavæ.						
5 Commemoratio in Laudibus, Missa, & Vesperis.						
6 Commemoratio Feriæ in Vesperis tantum.						
7 Commemoratio diei infra Octavam in Laudibus, & Missa: Vesperæ de illa Feria sexta.						
8 Commemoratio de Feria, in Laudibus, Missa, & secundis Vesperis.						
9 Nulla commemoratio Feriæ.						

TABEL-

# TABELLA COMMEMORATIONIS VIGILIAE.

Occurrentis cum	Duplici primæ Classis.	2
	Duplici secundæ Classis.	1
	Duplici per annum.	1
	Semiduplici.	1
	Die infra Octavam.	3
	Die Octava.	1
	In Adventu.	4
	In Quadragesima.	5
	In Quatuor Temporibus.	5

- 1 Commemoratio in Laudibus, cum nona Lectione de Homilia ad Matinum: item in Missa cum Evangelio in fine.
  - 2 Nulla commemoratio in Officio, nec in Missa.
  - 3 Commemoratio in Laudibus, cum nona Lectione de Homilia: Missa de ipsa Vigilia, cum commemoratione Octavæ.
  - 4 Nulla commemoratio in Officio: Missa de ipsa Vigilia, & in Quatuor Temporibus commemoratio de ipsa in Missa.
  - 5 Commemoratio in Missa tantum.
- De Vigilis Nativitatis, & Pentecostes nusquam fit commemoratio, quia de iis semper fit Officium. De Vigilia Epiphaniæ fit commemoratio pridie in Vesperis more Festi. Ipsa verò die fit Officium novem Lectionum; si tamen occurrat alicubi Festum duplex, non tamen translatum, etiam primæ Classis, fiet de eo, cum nona Lectione de Homilia, & commemoratione Vigiliæ in Laudibus, ac Missa, & ultimo Evangelio in fine.

III. Gavant. pag. 30. col. 2. n. 4. -- De simplici fit Commemoratio &c.) Ex Textu Rubricæ superioris, & ex Gavanti Commentario colligitur, quando fieri debeat Commemoratio de Festo simplici, nimirum in occurrentia alicujus Festi, vel Feriæ, in qua de eodem Festo simplici non potest fieri Officium. Colligitur pariter, quòd in duplicibus primæ Classis omnino omittitur Commemoratio Festi simplici in prædictis duplicibus occurrentis. In duplicibus verò se-

cundæ Classis fit tantum Commemoratio simplici ad Laudes, & in Missis privatis. Notat tamen Gavantus, quòd in ejusdem Festi simplici primis Vesperis, quando cum eo pridie concurrat semiduplex, Dominica, dies Octava, duplex etiam secundæ Classis, non autem primæ Classis, debet fieri Commemoratio dicti Festi simplici, & num. 15. proponit casum, quòd detur concurrentia duorum Festorum duplicium secundæ Classis, ita, ut in Festo secundæ Classis occur-

rente sequenti die adfit etiam Festum simplex, & in Vesperis fiat Officium totum de precedenti Officio secundæ Classis, utpote magis digno, sola verò Commemoratio de sequenti Festo secundæ Classis, ut minus digno; quo posito querit Gavantus, an in secundis Vesperis illius precedentis duplicis secundæ Classis sit faciendâ Commemoratio Festi simplicis occurrentis die sequenti? & quidem cum ex his, quæ asserit hoc loco, in secundis Vesperis duplex secundæ Classis admittat Commemorationem simplicis sequentis, videtur in casu proposito non debere excludi, nihilominus resolvit, in prædicto casu omittendam esse Commemorationem Festi simplicis, quia occurrit in duplici secundæ Classis sequentis, quod non admittit Commemorationem simplicis in primis suis Vesperis, sed tantum in Laudibus; neque officit, quod sequens duplex secundæ Classis careat primis Vesperis, licet enim has non habeat, habet semper tamen jus in suis primis Vesperis excludendi Commemorationem Festi simplicis, ita resolvit præclarissimus Auctor:

IV. Gavant. eod. n. 4. -- *Quando occurrit in Feria majori &c.*) Ex quo de Festo simplici fieri debeat Commemoratio, quando occurrit in Feria majori, sequitur, quod si Festum simplex occurrat Feria IV. Cinerum, aut Feria IV. vel VI. Quatuor Temporum, aut in aliqua Vigilia, tunc quia Festum simplex occurrens in dictis Feriis, & Vigiliis, non habet Officium, sed tantum Commemorationem in Laudibus; idcirco etiam pridie in Vesperis Feriæ, si quæ illud præcesserit, habet

tantum Commemorationem; ita, ut pridie integrè dicantur, tunc de Feria currente (nisi ea die celebrandum sit Festum novem Lectionum) non autem à Capitulo de Festo simplici, ut alioquin dicendæ forent, si postridie diceretur de Festo simplici. Quod si Festum simplex occurrat in Feria V. Cœnæ Domini, tunc in Vesperis Feriæ IV. precedentis ne quidem sit Commemoratio de illo simplici, eo quod postridie, nempe in dicta Feria V. nihil omnino sit, nec ad Laudes. Hæc omnia colliguntur ex Rubrica generali XI. supra tradita num. 10.

V. Gavant. eod. n. 4. -- *Dominica &c.*) Simplici occurrente in quacunque Dominica, de eo fit Commemoratio in Vesperis Sabbati, & Laudibus Dominicæ, & in Missa, præterquam in Dominica Palmarum, sicut & in Vigilia Pentecostes, in quibus omittitur Commemoratio simplicis in Missa etiam privata, licet de eo in Officio facta fuerit Commemoratio, ut colligitur ex Rubr. VII. Missal.

Adnotare etiam debemus cum Guyeto *loc. cit. quest. 2.* quod sunt aliqua Festa simplicia, quæ cum aliis Festis simplicibus occurrunt, ut accidit die septima Octobris, in qua occurrit Festum simplex S. Marci PP. & Confessoris cum Festo SS. Sergii, Bacchi, Marcelli, & Apulei Martyrum; in hoc autem casu de uno fit Officium, & de alio Commemoratio in Laudibus, Vesperis, & Missa, sic die dicta septima Octobris de S. Marco PP. fit Officium, de aliis verò prædictis Martyribus fit tantum Commemoratio sine ulla Lectione.

## TABELLA COMMEMORATIONIS FESTI SIMPLICIS.

Occurrentis cum	Duplici primæ Classis.	5
	Duplici secundæ Classis.	2
	Duplici, & semiduplici per annum.	1
	Dominica sine <i>Te Deum.</i>	2
	Dominica cum <i>Te Deum.</i>	1
	Feria majori, & Vigilia.	2
	Alio simplici.	4
Die infra Octavam, & die Octava.	1	

- 1 Commemoratio in primis Vesperis, & Laudibus, cum nona Lectione ad Matutinum, si propriam habuerit: item in Missa.
- 2 Commemoratio in primis Vesperis, Laudibus, & Missa, sine Lectione ad Matutinum.
- 3 Commemoratio in Laudibus, & Missis privatis tantum, cum nona Lectione, si propriam habuerit.
- 4 Commemoratio posterioris in primis Vesperis, Laudibus, & Missa prioris.
- 5 Nihil fit de eo.

VI. Gavant pag. 30. col. 2. n. 5. -- *Mo- do non fit Festum B. V. &c.*) Asserit hoc loco Gavantus, quod de S. M. in Sabbato fieri debet Commemoratio in primis Vesperis, quando cum ea pridie concurret dies Octava, semiduplex, duplex per annum &c. modo non fit Festum B. V. ne de ea fiat Festum, & Commemoratio; optimè hæc asseverat Gavantus, & equidem ob eandem rationem in Decreto edito die 13. Septembris 1672. & dato in nostro Indice sub num. 97. habetur, quod si Festum de septem Doloribus B. M. V. concurrat cum Festo Annunciationis B. M. V. Vesperæ dicuntur de Annunciatione sine Commemoratione de septem Doloribus. Ita pariter in Decreto edito die 23. Septembris Anno 1684. & dato in nostro Indice

sub num. 152. sancitum est, quod in Festo SS. Nominis B. M. V. non est facienda Commemoratio de ejusdem Nativitate, & in secundis Vesperis de Nativitate cadentibus in Sabbato, non est facienda Commemoratio de prædicto SS. Nomine.

VII. Gavant. pag. 31. col. 1. n. 6. -- *Exceptis Octavis Sanctorum Stephani, Johannis, & Innocentium &c.*) Postquam Gavantus docuit hoc numero, de die infra Octavam fieri debere Commemorationem, quando in ea occurrit dies Octava, &c. non autem faciendam esse dictam Commemorationem, quando in ea occurrit duplex primæ, vel secundæ Classis, subdit, exceptis Octavis Sanctorum Stephani, Johannis, & Innocentium, de quibus fit Commemoratio etiam in Festo  
secun-

secundæ Classis ex speciali privilegio; debemus tamen addere, excepto die Festo Circumcisionis, quod Festum, licet ubi non est Titulus, sit tantum duplex secundæ Classis, excludit tamen Commemorationem tam in Officio, quam in Missa dierum infra Octavam cujuslibet illorum Festorum, & excludit etiam in primis Vesperis Commemorationem de duplici minori præcedente. Rursus quamvis regulariter loquendo de die infra Octavam non fiat Commemoratio, quando in ea occurrit Festum primæ, vel secundæ

Classis, hoc intelligendum est de die infra Octavam non privilegiatam, nam de tribus Octavis, nempe Nativitatis, Epiphaniæ, & Corporis Christi, utpote privilegiatis, fit, juxta ea, quæ diximus supra in Cap. VIII. Commemoratio, quocumque Festo etiam primæ Classis infra eas occurrente.

Placet hoc loco consignare sequentem Tabellam, quam tradit etiam Guyetus pag. 254. edit. Venetæ, utpote valde utilem ad nonnullas solvendas difficultates in præsentia materia.

## TABELLA COMMEMORATIONIS DIERUM INFRA OCTAVAS.

	Occurrentium cum				
Nativitatis Domini.	0	0	4	1	1
Epiphaniæ.	0	0	0	0	1
Corporis Christi.	1	5	0	1	1
Cujusvis alterius.	1	6	4	1	2
1 Commemoratio in utrisque Vesperis, Ladibus, ac Missa.	Die alia Octava,	Die infra aliam Octavam.	Semiduplici.	Duplici per annum.	Duplici primæ Classis.
2 Nulla Commemoratio.					Duplici secundæ Classis.
3 Commemoratio in secundis Vesperis, si fiat postridie de ipsa Octava.					
4 Commemoratio in Vesperis, Laudibus, & Missa. In secundis Vesperis à Capitulo de Octava.					
5 Officium de Corpore Christi, Commemoratio de infra Octavam.					
6 Officium de digniori, Commemoratio de minùs digna.					
o Hæc nota indicat, nullum dari casum ejusmodi.					
Omniæ sunt Octavæ Paschæ, & Pentecostes, quia, cum ambæ Festa omnia rejiciant, nunquam de iis contingit fieri Commemoratio.					

VIII. Gavant. pag. 31. col. 1. n. 7. -- *De semiduplici fit Commemoratio, quando concurrat &c.*) Hucusque tractavit Gavantus de Commemorationibus faciendis in occurrentia alicujus Feriæ, vel Festi &c. quando contingit eorum Officium ab alio impediri, adeoque de Commemoratione facienda in Laudibus,

nunc transit ad Commemorationem faciendam de Festo semiduplici, de quo non potest fieri Commemoratio, nisi in concurrentia; nempe nisi in primis, vel secundis Vesperis, nunquam autem in occurrentia alterius Festi, in Laudibus; quia vel fit Officium de dicto semiduplici, & tunc in Laudibus nullo

nullo modo potest fieri de eodem Commemoratio; vel non fit Officium de dicto semiduplici, & sic pariter in Laudibus non potest fieri de eodem Commemoratio, quia in hoc casu Officium semiduplex transferretur, & de eo fit in prima die non impedita. Postquam egit Gavantus n. 7. de hac Commemoratione semiduplici; n. 8. & 9. resumit sermonem Commemorationis faciendæ de Dominica, & de die Octava, quæ cum non possint transferri, de his potest, & debet fieri Commemoratio in concurrentia alterius Festi impediens earundem Officium, adeoque resumit sermonem de Commemoratione faciendâ in Laudibus. Hanc distinctionem Commemorationum faciendarum in concurrentia, & concurrentia Officiorum optimè distinguit Guyetus *lib. 4. f. d. 1. cap. 1. quæst. 1.* ubi dicit: ejus fit Commemoratio, de quo fieret Officium (ecce Commemoratio faciendâ in concurrentia, & ad Laudes) nisi ab alio digniore impeditur. Est itaque Commemoratio pars quædam exigua Officii in ipsius integri locum substituta, & quasi vicem supplet. Ex quo sequitur, eorum dumtaxat fieri Commemorationem, quorum contingit Officium ab alio impedi. Sunt autem horum quinque capita, videlicet Dominica, Feria, Festa simplicia, Vigilia, & Octava &c. Hæc Guyetus; ex quibus patet, ipsum optimè procedere loquendo in primis de Commemoratione faciendâ in Laudibus, & in concurrentia Officiorum. Postea procedit idem Auctor dicendo: Festa verò duplicia, & semiduplicia hic non recensuimus, quia licet Commemorationem aliquando suscipiant, haud tamen vice Officii integri, quod nunquam ex toto deperditur (ut etiam nos innuimus supra loquendo de Officio semiduplici, quod transfertur, & ideo nunquam deperditur) sed tantum vice Vesperarum in concursu. De qua re nos agemus infra incipiendo à n. 10. cum Gavanto, qui eodem loco agere debebat, & antequam sermonem haberet de Commemoratione duplicis mino-

Gavant. Rubr. Brev.

ris, tractare poterat de Commemoratione semiduplicis, ne confunderet Commemorationes faciendas in concursu, cum Commemorationibus faciendis tantum in concursu Officiorum. Verum ne ab eodem Auctore discedamus, quoniam hic mentionem facit Commemorationis de Festo semiduplici, advertere debemus (in majori luce ponendo ejusdem verba, nimirum) quod de semiduplici faciendâ est Commemoratio, quando concurrat cum sequenti die infra Octavam, cum die Octava, item cum alio semiduplici, cum duplici per annum, & Dominica, & quamvis addat Gavantus, non cum aliis; tamen advertendum est, hoc verum esse, quando agitur de Concurrentia activa semiduplicis, nempe in suis secundis Vesperis, sed aliter discurrendum de ejusdem Concurrentia passiva, nempe in suis primis Vesperis cum aliis Festis; in hoc enim casu etiam de semiduplici fit Commemoratio in secundis Vesperis duplicis, non solum secundæ Classis, sed etiam primæ. Hæc omnia clarissimè patent, & declarantur in supra expositis Tabulis generalibus Concurrentiæ, & Occurrentiæ. Vide etiam, quæ dicit Gavantus n. 20. ubi tractat, de quibus semiduplex admittit Commemorationem præsertim in utrisque Vesperis.

IX. Gavant. pag. 31 col. 1. n. 8. - De Dominica, quando in ea occurrit duplex prima, vel secunda Classis &c. Quando de Dominica fieri non potest Officium, ob concurrentiam Festi duplicis primæ, aut secundæ Classis, aut duplicis per Annum, aut diei Octavæ (excipe Dominicas vacantes, de quibus supra, nempe Dominicas concurrentes in aliquo è Festis Domini, & quæ in Calendario appellantur vacantes, quarum Commemoratio omittitur) fieri debet illius Commemoratio in primis Vesperis, & Laudibus, lecta etiam pro ultima Lectione Homilia Dominicæ; item in secundis Vesperis, etiam si Festum in ea occurrens sit duplex primæ Classis.

O

Rur-

Rursus si Vesperæ secundæ cujuscumque Festi duplicis concurrant cum primis Vesperis alicujus Dominicæ, tunc in secundis Vesperis Festi duplicis erit faciendâ Commemoratio Dominicæ sequentis; si autem è contra secundæ Vesperæ Dominicæ concurrant cum primis Vesperis alicujus Festi duplicis, tunc videndum est, & cujus ordinis sit Dominicæ, & cujus Classis sit Festum duplex; si enim Dominicæ esset ex majoribus primæ, vel secundæ Classis, tunc de Dominicæ semper debet fieri Commemoratio, etiam si concurreret cum primis Vesperis duplicis primæ Classis, si autem Dominicæ esset ex minoribus per Annum, & concursus esset cum duplici primæ, & secundæ Classis, tunc nulla debet fieri Commemoratio Dominicæ, quod si concursus sit cum alio duplici, in eo casu etiam de Dominicæ per Annum fieri debet Commemoratio.

Occurrit etiam, faciendam esse Commemorationem Dominicæ anticipatæ in Sabbato, prout præscribitur in Rubrica supra exposita generali IV. de Dominicis n. 4. quando scilicet neque in alia præcedenti Feria potuit fieri de illa Dominicæ; hæc autem Commemoratio fit tantum ad Laudes cum Antiphona, & Oratione propria, sed cum Versu Ferie tunc occurrentis, non verò cum Versu ipsius Dominicæ, ut asserit Bissus *lit. C. num. 363. §. 5.* debet enim in Commemoratione talis Dominicæ adhiberi idem Versus, qui

diceretur, si celebraretur Officium Feriale, adeoque Versus ille, qui recitaretur post Hymnum solitum, cantari ad Laudes ejusdem Ferie. Diximus, faciendam esse talem Commemorationem tantum ad Laudes, non enim de Officio talis Dominicæ anticipatæ est faciendâ aliqua Commemoratio ad Vesperas, quia hoc Officium, utpote Feriale, caret tam primis, quam secundis Vesperis, ut notat etiam Bissus *in li. O. num. 31.* & ut aperte disponit Rubr. cit. n. cit. Superest advertendum, quod ad Matutinum pro ultima Lectione addi debet Homilia talis Dominicæ, & in Missa fit ejusdem Commemoratio cum Evangelio in fine, & non dicitur *Credo*.

Sequitur ex dictis hic, & alibi, ut de Dominicis primæ Classis nunquam fiat Commemoratio ratione Festi occurrentis, quia, quodcumque Festum in illis occurrat, etiam si fuerit Patroni principalis, seu Tituli Ecclesiæ, aut Dedicationis ejusdem, transfertur, ut patet etiam ex Rubrica generali IV. de Dominicis num. 1. & Rubrica IX. de Commemorationibus his Additionibus præfixa n. 3. Dominicarum verò secundæ Classis fit Commemoratio in utrisque Vesperis, & Laudibus cum nona Lectione de Homilia ad Matutinum &c. occurrente in iis Festo principali Tituli, vel Patroni, aut Dedicationis Ecclesiæ, ut supra; id colligitur etiam ex citatis Rubricis.

TABEL-

# TABELLA COMMEMORATIONIS DOMINICARUM,

	Occurrente in iis					
Dominicæ primæ Classis,	0	0	0	0	0	0
Dominicæ secundæ Classis,	0	0	0	0	0	1
Dominicæ per Annum,	0	0	1	1	1	1
Dominicæ infra Hebdomadam anticipatæ,	2	3	2	2	2	2
1 Commemoratio Dominicæ in utrisque Vesperis, ac Laudibus, Festi cum nona Lectione de Homilia ad Matutinum: Item in Missâ cum ultimo Evangelio in fine.						Duplici primæ Classis.
2 Commemoratio Dominicæ in Laudibus Festi tantum, cum nona Lectione ad Matutinum: Item in Missâ cum ultimo Evangelio &c.						Duplici secundæ Classis.
3 Commemoratio Dominicæ in Laudibus Octavæ, cum nona Lectione ad Matutinum: Missâ verò de Dominica cum Commemoratione Octavæ.						Duplici per annum.
0 Non Commemoratio, sed ipsum Officium fit de Dominica, translato Festo, aut facta de infra Octavam Commemoratione.						Die infra Octavam.
						Semiduplici.

X. In suprâ exposita Tabella Commemorationis Dominicarum, in postremis quadrangulis ultimæ lineæ Guyetus ponit literam O. significare volens, impossibile esse occursum Dominicæ anticipatæ cum Duplici primæ, vel secundæ Classis. Nos verò in dictis duobus postremis quadrangulis, posuimus numerum 2. significare volentes, esse possibilem talem occursum, in quo casu debet fieri Officium de Duplici primæ, vel secundæ Classis, cum Commemoratione Dominicæ in Laudibus Festi tantum, & in Missâ, cum nona Lectione ad Matutinum ejusdem Dominicæ, & cum suo ultimo Evangelio in fine Missæ.

Pro intelligentia horum omnium advertendum est, nostrum Gavantum *Sist. 6. cap. 8. num. 7.* asserere, quòd, quando Officium

Dominicæ III. vel IV. vel V. vel VI. post Epiphaniam non potest habere locum, neque post Pentecosten, de illa Dominica, quæ locum alibi non habeat, debet fieri Officium juxta Rubricam Generalem 111. n. 4. & 5. in Sabbato Dominicæ Septuagesimæ immediate antecedente, non impedito Festo novem Lectionum, seu occurrente, seu translato; alioquin in alia die anteriore illius hebdomadæ similiter non impedita (quæ tamen sit omnium proxima ipsi Sabbato) dicendo, Sabbato illo, aut die illa Officio novem Lectionum non impedita, Officium de Feria occurrente cum tribus Lectionibus de Homilia talis Dominicæ anticipatæ &c. prout dicemus infra ad loc. Gavant. supracitat. Si autem contingat, ut de dicta Dominica anticipata Officium, nec ad Sabbatum Domi-

nicam Septuagesimæ proximè antecedens, nec ad aliquam anteriorem Feriam anticipari possit, eo quod tota Hebdomada sit impedita Festis novem Lectionum etiam translatis, tunc prædicto Sabbato Dominicam Septuagesimæ immediatè antecedente, in Officio Festi, etiamsi fuerit secunda, & primæ Classis, nos dicimus, legendam esse Lectionem de Homilia illius Dominicæ anticipatæ unâ cum Commemoratione de eadem, in Laudibus per Antiphonam, & Orationem propriam, per Versum verò Ferialem dicti Sabbati: in Missâ quoque fit tunc similiter Commemoratio de illa Dominica cum ultimo, de eadem, in Missâ Evangelio Guyetus verò *lib. 4. cap. 2. quest. 3.* adstruit, quòd si in prædicto Sabbato fuerit Festum primæ, vel etiam secundæ Classis, tunc congruum fore, Commemorationem illius Dominicæ omittere, sed anticipandam esse dictam Commemorationem die præcedenti, & ideò supponit in sua Tabella, impossibilem esse occursum Festi primæ, vel secundæ Classis cum dicta Dominica. Verùm nos sequimur Patris Halden sententiam, quam tradit *par. 1. tit. 6. par. mibi 35.* sustinendo, in prædicto casu nullam urgere necessitatem anticipandi Commemorationem illius Dominicæ, quia Festum etiam primæ Classis non excludit Commemorationem in Laudibus, & Missâ Feriæ majoris; & ideò Festum etiam primæ Classis, occurrens in dicto Sabbato, potest optimè admittere Commemorationem in Laudibus, & in Missâ cum Evangelio in fine prædictæ Dominicæ anticipatæ, quæ debet considerari veluti una ex Feriis majoribus occurrens cum dicto Festo primæ Classis, unde satius duximus, in duobus postremis quadrangulis ultimæ lineæ suprâ expositæ Tabellæ ponere *num. 2.* hoc totum significans; quàm literam O. significantem impossibilitatem talis occursum.

Hæc omnia confirmantur ex verbis citatæ Rubricæ Generalis *4. num. 4.* ubi legitur in fine, quòd si tota Hebdomada impedita

sit Festis novem Lectionum, etiam translatis, vel aliqua Octava, tunc in Sabbato legatur nona Lectio de Homilia Domini &c. ex quibus verbis patet, nullam fieri exceptionem de Officio primæ Classis, quod in Sabbato occurrere posset, sed absolutè dicitur, quòd, quando tota Hebdomada est impedita Festis novem Lectionum, in Sabbato legatur nona Lectio de Homilia Dominicæ, quæ prætermitti oportuit ob defectum sui loci in illo anno &c. nihil igitur obstat, quin in dicto Sabbato legatur præfata Homilia, etiam si occurrat in eodem Sabbato Festum primæ Classis.

XI. Gavant. pag. 31. col. 1. n. 10. -- *De Dupli. i minori per annum &c.* Postquam egit Gavantus *num. 9.* de Commemoratione faciendâ diei Octavæ Festi habentis Octavam, adeoque de Commemoratione faciendâ in Occurrentia alicujus Dominicæ majoris, vel Festi Sollemnis impediens Officium dictæ Octavæ, quæ non potest transferri, transit hoc *numero X. & seqq.* ad tractandum de Commemorationibus faciendis in Concurrentia Officiorum, nimirum in utrisque Vesperis, & ubi primum, ut diximus suprâ, tractare poterat de Semiduplici, quia de hoc non potest haberi Commemoratio, nisi in concurrentia, transit immediatè ad tractandum de Duplici minore per annum, & clarissimè exponit, quomodo de eo faciendâ sit Commemoratio, quando concurrat, aut cum sequenti alio Duplici minore, aut cum die Octava &c. *num. 11. 12. & 13.* procedit ad explicandum respectivè, quando, & quomodo faciendâ sit Commemoratio de Duplici majore per annum, de Duplici secundæ Classis, & de Duplici primæ Classis, de quibus ita plene discurrit, ut nihil addendum super sit.

XII. Gavant. pag. 31. col. 2. num. 14. -- *Feria majoris, non aliorum &c.* Procedit noster Auctor ad inferendum, quas Commemorationes vice versâ admittat Duplex primæ Classis, & in fine asserit, quòd in secundis

dis Vesperis admittit Commemorationem diei Octavae, Feriae majoris, non aliorum; hic oblitus profectò est, quòd tale Duplex in suis secundis Vesperis admittit etiam Commemorationem semiduplicis sequentis. Ita etiam in secundis Vesperis primae Classis si die sequenti fiat Officium de aliqua die infra Octavam aliquam magis dignam tunc occurrentem, debet fieri commemoratio de tali Octava &c.

XIII. Gavant. pag. 31. col. 2. n. 15. -- *Duplex secunda Classis &c.*) Ex his, quae tradit Gavantus hoc num. colligitur, quanam Commemorationes admittat Duplex secunda Classis in primis suis Vesperis, nimirum Commemorationem Dominicæ præcedentis, dumodò fuerit primæ, vel secundæ Classis, non autem Dominicæ minoris, seu per annum; nisi Festum idem secundæ Classis incidat in ipsam Dominicam minorem, tunc enim admitteret ejus Commemorationem etiam in suis secundis Vesperis. Secundò admittit Commemorationem de antecedente Duplici majore, ac minore per annum, non verò de antecedente Festo Semiduplici, nec etiam de Simplici occurrente. A prædicta tamen Regula excipiendum est Festum Circumcisionis Domini, in cujus primis Vesperis, quamvis sit secundæ Classis tantum, nulla tamen sit commemoratio de Sancto Sylvestro, ut ibi propria habet Rubrica, licet ille sit Duplex minus per annum in Ecclesia Universali. Tertio Duplex secundæ Classis admittit in suis primis Vesperis Commemorationem de die Octava quacunque tam præcedente, quam occurrente (non verò de die infra Octavam non privilegiatam occurrente.) De Feria majore qualibet Adventus, & Quadragesimæ, non autem de aliis Feriis, nec etiam de præcedenti Vigilia, nec de S. M. in Sabbato.

XIV. Gavant. eod. n. 15. -- *In Laudibus admittit Commemorationem &c.*) Prosequitur Gavantus ad declarandas Commemorationes, quas Duplex secundæ Classis admittit in Lau-

dibus, nimirum Dominicæ cujuscunque, diei Octava, Festi Simplicis, & Feriæ majoris, non autem diei infra Octavam; neque obstat, quòd dies infra Octavam sit nobilior Festo simplici, nam cum de die infra Octavam fiat sæpius Commemoratio, de Festo autem Simplici semel tantum, ideò non officit, ait Gavantus, quòd aliquando omitatur Commemoratio diei infra Octavam, licet nobilioris Festo Simplici. Hæc pariter Regula intelligenda est cum exceptione Octavarum privilegiatarum, nempe Nativitatis Domini, Epiphaniæ, & Corporis Christi; de his enim quocunque Festo infra illas occurrente semper debet fieri Commemoratio in Officio, & in Missa. Verum quidem est, infra Octavam Epiphaniæ non admitti Officium Duplicis secundæ Classis occurrentis, nec pariter primæ Classis translatum; sed tantum primæ Classis occurrens, quod non excludit Commemorationem de Octava ejusdem Epiphaniæ.

XV. Gavant. eod. n. 15. -- *In secundis Vesperis &c.*) Denique agit Gavantus de Commemorationibus, quas Festum secundæ Classis admittit in suis secundis Vesperis, & iis, quæ hoc loco optimè tradit, nihil aliud addendum est, nisi quòd, sicut in casu ab ipso proposito, omittenda est commemoratio Festi Simplicis, quia occurrit in Duplici secundæ Classis sequentis, quod non admittit Commemorationem Simplicis in primis Vesperis, ita ob eandem rationem omittenda esset commemoratio Dominicæ antecedentis minoris, seu per annum, quia, ut diximus supra, licet Festum sequens secundæ Classis, de quo discurrit Gavantus, utpote minus dignum, non habeat in prædicto casu pridianas Vesperas, ne quidem à Capitulo, sed tantum Commemorationem in illis, habet tamen jus in iis Vesperis, quæ suæ primæ essent, nisi occurreret eo die Festum magis dignum, excludendi Commemorationem Festi Simplicis subsequenter, & consequenter Dominicæ antecedentis, ut

addimus nos cum Halden par. 3. Tit. 6. §. 2. n. 3. Admittit præterea Festum Duplex secundæ Classis in secundis suis Vesperis Commemorationem Dominicæ sequentis cujuscunque, etiam minoris per annum, item Commemorationem de Feria majore Adventus, & Quadragesimæ, die illa occurrente, non autem Commemorationem aliarum Feriarum, ut nec Vigiliæ, nisi Vigiliæ Epiphaniæ, & Feriæ sextæ post Octavam Ascensionis, sicut unusquisque ex Rubricis deducere potest.

XVI. Gavant. pag. 32. col. 2. n. 26. -- *Fit Commemoratio in Vesperis, & Laudibus post Oratio-em Festi &c.*) Postquam egit Gavantus satis fuse de Commemorationibus, quas admittunt Duplex primæ Classis, Duplex secundæ Classis, Duplex majus per annum, Duplex minus, Semiduplex, Simplex &c. num. 26. declarat, quando sunt faciendæ prædictæ Commemorationes in Vesperis, & Laudibus, & num. 27. docet, quæ Antiphonæ, & qui Versus sint desumendi pro faciendis ejusmodi Commemorationibus.

XVII. Gavant. pag. 32. col. 2. n. 28. -- *Si ex eodem Communi sumitur Commemoratio &c.*) Nonnunquam accidit, quod fiant plures Commemorationes sumpta Antiphona, & Versu ab eodem Communi, ideò ne eadem Antiphona, & idem Versus ad eandem Horam repetatur, docet Gavantus, quid faciendum sit, quando celebratur v. g. Officium de uno Martyre, & rursus de alio Martyre sub Ritu Simplicis faciendæ est commemoratio; docet igitur, quod tunc pro Commemoratione Simplicis varietur Antiphona, ita, ut in primis Vesperis sumatur à Laudibus Antiphona *ad Brucd Aus*; in Laudibus verò sumatur Antiphona à primis Vesperis *ad Magnificat*; à quo loco etiam mutuandus erit Versus; quod si ulterius sit faciendæ alia commemoratio de uno Martyre, tunc sumenda erit Antiphona à secundis Vesperis de eodem Communi, nisi aliter in proprio loco notetur. Quod si adhuc esset

faciendæ alia commemoratio ejusdem qualitatis, sive sit commemoratio particularis, sive sit addenda Suffragiis Sancto Patrono, vel Titulari Ecclesiæ, in eo casu, quia Antiphona, & Versus desumi non possunt à Vesperis, neque à Laudibus, cum supponamus, jam fuisse dicta, erit desumenda illa, quæ est prima primi Nocturni, & Versus similiter desumetur à primo, secundo, vel tertio Nocturno, ita, ut non sit idem cum Versibus jam dictis, & quod diximus de Antiphona, & Versu, intellige etiam de Versu tantum, si hic solus mutari deberet; item in dicto casu erit mutanda Oratio, & sumenda alia de Communi diversa à jam dicta. Bisius *lit. C. n. 363. §. 16.* qui §. 18. ibidem advertit cum Guyeto *lib. IV. cap. 8. quest. 9.* quod si contingeret, esse faciendam Commemorationem ejusdem Sancti, de quo sit Officium, tunc commemoratio erit omittenda, & casus dabitur, si esset transferendum Officium Sanctæ Agnetis, in diem, qua occurrit S. Agnes secundò, in eo enim casu factò Officio de S. Agnete, erit superflua ejusdem commemoratio. Notandum tamen est, quod dies 28. Januarii in Ecclesia Universalis debet semper esse libera, neque convenit assignari Officium novem Lectionum in tali die, cum debeat dari locus Officio Sanctissimi Nominis JESU aliquando translato, ut provide S. R. C. in correctione, & approbatione Calendarii Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium &c. 22. Januarii 1735. decrevit, ne Officium SS. Nominis JESU, quando Dominica secunda post Epiphaniam cadit in Dominica Septuagesimæ, recitetur intra Quadragesimam; quodque eadem S. R. C. die 5. Maji 1736. declaravit in *una Einselden* ad Dubium I. super *Tit. X.* de translatione Festorum & datur in nostro Indice num. 289.

XVIII. Gavant. pag. 34. col. 1. n. 38. -- *Quando contingit fieri plures Commemorationes, servetur hic Ordo &c.*) Docet hæc Gavantus, inhærendo Rubricæ, ordinem servandum in fa-

faciendis Commemorationibus, quando plures fieri debent, & certa Regula est, quod prius fiat commemoratio de digniori, postea de aliis juxta ordinem dignitatis, ita, ut idem ordo in faciendis Commemorationibus servetur, qui observaretur inter ipsa Festa, si de illis fieret Officium. Hinc optimè sequitur, quòd, ut docet Gavantus, de Duplici fieri debet Commemoratio ante quasunque Dominicas, de Dominica ante Festum Semiduplex, de Semiduplici ante diem infra Octavam, de die infra Octavam ante Ferias majores, de Feriis verò majoribus ante Simplicia, sicut etiam ante Simplicia facienda est Comemoratio de Vigilis. Optimè tamen notat Billus *lit. O. n. 126. §. 1.* quòd de Feriis majoribus facienda est comemoratio ante Vigiliis, sed in Officio hic casus dari non potest, cum in eo nulla fiat Comemoratio de Vigilia occurrente in Feriis majoribus, vel in Quatuor Temporibus Septembris. Rursus inter Festa Simplicia prius fiat de digniori, quòd si postriede de aliquo faciendum sit Officium, primo loco illa ponenda erit, de quo fiat Officium, postea de aliis Simplicibus, si verò plures adlunt Commemorationes Communes, seu Suffragia Sanctorum, de quibus agemus cum Gavanto *Sect. V. cap. 18.* hujusmodi communes semper postponuntur Commemorationibus particularibus, etiam Feriæ, vel Festi Simplicis.

Diximus supra cum Gavanto, quòd de Duplici, & consequenter de die Octava debet fieri Commemoratio ante Commemorationem Dominicæ, verum contingere potest casus, in quo Commemoratio Dominicæ præferatur Commemorationi diei Octavæ, de qua re vide nostrum Gavantum *hac Sect. 3. cap. 8. n. 14.*

Ad ea, quæ tradit Gavantus in suis nu-

meris subsequenter, nihil adnotandum occurrit, unde pro coronide nostrarum Observationum ad Rubricam Generalem novam, & Gavanti commentaria in eandem Rubricam nihil aliud addendum superest, nisi exhibere sequentia Decreta, utpote spectantia ad præsentem Commemorationum materiam.

Si occurrat Officium novem Lectionum de pluribus Sanctis Virginibus, & Martyribus, eo die, quo cadit Festum Simplex ejusdem qualitatis, servanda est pro Commemoratione Simplicis Antiphona - - *Illarum est Regnum Cælorum &c.* - - ut in Festo SS. Perpetuæ, & Felicitatis Virginum & Martyrum. Ita S. R. C. 7. Septembris 1680. & datur in nostro Indice sub *num. 113.*

Qui habent privilegia celebrandi Octavas in Quadragesima, non ideò debent facere Commemorationem in Feria IV. Cinerum, S. R. C. 24. Januarii 1682. & datur in nostro Indice sub *num. 123.* Vide etiam Decretum 325.

Antequàm his Additionibus, & Observationibus finem imponamus, animadvertere etiam est, quòd in quocunque Festo S. Petri fit Commemoratio S. Pauli ante quamcumque aliam Comemoratiorem, & e contra in quocunque Festo S. Pauli fit pariter Commemoratio S. Petri ante quamcumque aliam Commemorationem, de quibus Brevarium Romanum in suis locis satis aperte disponit.

E contra verò in Festo Desponsationis B. M. V. non est facienda Comemoratio S. Josephi à quibuscumque celebratur Officium Desponsationis, sed solum debet fieri ab his, quibus specialiter præscribitur facienda talis Comemoratio, ut habetur in Decreto emanato die 5. Maji 1736. quod est in nostro Indice sub *num. 288.*



## Novæ Observationes, &amp; Additiones ad Gavanti

## Cap. XII. De Patrono loci &amp; Titulo Ecclesiæ.

I. Gavanti pag. 34. col. 2. n. 1. -- *Respondeo, Patronum esse, quem Episcopus &c.*  
 Cum in Rubricis generalibus sæpe mentio fiat de Patrono loci, duo examinanda occurrunt; quid nomine Patroni loci veniat, & quamnam sit differentia inter Patronum loci, & Patronum, seu Titularem Ecclesiæ. Ad primum quod attinet, Gavanti responder, illum dicendum esse Patronum loci, quem Episcopus cum Populo sibi Patronum eligit ob rationes, quas ipsemet Gavanti insinuat; Guyetus tamen *lib. 1. cap. 7. quest. 1.* adstruit, Patronum loci dicendum esse illum Sanctum, qui sive perpetuo usu, ac traditione à majoribus accepta, sive legitima facta electione, uti peculiaris apud Deum Intercessor, propriusque Suffragator, ab Universo loci illius Clero, ac Populo colitur, & observatur; quæ definitio nihil discrepat ab eâ, quam dedit noster Gavanti, nisi quod sola electione Gavanti unum è Sanctis aliquem Protectorem censeri asserit; Guyetus autem traditionem, usumque immemorabilem adjecit, quia antiquitus Patroni locorum magis ex usu, & traditione colebantur, ut tales, quam ex electione, sive is usus primum electione aliqua inductus fuerit, sive aliqua alia ratione, puta unius, aut alterius arbitrio, aut tacito plurium consensu, seu secreta quadam Dei inspiratione, prout fufius declarat *quest. 9.* Nunc autem certissimum est, quod Patroni Locorum, Provinciarum, & Regnorum eligendi sunt juxta tenorem, & observatis conditionibus, quæ habentur in Decreto edito die 20. Martii 1630. quod exhibetur hoc loco à Gavanti per extensum.

Procedit Gavanti ad assignandum discrimen, quod intervenit inter Patronum Loci, & Patronum, seu Titularem Ecclesiæ, asseri que, primum latius extendi, quam secun-

dum, cum hic ad unam tantum Ecclesiam spectet, ille verò plures Ecclesias respiciat; locus enim, inquit Gavanti *num. 2.* accipitur pro multitudine Cleri, & Populi, seu potius pro multis Cleris, ac Populis in uno loco, puta Civitate, aut Diœcesi constitutis. Alias etiam differentias considerat Guyetus inter utrumque ex dictis Patronis, asseritque, Patronum Ecclesiæ ipsam Ecclesiam denominare, quod de Patrono loci dici nequam potest; quamvis etenim aliqua loca à suo Patrono nuncupentur, quorum exempla nonnulla affert *quest. 2.* hoc tamen omnibus locis non est universale, sicuti semper verificatur, quod particulares Ecclesiæ denominationem accipiant à suo Patrono, qui idem etiam Ecclesiæ Titulus dicitur, de quo Ecclesiæ Titulo cum nostro Gavanti agemus pariter *Sect. 8. cap. 5.* & paulò infra, nempe n. VII. assignabimus discrimen, quod etiam intervenit inter Patronum, & Ecclesiæ solum Titulum.

Addidit præterea Guyetus, quod inter Patronum Loci, & Patronum Ecclesiæ reperitur etiam hæc discrepantia, quod Ecclesiæ Patronus soleat esse unicus, aut si multiplex, non nisi sub ratione unius, uti ipse explicat eodem *lib. 1. cap. 4. quest. 3.* è contra verò Patroni loci possunt esse plures, & reverà dividuntur in Principales, & minus Principales, ut etiam innuit Gavanti *hæc num. 3. ex Rubri. a. de Octavis n. 1.*

Denique (ait idem Auctor) Patronus loci eligi debet, ut innuimus supra, Cleri, Populique Suffragis de consensu Episcopi, & accedente S. R. C. approbatione, ut liquet ex Decreto supra relato; Patronus verò Ecclesiæ non simili electione, sed ex Fundatorum dumtaxat beneplacito constituitur.

Plures agit quæstiones Guyetus de Patronis locorum, nimirum utrum detur semper Patro-

Patronus Regni, seu Provinciae? utrum cuiuslibet Diocesis detur semper Patronus proprius? utrum plures dari contingat unius Diocesis Patronos, & quo ordine ii se habeant? utrum præter Diocesanaum detur cuiusque Civitatis, Oppidi, Burgi, seu Pagi proprius, ac singularis Patronus? quas studiosus Lector poterit apud eundem Auctorem faciliter legere; nos enim abstinemus à tractandis huiusmodi quæstionibus, ne in immensum crescat hoc opus, & satis nobis est, exhibere Decreta spectantia ad hanc materiam, & alias dirimere quæstiones pertinentes ad Ritum, quo celebrari debent Officia dictorum Patronorum.

II. Gavant. pag. 36. col. 1. n. 4. -- *Tam de Patrono principali, quam de Titulari Ecclesia fit Officium &c.* Ex Rubrica septima generali de Octavis num. 1. & ex alia Rubrica nona de Commemorationibus num. 3. optimè eruit Gavantus, quòd tam de Patrono principali loci, in loco suo, quàm de Titulari in sua Ecclesia fit Officium, ut de duplici primæ Classis, & quidem cum Octava, ac propterea quæcunque conveniunt duplici primæ Classis, & Octavis, eadem concedenda sunt Festo Patroni principalis loci, & Titularis Ecclesie. Sermo nunc est de Patrono principali; quamvis enim Patroni locorum, ut diximus, plures esse possint, unus tamen tantum locum principalioris obtinet, regulariter loquendo, ita, ut cæteri minus principales censeantur, de quibus non celebratur Officium, nisi sub Ritu duplici majori, ut optimè docet noster Gavant. *hinc n. 7.* ex Rubrica de Concurrentia n. 2. in fine. Quòd si in aliqua Civitate, vel Diocesi plures habeantur Patroni æquales, absolute tamen dicendum est, neutrum illorum Patronorum æqualium esse principalem, sed omnes minus principales, quia Patronus magis principalis cum aliis æqualibus stare non potest, ait Guyetus *lib. 1. cap. 7. quæst. 5. & cap. 18. quæst. 4.*

GAVANT. Rubr. Brev.

Aliquando tamen contingit, quòd ex speciali Indulto Apostolico plures in aliquo Regno, vel Diocesi colantur Sancti tanquam Patroni æquales principales, sic Clero Sæculari, & Regulari, necnon Universitatibus, & Populo Pampilonensi, totiusque Regni Navarrae injungitur, ut quotannis tanquam de Patronis æquales principalibus dicti Regni, ex præcepto Ecclesie recolant Festa Sanctorum Firmini Martyris, & Francisci Xaverii Confessoris, eorundemque Officia, & Missas cum Octavis æquales imposterum recitent, & respectivè celebrent, prout injungit Alexander VII in Bullario Romano *tom. 5. Constit. 34.* quæ incipit: *Sacrosancti &c.* edita die 14. April. 1657. Vide etiam Bullam ejusdem Pontificis, quæ incipit: *Commissi nobis &c.* ubi duplicis Patroni Festum celebrari præcepit in Regno Neapol. nempe S. Januarii tanquam principalis, & S. Domini tanquam minus principalis, sed cum Octava.

Rursus quamvis dixerimus, unum tantum debere esse Patronum principalem loci, nihilominus alicubi occurrit, quòd dentur duo Patroni, quorum unus sit universalis totius Regni, alter verò particularis alicujus Civitatis intra idem Regnum existentis, & tunc decrevit Urbanus VIII. in sua Constitutione, quæ habetur in Bullario Romano *tom. 4. sub n. 164.* & quæ incipit: *Universa &c.* quod Festum unius ex principalioribus Patronis in quocunque Regno, sive Provincia, & alterius pariter principalioris in quacunque Civitate, aut Oppido, vel Pago, ubi hos Patronos haberi, & venerari contigerit, fit præceptivum cum obligatione audiendi Missam, & vacandi ab operibus servilibus; unde in prædicta Civitate tunc de utroque Patrono, & principali Regni, & principali Civitatis deberet celebrari Officium cum Octava. Quòd si eodem die occurrunt huiusmodi Festa, & Patroni universalis totius Regni, vel Provinciae, & alterius particularis alicujus Civitatis existentis intra fines ejus-

P

dem

dem Regni, vel Provinciæ, tunc in prædicta Civitate esset celebrandum Festum sui particularis Patroni, & assignandum Festum Patroni universalis totius Regni in aliam diem non impeditam, sicut occurrente Festo Dedicationis Cathedralis cum Festo Dedicationis propriæ Ecclesiæ, hoc deberet celebrari in dicta Ecclesia, assignando Festum Dedicationis dictæ Cathedralis pariter in aliam diem non impeditam, prout declaravit Rota in *Casaravogustana Dedicationis* coram Manzanedo *decis.* 801. ex qua decisione idem docet noster Gavantus *Sect. 8. cap. 5. num. 6.* vide etiam ea, quæ diximus supra in nostris Observationibus ad Cap. IX. sub num. 9.

Denique prætereundum non est, quod non solum ex utroque ordinario dantur plures Patroni minus principales; & non solum ex Indulto Apostolico dantur in aliquo Regno plures Patroni principales, sed etiam ex usu antiquissimo, & inveterato in aliquibus Diocæsi- bus coluntur plures Sancti tanquam Patroni æquæ principales, & eorundem Officium ibidem celebratur sub Ritu duplici primæ Classis, & cum Octava. Hinc P. Claudius La Croix *tom. 4. lib. 4. num. 126.* asserit, quod licet ordinariè unus tantum sit Patronus principalis loci, possunt tamen etiam esse plures; & idem ante ipsum docuit expressè noster P. Pasqualigus *de Sacrific. novæ legis quest. 158. num. 5.* id ipsum pariter, ut mox innuimus, non unius tantum Diocæseos, sed plurium præxis confirmat, nam in Diocæsi Brixinensi, ut refert Halden *par. 3. tit. 1.* adhærens huic sententiæ, non modo Sancti Ingenuinus, & Albinus Episcopi, & Confessores 5. Februarii, sed etiam S. Cassianus Episcopus, & Martyr 13. Augusti tanquam Patroni principales Diocæsanæ Officio, ac Ritu duplici primæ Classis celebrantur, & in Diocæsi Constantiensi non minus S. Pelagius Martyr 28. Augusti, quam S. Conradus Confessor, & Pontifex 26. Novembris ceu Patroni principales coluntur,

nam de utroque celebratur ibi Officium sub Ritu duplici primæ Classis cum Octava, qui Ritus Patronis minus principalibus non convenit, ut manifestum est Catalogo præfixo in quocumque Breviario Romano Tabellæ occurrentiæ, in quo Patroni minus principales in duplicium dumtaxat majorum per Annum numero recensentur; unde addit P. Halden, se non assequi, cur P. Gobat *tom. 1. tract. 5. n. 628.* incidenter appellet S. Pelagium Patronum secundarium Diocæseos Constantiensi. Ratio autem, qua per motus Pasqualigus docuit hanc sententiam, est, quia, si juxta Gavantum ipsum num. 3. possunt sine absurdo esse plures Patroni Titulares æquæ principales alicujus Ecclesiæ, & de pluribus, ut talibus fieri potest Officium primæ Classis cum Octava, ut ibidem ostendit in exemplo à se adducto, non apparet, cur non possint pariter esse simul plures Patroni principales alicujus loci. Sed quid sit de hac sententiâ, certissimum modò est, in electione Patronorum, & multò magis in plurium æquæ principalium, debere servari exactè Decretum supra expositum à S. C. editum de ordine S. D. N. Urbani PP. VIII. die 23. Martii 1630.

Huc spectare videntur sequentia Decreta, quæ idcirco à nobis simul collecta exhibentur.

Sub nomine Patroni principalis loci venit etiam Patronus principalis Regni, vel Provinciæ, de quo concessum est ab Apostolica Sede, ut à Ciero tam Sæculari, quam Regulari recitetur Officium, S. R. C. 20. Martii 1683. & datur in nostro Indice sub num. 141.

In Patronorum, sive Protectorum præcedentiâ servandus est ordo Hierarchiæ Ecclesiasticæ, & inter ordinem Ecclesiasticum attendenda est anterioritas in electione, S. R. C. 11. Martii 1690. & datur in nostro Indice sub num. 161.

Quando duæ Octavæ simul occurrunt, quarum una sit Patroni principalis loci sub Ritu

Ritu duplicis primæ Classis, altera verò B. M. V. sub Ritu duplicis secundæ Classis, recitandum est Officium de Patrono principali cum Commemoratione Octavæ B. M. V. S. R. C. 19. Junii 1700. & datur in nostro Indice sub n. 215.

Nomine Patroni loci non venit Patronus Parochiæ &c. S. R. C. die 14. Febr. 1705. & datur in nostro Indice n. 231.

III. Gavant. pag. 36. col. 1. n. 5. -- *Regulares etiam teneri ad Festum de Patrono loci, & Offi. in sollempne, non tamen teneri ad Octavam ejusdem &c.* Quod docet hic Gavantus ex Decretis S. R. C. nimirum Regulares teneri ad servandum Festum, & recitandum Officium sub Ritu primæ Classis de Patrono loci, non tamen teneri ad ejusdem Octavam, immò neque posse, patet etiam, & confirmatur aliis S. R. C. Decretis, quæ dantur in nostro Indice sub num. 63. 78. 125. 142. 147. 224. quæ lector evolvere poterit, cum spectent omnia ad eandem doctrinam confirmandam, & aliqua extendant prædictam Regularium utriusque sexus obligationem, etiam ad Titulum Cathedralis Ecclesiæ, celebrandi nimirum ejusdem Officium sub Ritu duplici primæ Classis sine Octava.

IV. Gavant. pag. 36. col. 1. n. 7. -- *Neque de his Patronis minus principalibus tenentur Regulares &c.* Docet hic Gavantus, Regulares non teneri ad recitanda Officia de Patronis locorum minus principalibus, nisi ea sint descripta in Calendario Romano, vel proprio ipsorum Regularium. Id etiam confirmatur Decreto à S. R. C. edito die 13. Junii 1682. & dato in nostro Indice sub num. 125. in quo declaratur, quod Regulares tenentur quidem recitare Officium sub Ritu duplici primæ Classis, sed sine Octava de Patrono principali loci, & de Titulari Ecclesiæ Cathedralis tantum: de aliis autem Patronis minus principalibus non tenentur recitare, nisi sint descripti in Calendario Romano, vel dictorum Religiosorum proprio.

Sed quævis Regulares non teneantur recitare Officium de prædictis Patronis minus principalibus, possunt tamen, immò laudandi sunt, subnectit Gavantus, si illud recitent in gratiam Populorum &c. Quibus omnibus consentit etiam P. Gobat *tract. 5. n. 78. 79. 81. 85.*

V. Gavant. pag. 37. col. 1. n. 15. -- *Queritur de Titulo Altaris, seu Capelle &c.* Dixit Gavantus num. 4. tam de Patrono principali loci, quam de Titulari propriæ Ecclesiæ Officium debere fieri ut de duplici primæ Classis, & quidem cum Octava; nunc procedit ad examinandum, quo Ritu Titulus Altaris, seu Capellæ sit celebrandus? & respondet, primò constare ex Rubrica de *Commemorationibus num. 2.* de tali Titulo non esse celebrandum Officium sub Ritu duplici primæ Classis, & procedit ad dicendum, ut celebretur talis Titulus, prout in Calendario Romano describitur; in quo si neutrum nominatur, poterunt ad illud Altare celebrari Missæ Festivæ cum Hymno Angelico (non autem cum *Credo*; cum hoc expressè neget Rubrica generalis XI. Missalis, nisi tamen habeatur insignis Reliquia) ut alibi diximus. Officium autem de tali Sancto Titulari nullatenus recitari debet, etiamsi Titulus Altaris esset Titulus alicujus Beneficarii; non ideò hic posset, inconsulta S. R. C. de eo Titulo Officium facere, nisi sit in Calendario: immò, & si esset in Calendario, non posset de illo recitare sub altiori Ritu, quam sit in eo notatum, ut docet noster Gavantus num. 16. qui loquitur conformiter ad ea, quæ jam dixerat *Sect. 1. cap. 5. tit. 2. num. 9.* ubi advertit ex Decreto S. R. C. edito die 8. Aprilis 1628. nemini licere, neque Ordinariis locorum, sive Sæcularibus, sive Regularibus, aliqua Sanctorum Officia Calendario addere, inconsulta Sancta Sede Apostolica, sub pœna non satisfaciendi propriæ obligationi. Excipe tamen ex Guyeto *lib. 1. cap. 10. quest. 3.* nisi de Sancto Titulari Altaris haberetur insignis Reliquia; tunc

enim ratione Reliquiæ insignis approbata authenticæ, & de Sancto in Martyrologio Romano descripto, esset faciendum Officium, prout alibi diximus; addit etiam Bissus *lit. L. num. 65.* nisi quoque adesset recepta consuetudo in aliqua Ecclesia faciendi Officium de Sancto Titulari alicujus Altaris: tunc enim consuetudo (intellige de legitime introducta) erit attendenda, ut colligitur ex iis, quæ idem dixit in *lit. C. n. 490.*

VI. Gavant pag. 37, col. 2. n. 22. -- *Quomodo separandus sit Patronus à sociis &c.* Aliquando contingit, quod Patronus, & Titularis Ecclesiæ sit separandus à socio, aut sociis, quem, aut quos habet in Calendario. Quo autem Ritu sit celebrandum Officium de sociis, vide tum in Rubrica, quæ extat in Breviario Romano post Tabulam occurrentiæ ante finem, tum etiam apud nostrum Gavantum *Sect. 3. cap. 10. num. 11.* & in nostris Observationibus ibidem factis. Agit etiam de hac re P. La Croix *tom. 4. lib. 4. n. 1267.* ubi resolvit varios casus.

VII. Gavant pag. 38, col. 1. n. 24. -- *Eadem conveniunt Fundatori, & Patrono Ordinis &c.* Quæ dicta sunt de principali Patrono loci, ait Gavantus, conveniunt pariter Fundatori, & Patrono Ordinis in toto Ordine post ejus sollempnem Canonizationem, & obtentam à Sedè Apostolica licentiam dicendi de eo Officium, ac Missam. Patronus autem Ordinis dicitur ille Sanctus, à quo primo Ordo fuit institutus, sic apud Benedictinos Patroni locum sibi vendicat S. Benedictus, apud inlytum Prædicatorum Ordinem S. Dominicus, apud Seraphicum Ordinem Minorum S. Franciscus, & apud nostram Congregationem Clericorum Regularium S. Cajetanus Thienæus, cum Primus verè sit nostri Ordinis Parens, & ut talis declaratus fuerit in ejusdem Canonizationis Bulla edita ab Innocentio XII. & quæ in Bullario Romano ejusdem Pontificis Romanæ recentissimæ editionis reperitur sub n. 3.

Sicut autem distinguitur in Ecclesia Titulus, rigorosè acceptus, à Patrono, sic etiam non est confundendus Patronus Religionis cum Titulo illo, à quo aliqua Religio nuncupatur; ita, v. g. Titulus potius, quàm Patronus Religionis, seu Ordinis de Redemptione Captivorum est SS. Trinitas. Ita etiam Titulus potius, quàm Patronus Clericorum Regularium Cruciferorum est Sancta Crux, à qua hæc Religio denominatur, quorum tamen Festa à prædictis Ordinibus respectivè, seu de Patrono principali sui Ordinis, coluntur, recitantur Divina Officia, & Missarum sollempnia celebrantur. Dixi, Sanctissimam Trinitatem esse dicendam potius Titulum, quàm Patronum, quia nomine Patroni rigorosè loquendo venit Sanctus aliquis, cujus Patrocinium imploratur apud Deum, quod non potest dici de SS. Trinitate, unde ejus Festum non rectè appellatur Festum Patrocinii respectu Ecclesiæ in ejus honorem dicatæ, vel respectu Ordinis Regularis, sub ejusdem invocatione instituti, sed ejus Festum appellandum est Festum Titulare, seu Festum Tituli talis Ecclesiæ, vel prædicti Ordinis; idem est dicendum de Titulo S. Salvatoris, S. Crucis, à quorum primo rectè aliqua Ecclesia sub ejusdem Tituli invocatione consecrata, vel aliqua Religio instituta, Templum, seu Ordo S. Salvatoris; ab altero verò Templum, seu Ordo S. Crucis vel Cruciferorum denominatur. De hac re iterum redibit sermo in nostris Observationibus infra ad Caput V. Sect. VIII. sub n. 3.

Cæteram Lohner *Institutione practica 2. par. 1. tit. 6. num. 5.* & La Croix *tom. 4. lib. 4. cit. num. 1258.* asserunt, non videri Regularibus prohibitum plures Patronos sui Ordinis sub Ritu primæ, vel secundæ Classis, ac cum Octava celebrare.

Antequàm absolvamus has nostras Observationes, & Additiones, spectantes ad Riturum, & modum celebrandi Festa Patronorum, & Titularium, placet aliqua colligere

ex iis, quæ tradit Henricus Pisart in sua Appendice ad Directorium Canonicum.

Primo igitur si in aliqua Civitate, vel Oppido præter Patronum loci principalem, aliqui velut minus principales habeantur, verosimilius apparet, quod Clerus sæcularis illorum Festa servare posset, & deberet; at non Regularis, nisi sit Festum de præcepto in Populo, quo casu censemus cum Gavanto, quod Regulares etiam se conformare possent; servandò talis Festi Officium, vel proprium, si adit debitè approbatum, vel de communi.

Secundo, per Patronum principalem loci non solum designatur Patronus principalis Ecclesie Cathedralis, seu Diocesis, sed etiam Patronus Matricis nullius Diocesis, Patrie, & Loci, seu Oppidi, quæ sæpe non tam late patent, quam Diocesis; item Protector Civitatis, & Patronus, seu Titularis Parochie, & Monasteriorum, seu Ecclesie Regularium. Festum Patroni principalis Ecclesie Cathedralis, qualis est Leodii S. Lambertus, juxta superius dicta, & juxta S. C. Decreta, servandum est per totam Diocesim; at Festum Patroni Patrie, qualis est Leodii S. Joseph, in tota illa Patria servandum est ab utroque Clero Ritu, & modo supradictò, at non in tota Diocesi, si hæc latius pateat, & in plures Patrias sit divisa, præsertim, si aliæ hujusmodi Patrie habeant suum Protectorem, & Patronum particularem, si autem non habeant peculiarem Protectorem, & Patronum, congrua videretur observantia Decreti editi die 28. Septembris 1658. ad instantiam Episcopi, & Capituli Cathedralis Calaguritanae, & dati in nostro Indice sub *num.* 78. quod lector videre poterit, sicut etiam Decretum editum 15. Martii 1608. datum in nostro Indice sub *num.* 32. in quo declaratur, servandum esse ulum semel introductum, & receptum in aliqua Ecclesia Cathedrali celebrandi sollempniter Festum de aliquo Sancto tanquam de Patrono &c.

Tertio, Patronus Parochie, seu Titularis Ecclesie Parochialis colendus est ab omni Clero; qui illius Ecclesie est adscriptus, idque Ritu primæ Classis, & cum Octava. Regulares autem sub tali Parochia in Civitate habitantes tale Festum non respicit, utpote qui proprium in sua Ecclesia Titularem habent, & insuper Festum Protectoris Civitatis celebrant; hoc confirmatur Rescripto S. C. quoad quæsitam Guardiani Fratrum Cappuccinorum Conventus S. Michaelis Leodii die 28. Augusti 1706. quæ respondens, declaravit, nec licere, nec licuisse prædictis Fratribus recitare Officium S. Servatii, quamvis sit Patronus Parochie, in qua morantur, sitque Festum devotionis in Populo, & illud Officium consueverint ab immemorabili recitare. Hæc S. C. responsio reperitur impressa in Directorio Anni 1707 per Reverendum P. Martinum Leodium Cappuccinum in Rubricis versatissimum, pro tota illa Provincia composito. Hæc ex Pisart *cit. loc. num.* 9. ubi addit, quod si tamen in aliqua Parochia Rurali situm sit Religiosorum Monasterium, hi quoque Festum Patroni, seu Titularis Ecclesie Ruralis colere debent sub Ritu duplici primæ Classis, sed sine Octava. Verum hoc admittendum non videtur ob eandem rationem, ob quam Regulares in Civitate habitantes sub aliqua Parochia, ejusdem Parochie Titulum, & Patronum colere non debent sub dicto Ritu duplici primæ Classis.

Quarto lubet hoc loco proponere dubium, quod discutit P. Gobat *Tract. 3. num.* 636. *Append. 3. à lit. B. 3.* usque ad *f. 3.* nimirum: an, quando Jus Parochiale unius adhuc stantis Ecclesie, translatum est ad aliam novam loco commodiore vitam, Titulus veteris Ecclesie, etiam nunc, ut dixi, stantis, nihilominus possit, aut debeat quotannis Ritu Duplici primæ Classis, & cum Octava celebrari? Hoc dubium affirmativa decisione per se loquendo resolvit laudatus Gobat *cit. loc.* ubi etiam declarat, quæ

tam in Festo Titulari, quam infra ejus Octavam dicendum sit Officium, & Missa.

Quintò denique quari potest, an possit, vel etiam debeat sub Ritu Duplici primæ Classis, & cum Octava celebrari Titulus, aut Titularis Patronus privatæ Capellæ existentis intra, vel extra ædes, seu Religiosas, seu non Religiosas, consecratæ tamen, ac dedicatæ modo, ac Ritu aliarum Ecclesiarum publicarum? Huic etiam Dubio idem P. Gobat eodem *Tract. 3. num. 696. Appendice 2. à lit. bb.* usque ad finem Appendicis affirmative respondet per se loquendo, & sustinet hanc sententiam variis rationibus, & auctoritatibus, præsertim Pasqualigi, Nensler, Bordoni, & aliorum. Idem Auctor cit. loc. à lit. ll. & vv. declarat, à quibus tam in Festo Titulari, quam infra ejus Octavam dicendum sit Officium, &

Missâ de talis Sacelli privati Sancto Titulari, alia etiam huc pertinentia ibidem ab eodem discutiuntur, præsertim an Officio, aut saltem Missâ coli possit, vel etiam debeat Patronus Titularis alicujus Capellæ intra Ecclesiam existentis, de quo nos *suprà num. V.* resolvimus, quid agendum sit.

Ab hoc Capite XII. *Sæctionis tertiæ*, in quo egit Gavantus de Patrono Loci, & Tituli Ecclesiæ, gradum facit idem Gavantus ad *Sæctionem quartam*, in qua declarat, se post Regulas generales totius Officii descendere ad explicandas Regulas singularum Officii partium, hoc est, Horarum, sed huic suæ *Sæctioni quartæ* congruum videtur præfigere Textum Rubricæ Generalis duodecimæ, in qua habentur quædam Regulæ Generales pro ordinando Divino Officio, & reverà inferbitur.

## De ordinando Officio ex prædictis Rubricis. XII.

### RUBRICA.

- 1 **S**I quis velit ex supradictis Rubricis ordinare Officium occurrentiæ diei, videat in Kalendario, & in Tabula Festorum mobilium, de quo fiat Officium sequenti die, & ut invenerit esse faciendum, sic ordinabit illud in Vesperis, & aliis Horis Nocturnis & Diurnis.
- 2 Si ordinandum sit Officium de Tempore, id est, de Dominica vel Feria, recurrendum est semper ad Psalterium, ubi ordinatè ponitur, quod est commune Officii de Tempore cum distributione Psalmorum; & ad proprium de Tempore, ubi Lectiones & Responsoria quedam Antiphona & Orationes ponuntur, quæ desunt in Psalterio. Invitatorium, Hymni, Capitula, Versus, Responsoria brevia, & Antiphona, quæ diversis temporibus ponuntur in proprio, dicuntur loco eorum, quæ sunt in Psalterio: cum verò propria non fuerint, dicuntur ut in Psalterio.
- 3 Si Officium sit ordinandum de Sancto, recurrendum est semper ad Commune Sanctorum (nisi proprium habeat in proprio Sanctorum,) ubi pro qualitate Festi, si novem Lectionum, id est, Duplex vel Semiduplex fuerit, omnia ordinatè ponuntur, illis exceptis, quæ propria suis locis habentur. Si Festum fuerit trium Lectionum (Nocturno Feria & Lectionibus exceptis,) omnia sumuntur de eodem Comuni. Tres Lectiones primi Nocturni in Officio novem Lectionum, & prima

- ma & secunda Lectio, vel prima tantum in Festis trium Lectionum, sumuntur de Scriptura in Officio de Tempore, nisi alia in propriis locis ponantur.*
- 4 *In majoribus Sollemnitatibus & Festis per annum, totum Officium ordinatur, ut in propriis locis ponitur.*
  - 5 *In Festis B. Mariae (omissis iis, quae propria in illis habentur) Hymni, novem Psalmi, & alia quaedam requirenda sunt ex communi ejus Officio parvo, circa finem Breviarii.*
  - 6 *Modus inchoandi Officium, dicendi Invitatorium, Hymnos, Antiphonas, & Versus, habetur in principio Psalterii. Cum vero Antiphona duplicanda sunt, dicuntur integra ante Psalmos, sicut in fine Psalmorum.*
  - 7 *Modus dicendi Absolutiones & Benedictiones ante Lectiones, legendi & terminandi Lectiones, dicendi Responsoria post Lectiones, ac Responsoria brevia post Capitula, habetur in: Dominica de Adventu.*
  - 8 *Quomodo sit inchoandum, & terminandum Officium per Horas, habetur in Psalterio: quomodo terminandum per Antiphonas B. Mariae, habetur in fine Completorii.*
  - 9 *Sed ut haec omnia facilius habeantur, posita sunt sequentes Rubricae, de singulis Horis, earumque partibus distincte cognoscendis.*

## SECTIO QUARTA.

### DE PROPRIO RITU SINGULARUM HORARUM CANONICARUM.

#### De Matutino. XIII.

##### RUBRICA.

- 1 **A**D Matutinum haec per ordinem regulariter dicuntur, secundum diversitatem Officii, nisi aliter in quibusdam diebus annotetur: Pater noster: Ave Maria: Credo, omnia secreto; deinde clara voce Hebdomadarius dicit: Domine, labia mea &c. pollice signando sibi os signo crucis: Deus in adjutorium &c. manu extensa signando se signo Crucis à fronte ad pectus, & à sinistro humero usque ad dextrum (quod servatur in principio omnium Horarum, cum dicitur Deus in adjutorium) cum Gloria Patri, & aliis, ut in principio Psalterii. Deinde dicitur Invitatorium conveniens Officio de Tempore vel Sancto, quod dicitur cum Psalmo Venite, exultemus, eo modo, quo in principio Psalterii describitur. Dicto Psalmo, & repetito Invitatorio, dicitur Hymnus, qui Officio de Tempore vel de Sancto convenit.

2 Post.

- 2 Postea in Duplicibus & Semiduplicibus dicuntur novem Psalmi (sed in Dominicis plures, ut in Psalterio) cum suis Antiphonis & Versibus, qua Tempori vel Festo conveniunt, & totidem Lectiones cum octo Responsoris, aliquando cum novem, ut suis locis ponitur, per tres Nocturnos distinctos, hoc modo.
- 3 In primo Nocturno dicuntur tres Psalmi cum tribus Antiphonis, post singulos Psalmos una Antiphona; sed tempore Paschali, id est, à Dominica in Albis usque ad Pentecosten (præterquam in Officio Ascensionis Domini) tres Psalmi cujusque Nocturni dicuntur sub una Antiphona, & in fine Psalmorum post ultimam Antiphonam cujusque Nocturni dicitur Versus; postea: Pater noster: Et ne nos: Absolutio, Exaudi: Benedictio, Benedictione perpetua, & alia ad singulas Lectiones, ut in prima Dominica de Adventu ordinantur. Deinde leguntur tres Lectiones de Scriptura, qua per ordinem in Officio de Tempore occurrunt (nisi alia assignentur,) & ad singulas Lectiones dicitur unum Responsorium conveniens Officio: si de Tempore, ut in Proprio Temporis: si de Sancto, ut in Propria Sanctorum; alioquin ut in Communi, etiamsi Lectiones primi Nocturni sint de Scriptura Officii de Tempore.
- 4 In fine ultimi Responsorii cujusque Nocturni dicitur Gloria Patri, cum repetitione partis Responsorii, eo modo, quo notatur in iij. & prima Dominica de Adventu; nisi aliter in propriis locis signetur.
- 5 In secundo Nocturno dicuntur alii tres Psalmi, Antiphona, Versus, Pater noster, Absolutio, Ipsi pietas, & ei consequentes Benedictiones, ut in dicta Dominica de Adventu: tres Lectiones de aliquo Sermone, aut de vita illius Sancti, de quo fit Officium, & ad quamlibet Lectionem unum Responsorium.
- 6 In tertio Nocturno alii tres Psalmi cum Antiphonis, ut supra: post tertiam Antiphonam, Versus, Pater noster, Absolutio, A vinculis, & Benedictiones consequentes ad singulas Lectiones, qua erunt de Homilia Evangelii de Tempore, vel de Festo, secundum qualitatem Officii, ut in eadem prima Dominica de Adventu ponuntur. Post vij. & viij. Lectionem dicitur Responsorium Officio conveniens, id est, post quamlibet unum: aliquando autem dicitur etiam post nonam Lectionem, ut suis locis notatur: & in fine ultimi Responsorii, aut octavi aut noni, dicitur Gloria Patri, ut supra, nisi aliter signetur. Si non dicitur nonum Responsorium, post ultimam Lectionem dicitur Hymnus Te Deum.
- 7 In Officio trium Lectionum, ad Matutinum, Pater noster, Ave Maria, Credo, Domine Labia, &c. Invitatorium, & Hymnus, in feriali Officio de Feria, si non sint in proprio de Tempore, dicuntur ut in Psalterio; in Festis, de Festo, ut in Communi Sanctorum: deinde Nocturnum Feria, ut in Psalterio; id est, duodecim Psalmi cum sex Antiphonis, & tempore Paschali cum una Antiphona, Alleluja: qui dicitur tam in Officio Feriali, quam in Festis Simplicibus.

- 8 Post Psalmos & Antiphonas dicitur Versus, in Feriali Officio ut in Psalterio, in Festis ut in Communi Sanctorum: qui in Festis sumitur secundum Feras ex Nocturno Communis, unde sumuntur Responsoria, ut dicitur infra in Rubricis de Versibus & Responsoriis. Post Versum dicitur Pater noster, Absolutio, & Benedictiones, ut habetur infra in Rubrica de Absolutionibus & Benedictionibus. Tres Lectiones (si non adsit Homilia) singule in Officio Feriali dicuntur de Scriptura, quæ eo die occurrit in Proprio de Tempore: si adsit Homilia, singula tres de Homilia. In Festis, prima & secunda de eadem Scriptura, tertia de Sancto. Si fuerint duæ Lectiones de Sancto, prima tantum erit de Scriptura, reliqua de Sancto.
- 9 Post singulas Lectiones in Feriali extra tempus Paschale dicitur unum Responsorium, ita ut dicantur tria Responsoria: tempore verò Paschali, & in Festis, duo tantum Responsoria dicuntur, scilicet post primam & secundam Lectionem tantum. In fine ultimi Responsorii, secundi scilicet, aut tertii, dicitur Gloria Patri, cum repetitione partis Responsorii, nisi aliud notetur. Quæ Responsoria in Officio de Sanctis sumuntur ex Communi Sanctorum; in Feriali Officio ex Dominicis, quando propria per Feras non distribuuntur, ordine descripto in Rubrica de Responsoriis. Quando non dicitur tertium Responsorium, post tertiam Lectionem dicitur Hymnus: Te Deum laudamus.

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Cap. I. De Matutino.

I. Gavant. pag. 38. col. 1. n. 1. -- *Matutinum ut est à Laudibus distinctum &c.* Horæ Canonice nocturnæ, seu Officium nocturnum ita appellatum est, quia noctu recitabatur, hoc idem Officium plerumque Matutini nomen usurpavit, quia Laudibus conjunctum est, quæ summo manè recitari solebant; hinc Edmundus Martene in suo Commentario in Regulam S. Benedicti cap. 8. pag. 257. ait, quòd idem S. Benedictus Dominicis diebus nocturnis Vigiliis sine ullo intervallo jungit Matutinum, non sic capiendum est, quali Laudes accelerare voluisset, & consuetam illarum horam mutare, sed potius nocturnos ad Auroram usque produxisse dicendus: nam Matutini, quos Laudes appellamus, semper ad Auroram, sive, ut loquitur S. P. B. *incipiente luce*, dicendi sunt; unde & Matutini dicti sunt à voce Matuta,

Gavant. Rubr. Brev.

id est, Aurora, eo quòd ad Auroram celebrari debeant. Hæc laudatus Martene citat, ubi ideam comprobat auctoritatibus Hildemari, Bernardi Cassinensis, & Nicolai de Fractura. Idem Martene in eodem Commentario ad cap. 12. hæc omnia confirmat dicendo, quòd veteres Matutinorum nomine appellabant Laudes ob antedictam rationem; nunc verò Matutinorum nomine intelligimus Vigilias nocturnas, quas etiam ita appellatas olim fuisse, probat Menardus ex Concilio Turonensi secundo Canone 18. & Mabillonius in lib. 2. de Antiqua Liturgia Gallicana. Atque ita Beda in Vita S. Guthberti cap. 45. ut refertur in Sæculo 2. Bened. (omne, inquit, nocturnæ, sive Matutinæ Psalmodiæ, tempus, stando perfolvit.)

II. Ga-

II. Gavant. eod. n. 1. -- *De tempore Matutini recitanti &c.*) De tempore, quo Matutinum recitandum est, agit Auctor noster *Sect. 1. cap. 5. tit. 6. num. 6.* ubi ait, Matutinum, & Laudes ex justa causa posse recitari in Vesperis præcedentis diei &c. ut ibi iterum legi potest; *num. verò 8. ibidem* adstruit, quòd, qui differt Matutinum sine causa usque ad Vesperas, vel anticipat Completorium ante prandium, nimis notabiliter variat tempus, & peccat venialiter; unde etiam hic, ut diximus in nostris Observacionibus *tom. 1. part. 3. tit. 11. num. 7.* Gavantus mitigat arctam sententiam, quam ipse sectari videbatur in suis Commentariis *tom. 1. ad tit. 1. sive 2. partit.* cognoscendo nunc nonnisi culpam venialem in eo, qui absque ulla justa causa nimium differt recitationem Matutini cum Laudibus, quam sententiam etiam nos secuti sumus, non approbando rigidam illam opinionem, quæ gravi culpa reos constituit illos Sacerdotes, qui non recitant Matutinum, & Laudes, antequam Sacrificium celebrent; supradictam benigniorem sententiam veram, & securam appellat Oliverius Bonartius in suo Tract. de Horis Canonicis *lib. 1. cap. 6. num. 8.* nonnullos allegando gravissimos Auctores, validisque rationibus eandem sententiam confirmando.

Circa horam, qua in Choro nocturnum Officium, & Matutinum antiquitus peragebatur, non ubique eadem fuit disciplina. S. Johannes Chryostomus *Homil. 59.* ad Populum Antiochenum de Officio agens, quod sua ætate sub noctis medium recitabatur, hanc temporis circumstantiam indicare volens, ait: *initium illi dandum ad galli cantum.* In Regula Abbatis Isaia *cap. 57.* in Regula S. Basilii *cap. 37.* tempus illud, quò nocturnum Officium peragi debebat, noctis medium appellatur, & hoc idem in Regula S. Columbani *cap. 7.* Carthusiani duabus horis ante noctis medium incipiunt, & in Regula S. Benedicti *cap. 8.* duabus post mediam no-

ctem horis surgendum esse præscribitur: *Octava hora noctis surgendum est, ut modis è amplius de media nocte pausetur &c.* unde infert Martene in suo Commentario ad dicta verba, eos à præstituta regula horæ recedere, qui media nocte surgunt, ut sunt Bursfeldenses in Allemannia, Vallisoletani in Hispania. Romanorum verò, & Clericorum mores quod spectat circa Matutini horam, hæc in antiquis Romanis Ordinibus reperiuntur. Sollemnioribus diebus, quibus duplex Officium recitabatur, prima Matutini pars prima noctis hora, scilicet post Solis occasum decantabatur: *in initio, seu crepusulo noctis;* secunda verò *ad primum galli cantum.* Iis verò diebus, quibus unicum Officium erat, decernitur ad galli cantum semper esse recitandum; sed tribus ante Pascha diebus præscribitur id media nocte peragendum esse: *ad Vigiliis media nocte;* quibus verbis discrimen profectò aliquod innuitur inter noctis medium, & galli cantum, ut optime advertit Grancolas Commentario Historico in Breviarium Romanum *lib. 1. cap. 23.* addens, hunc primum galli cantum post noctis medium fuisse eam fortassis horam, quam S. Benedictus octavam appellavit, & quæ apud Gallos, Hispanos, & Germanos appellatur secunda post mediam noctem. Nonnulla alia, quæ spectant ad sacram eruditionem hujus Horæ Canonice, & ad tempus, quo recitata fuit, & adhuc recitatur in nonnullis Monasteriis, & etiam Ecclesiis Cathedralibus legi poterunt apud Card. Bona de Divina Psalmodia *cap. 5.* apud cit. Grancolas, Edmundum Martene, Francolinum de tempore Horarum Canonicarum *cap. 5.* Oliverium Bonartium de Horar. Canonic. institutione *lib. 1. cap. 2. §. 21.*

III. Gavant. pag. 39. col. 1. n. 9. -- *Ad duntur Nocturni tres ad ratam primarum trium noctis Vigiliarum &c.*) In noctis Officio unicus erat prisca temporibus nocturnus, qui constabat duodecim Psalmis, quemadmodum etiam nunc in Feriali Officio, & in pri-

primo Dominicæ Nocturno fieri solet, sed quia Dominica dies tota Deo colendo, atque laudando Sacra esse debet, cœperunt Monachi noctem, qua Dominicam præcedit, orando transigere. Tradit enim Cassianus *lib. 3. cap. 3.* Monachos Ægyptios tribus diversis noctis temporibus diebus Dominicis orasse, quibus opus facere non licebat; contra verò diebus reliquis, quibus opus faciebant, semel tantum per noctem orasse: eas noctes in partitis distinguunt Officiis. Post aliquot Psalmos decantatos, tres Lectiones perlegebant, idque tribus diversis temporibus per noctem repetebant, quæ res tres noctros Dominicæ Nocturnos profectò demonstrat; non solum Dominicis diebus, sed etiam præcipuis Anni Festis noctis Officium in tres Nocturnos dividebatur, sed hæc Festa olim exiguo erant numero, & idcirco trium Nocturnorum Officia minus frequentia erant, & nullo negotio tres Nocturni plerisque Festis tributi fuere. Tres Nocturni isti, qui tria diversa noctis Officia constituebant in Monasteriis majori pietatis ardore ferventibus, diversis horis, diversis noctis Vigiliis correspondentibus recitabantur; conjuncti verò fuere, atque continenter recitati tepescente Monachorum pietate, & quando nimis arduum visum fuit ter per noctem cubitum concedere, atque totidem vicibus surgere.

Tres Nocturni isti, qui tria diversa noctis Officia constituebant, non solum apud Monachos majori pietatis ardore ferventes, sed etiam apud Clericos in Ecclesiis Cathedralibus diversis horis, diversis noctis Vigiliis correspondentibus, recitabantur; sed tepescente, & Clericorum, & Monachorum fervore factum fuit, ut Nocturni non separatim, ut antè, sed continenter unà cum Laudibus decantarentur, & ex tribus Vigiliis una solum texeretur, & quidem initio decretum erat, ut media nocte surgentes Officiam nocturnam tunc temporis cum Laudibus conjungerent, qui mos etiam nunc

apud quosdam Regulares perseverat, sed cum nec onus illud surgendi media nocte Clerus toleraret (sicut tolerat usque modò Clerus Ecclesiæ Cathedralis Parisiensis ad tradita per Grancolas *lib. 1. cap. 23*) hoc saltem obtinuerunt Ecclesiarum Præsides, ut ultima noctis Vigilia Clerici ad Matutinum recitandum surgerent, & convenirent, ut jam fieri solet in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis. Nonnulla ex his tradit Gulielmus Durandus *lib. 5. cap. 3. num. 3. & 6.* & Johannes Belet in eodem *cap. 20. & seqq.* quibus addit Thomas Waldensis *de Sacram. cap. 24. num. 4.* quòd quamvis omnes quatuor nocturnæ Vigiliæ à singulis Clericis hodie precibus non consecrentur, aliquæ tamen observantur ab omnibus, sicque possunt dici omnes ab Ecclesia celebrari, *ita, inquit, quidam devoti in prima noctis Vigilia totum Officium decantant, alii verò in secunda, alii in tertia, alii verò in quarta, ut plerique omnes Clerici.* Et id profectò verificatur relatè ad diversos Regularium Ordines, qui diversis horis nocturnis surgunt ad decantandum Matutinum; ita ut in qualibet noctis Vigilia verissimum sit, aliquem esse Regularem Ordinem, qui nocturnas Laudes Deo persolvit.

Ceterùm redeundo ad ea, quæ antea dicebamus, hæc est Amalarii sententia, qui *lib. 4. cap. 9.* affirmat, tres Nocturnos institutos fuisse, ut tribus Vigiliis, sive noctis stationibus responderent, quibus ad orandum, surgendum erat, quemadmodum & interdiu Tertia, Sexta, & Nona hora tribus diversis intervallis oramus: *Habeant finem tres stationes Vigiliarum, per quas ternas horas divisa, & exercitatae sunt, & in quarta oriente Luciferos Laudes erant quarta noctis hora sub lucis ortum, Vesperæ verò quarta diei hora ad Solis occasum.* Alia spectantia ad dictorum Nocturnorum Ritum, & praxim eos recitandi, legi poterunt apud Oliverium Bonartium *loc. sup. cit.* nimirum *cap. 21.* & apud Grancolas *lib. 1. Commentar.*

*Histor. in Breviarium cap. 24.* qui inter alia tradit, in Carthusianorum Statutis à Guigone conscriptis, cap. 9. eos inter singulos Nocturnos septem Psalmos Pœnitentiales recitasse, vel alias quasdam non breviores preces. Juxta verò nova ipsorum Statuta duabus horis ante noctis medium consurgunt, atque inter singulos Nocturnos horæ circiter

integræ intervallum habent, atque hoc intermedium tempus singillatim B. V. vel Defunctorum Officium recitando consecrant, vel cuidam alteri pietatis operi vacant, unde in ipsis adhuc perseverat antiquorum Monachorum ferventissima pietas, & Religio.

## De Laudibus, XIV.

### RUBRICA.

- 1 **A**D Laudes: dicto Hymno, Te Deum, vel ultimo Responso, Hebdomadarius absolute dicit: Deus in adjutorium &c. ut supra, & dicuntur Psalmi, & Canticum, Benedicite, vel aliud, ut habetur in Feriali Officio extra tempus Paschale, cum Antiphonis Officio convenientibus. Qui Psalmi, & Canticum in Dominicis per annum (exceptis Dominicis à Septuagesima usque ad Dominicam Palmarum inclusivè) & in Feriali Officio temporis Paschalis, ac in Festis tam novem, quam trium Lectionum, dicuntur de Dominica, ut in Psalterio. In predictis verò Dominicis à Septuagesima usque ad Dominicam Palmarum inclusivè, dicuntur, ut suis locis ponuntur. In Feriali Officio per annum, extra tempus Paschale, dicuntur ut in Psalterio.
- 2 Antiphona in Dominicis, quando propria non assignantur, dicuntur ut in Psalterio. In Festis novem & trium Lectionum, si non adsint propria, dicuntur de Comuni. Post Psalmos dicitur Capitulum; Hymnus, Versus, Antiphona ad Canticum, Benedictus, cum eodem Cantico, & Oratio; omnia pro qualitate Officii, de Tempore, vel de Festo.
- 3 Preces quando dicenda sunt, dicuntur ante primam Orationem. Commemorationes verò de Cruce, de S. Maria, de Apostolis, de Patrono, & de Pace, similiter quando dicenda sunt, dicuntur post Orationem; nisi alia Commemoratio Festi simplicis occurrat, quæ semper predictas Commemorationes precedit: de quibus in propriis Rubricis dicitur.
- 4 Ante Orationem dicitur, Dominus vobiscum, & Oremus: post ultimam Orationem repetitur, Dominus vobiscum; deinde, Benedicamus Domino, & Versus, Fidelium anima: Pater noster: Dominus det nobis suam pacem; & Antiphona B. Mariæ, ut habetur in fine Completorii, si tunc discedendum sit à Choro: alioquin in fine ultima Horæ, nisi sequatur Missa, vel Officium Defunctorum, vel Psalmi Pœnitentiales, aut Litania, ut in propria Rubrica dicitur.

## Novæ Observationes, &amp; Additiones ad Gavanti

## Cap. II. De Laudibus.

I. Gavant. pag. 40. col. 1. n. 1. - *Non finitur Matutinum separatim à Laudibus &c.*) Ex quo Matutinæ Laudes juxta Romanum Ritum conjunctim cum Nocturnis recitantur, factum est, ut Matutini nomen æquivocum sit; accipitur enim aliquando pro solis Nocturnis à Laudibus separatis, quæ acceptio non adeò erronea est, ut visum fuit Cardinali Bona de Psalmodia c. 5. §. 1. n. 2. Nocturnas enim preces antiquitus aliquando Matutini nomine insignitas fuisse, probat Mabillon. in Disquisitione de Cursu Gallicano pag. 420. & seqq. Secundò Matutini nomen accipitur pro aggregato ex Nocturnis, & Laudibus, quatenus in unum coaluerunt, quæ acceptio vulgatissima est, & improbari non potest. Accipitur tertio pro solis Laudibus, quæ est valde propria, & reverà in antiquis libris Missalibus, & Romanis Ordinibus, nomine Matutini non veniunt nisi Laudes.

II. Gavant. pag. 40. col. 1. n. 2. - *Respond. o, nihil obesse &c.*) Sustinet Gavantus, Laudes esse partem Matutini Officii, & non esse Horam Canonicam à Nocturnis distinctam; objicienti, quòd incipiuntur per illam precem -- *Deus in adjutorium &c.* respondet, hoc non officere, nec indicare principium alicujus Horæ à Nocturnis distinctæ, sed initium illud datum esse, ut possit ex causa dividi Matutinum, nempe Nocturnum, seu Nocturnos, ut rigorosius loquamur, à Laudibus. Est igitur controversia inter Auctores, utrum Officium Nocturnum ab ipsis Laudibus distinguatur, quòd sub aliis terminis etiam disputatur, nimirum, an Horæ Canonice sint septem tantum, vel octo? Si factum consideremus, certissimum est, in multis locis, diversoque tempore distinctionem Nocturni Officii à Laudibus evenisse; & fuisse separatim cantatas Laudes

à Nocturnis. Id manifestè colligitur ex Regula Divi Benedicti Cap. 8. & 16. & probatur ex Hugone de Sancto Victore in Speculo Ecclesiastico Cap. 3. & lib. 2. de Officiis Ecclesiasticis cap. 1. & 9. in fine, Amalario lib. de ord. Antiphon. cap. 7. in princip. Radulpho Tungrensi lib. de Canon. observat. propos. 14. & aliis, quam quidem distinctionem Laudum à Nocturno Officio, satis indicat ipsum Laudum initium, quòd est simile, aliarum Horarum, tempore distinctarum, principiis, tum Communis Oratio, qua Nocturnum Feriale, vel Nocturni Festivi olim terminabantur. Hæc tamen consuetudo peragendi Nocturnum Officium interpolato tempore à Laudibus, non fuit ubique recepta, & Universalis, siquidem multis in locis, Nocturnis Vigiliis, etiam primis temporibus, vel saltem paulò post, Laudes Matutinæ jungebantur; ita enim ostendit Cassianus lib. 3. de Inst. Cœnob. cap. 4. ubi ait: *Hæc Matutina Sollemnitatis* (Laudes) *in Gallia quidem Monasteriis expletis Nocturnis Psalmis, & Orationibus post modicum temporis intervallum solita est celebrari, sed in Orientis partibus cum quotidianis Vigiliis pariter consumatur.* Idem tradit Amalarius in Prolog. lib. de ordin. Antiphon. ex quo apparet, Romanam Ecclesiam nunquam fortè recepisse morem illum separandi Matutinas Laudes à Nocturnis, seu Nocturno. Prædicti oppositi mores occasionem præbuerunt Auctoribus abundi in oppositas sententias, quorum Auctoritates, & argumenta congerunt Franciscus Suarez Tom. 1. de Religion. lib. 4. cap. 6. & Azorius 1. part. lib. 10. cap. 1. quest. 2. Franciscus Magius de Divino Officio Opusc. 1. disquisit. 2. Cardinalis verò Turrecremata tract. 73. in Regulam S. Benedicti, & in Cap. Presbyter, distinct. 98. quest. 1. conclus. 2. hæc habet -- olim

in multis Provinciis Ecclesiis Nocturnas Vigiliis divisas fuisse, & sejunctas à Matutinis Laudibus, & in Monachorum Conventibus planè secerni, & disjungi: & per Orationes distinctas terminari solitas esse, & tunc temporis octo Horæ verissimè numerabantur. At verò nostris temporibus usu receptum est, ut Matutinæ Laudes simul cum Nocturnis Vigiliis decantentur, ac proinde septem tantummodò Horæ supputantur. Quin etiam olim in Ecclesia Romana usus

obtinet, ut Nocturnæ preces unà cum Matutinis Laudibus conjungerentur -- Ita præfatus Auctor studet conciliare utramque sententiam de numero octonario, & septenario Horarum Canonicarum. Cætera, quæ spectant ad hanc Horam Canonicam Matutinarum Laudum, tradunt Grancolas l. cit. cap. 34. Cardinalis Bona loc. cit. §. 2. Oliverius Bonartius loc. cit. aliique Auctores à Francisco Magio, & à Gavanto allegati.

## De Prima, XV.

### RUBRICA.

- 1 **AD Primam**: Pater noster, Ave Maria, Credo, secretò: Deus in adjutorium &c. Hymnus, Jam lucis orto sidere; Deinde incantatur Antiphona, qua convenit. Sumuntur autem Antiphona in Festis ad omnes Horas ex Laudibus per ordinem, quarta prætermissa, ut dicitur infra in Rubrica de Antiphonis. Postea dicuntur Psalmi, qui in Dominicis & Feriis dicuntur ut in Psalterio. In Festis autem, & tempore Paschali, tres tantum, ut etiam ibi annotatur.
- 2 Post Antiphonam dicitur Capitulum, Regi saeculorum. In Feriali Officio extra tempus Paschale dicitur Capitulum, Pacem. Deinde Responsorium breve, Christe, Fili Dei vivi &c. Post Responsorium breve in Officio Duplici, & infra Octavas, statim dicitur Oratio, Domine Deus omnipotens. In alio Officio dicitur, Kyrie eleison, cum reliquis Precibus; omnia ut in Psalterio. Ad Versum autem, Adjutorium, Hebdomadarius signat se signo Crucis à fronte ad pectus. Quando aliquis solus recitat Officium, semel tantum dicit, Confiteor; omittis illis verbis, Tibi pater, vel, Vobis fratres, & Te pater, & Vos fratres, & similiter dicit: Misereatur nostri: peccatis nostris: perducatur nos; quod etiam servatur ad Completorium. In Feriali Officio quando dicta sunt Preces ad Laudes, adduntur aliæ Preces, ut ibidem in Psalterio.
- 3 Post Orationem Prima: vel, si dicatur Officium B. Mariae, post illius Orationem, dicto Benedicamus, in Choro legitur Martyrologium; deinde dicitur: Pretiosa, cum reliquis: qua etiam dicantur ab iis, qui extra Chorum non legerint Martyrologium. In fine ad Absolutionem Capituli, in Festis & aliquibus diebus pro Lectione brevi dicitur Capitulum Nona, si adsit proprium, alioquin de Communi: alio tempore tam in Dominicis, quam Feriis, Lectio brevis Officio illius temporis in Psalterio assignata.

## Novæ Observationes, &amp; Additiones ad Gavanti

## Cap. III. De Prima.

I. Gavant. pag. 41. col. 2. n. 1. -- *Tempore Cassiani expositio capta &c.*) Officium Primæ ignotum fuit primis Ecclesiæ temporibus, necnon primis Monachis, fuit autem primò institutum in Bethlehemitico Monasterio (ubi Dominus noster JESUS CHRISTUS natus ex Virgine humana infantie suscepit incrementa) tempore quidem Cassiani, ut rectè probat Gazzæus in Commentario ad eundem Cassianum *lib. 3. cap. 4.* quidquid reclamant nonnulli, asserendo, hujus Horæ institutionem Cassiano antiquiorem esse, nam quòd aliqui ex præfatis Patribus manè orandum esse hortantur, hoc de Matutino, non de Primæ Officio rectè intelligitur, ut optimè adnotavit Cardinalis Bona in *lib. de Divina Psalmodia cap. 6. §. 4. num. 2.* ubi adversariorum difficultates pariter solvit. Ex Oriente inde ad occidentales Regiones idem Primæ Officium propagatum fuit; hujus autem institutionis causa repetenda est ex inertia, & somnolentia quorundam Monachorum, qui post Matutinas Laudes cubitum redibant, & multò prolixius, quàm par esset, somno indulgebant, nempe ad Tertiam usque, cùm aliud Officium, aliumve Conventum ad hanc usque horam agendum non haberent, ut fusè narrat Cassianus *lib. 3. de diurnis Orat. onibus cap. 4.*

II. Gavant. pag. 42. col. 1. n. 3. -- *Post ortum Solis prima congruentius recitatur &c.*) Quamvis Prima alterum sit, ac verè distinctum Officium à Matutinis Laudibus, nihilominus à nonnullis eodem tenore consequenter persolvebatur, ita S. Aurelianus relatus ab Edmundo Martene *lib. 1. de Antiquis Monachorum Ritibus cap. 4.* præscribebat recitationem hujus Horæ nullo interposito exercitio inter hanc, & Matutinos; ita etiam in Regula incerti Auctoris manuscripta *cap. 2.* habetur -- A Sancto autem Pascha

usque ad Kalendas Octobris post Matutinum Officium mox Prima subsequatur -- & Beatos Aelredus in *Regula ad Virgines cap. 14.* præscribit, quòd saltem à Kalendis Novembris ad Quadragesimam albescente Aurora Matutinæ Laudes cum Hymnis Horæ Primæ persolvantur. Sed juxta Regulam S. Benedicti aliquod breve spatium intercipitur inter Primam, & Matutinum Officium. & in Commentario ad *cap. 8.* ejusdem Regulæ tradit citatus Martene, quomodo à suis Monachis illud breve spatium transigendum sit; è contra verò Benedictini Gorzienses Matutinis Primam continuè subjungebant, ut docet Johannes Mettensis in *Vita S. Johannis, Abbatis Gorziensis, num. 82.* sed juxta Romanum Ritum semper disjungitur Primæ Officium à Matutinis Laudibus, & hinc est, quòd optimè Gavantus asserit, post ortum solis Primam congruentius recitari.

III. Gavant. pag. 42. col. 2. n. 4. -- *Sola mentio fit ante omnes Horas de Oratione Dominica &c.*) Asserit hic Gavantus, Scriptores de Divinis Officiis facere mentionem tantùm de Oratione Dominica præmittenda ante omnes Horas Canonicas, & quòd de Symbolo Apostolorum non fiat mentio, nisi apud Polidorum Virgilium *loc. cit.* verùm Monachi Benedictini Bursfeldensis Congregationis recitant ante hanc Horam *Pater, Ave, & Credo,* ut diserè præscribitur in eorum Ceremoniali *cap. 11.* his verbis: *Prima Regulæ præmittimus ex more Pater noster, Ave Maria, & Credo in Deum.*

IV. Gavant. eod. n. 4. -- *Initium à Deo in adjutorium, habetur ex Amalario &c.*) Amalarius à Gavanto allegatus refert, Primam incipiendam esse ab illa prece: *Deus in adjutorium, cum Gloria Patri,* sed nil habet de Hymno *Jam lucis &c.* quia nulli Hymni

mmi ejus atate Romæ recitabantur. S. Benedictus tamen Amalario antiquior, qui Primam à Laudibus distinguit (ut diximus) *cap. 17.* suæ Regulæ hunc ordinem in ea servari præscribit. Primâ horâ, inquit, dicantur Psalmi tres singulatim, & non sub una Gloria, Hymnus ejusdem Horæ post Versum *Deus in adjutorium meum intende*, antequam Psalmi incipiantur.

V. Gavant. eod. n. 4. -- *Antiphonam nemo nota! &c.*) Prima sine Antiphona dicebatur. Primus fuit Radulphus Tungrensis, qui tradidit, singulas Dei Horas Antiphonam habere; minores autem Horæ olim nullam Antiphonam habebant, uti colligitur ex Ordinibus Romanis, & hodie servatur tribus ante Pascha diebus, & Paschatis hebdomada. Quamvis autem in Regula S. Benedicti *cap. 17.* post illa verba: *Hymni earundem Horarum, terni Psalmi, Lectio &c.* subnectitur: *si major Congregatio fuerit, cum Antiphonis, si vero minor, in directum psallatur,* nihilominus non significantur hic nomine *Antiphonæ* verba illa, quæ in Horarum Canoniarum principio intonantur, sed prædictis verbis, nempe *cum Antiphona psallere*, voluit Sanctus Benedictus, ut explicat Haëphtenus *lb. 7. tract. 4. disquis. 3.* voluit, inquam, designare eam Divini Officii partem, quæ fit cum nota, & melodico concentu; *in directum* verò *psallere*, seu *sine Antiphona*, idem est, ac psallere sine notis, modulatione, aut tono, ita ut æquali vocis tenore rectè omnia absque ascensu, vel descensu pronuncientur. Et sic optimè intelligitur illa dispositio, *si major Congregatio fuerit, cum Antiphonis*, nomine enim majoris Congregationis, venit Congregatio, in qua sint plures, quàm duodecim Monachi, ut explicat Bernardus Cassinensis apud Martene in prædictum capitulum Regulæ S. Benedicti, qui optimè possunt sustinere laborem, & onus psallendi cum notis, & modulatione modo suprascripto. Minorem verò Congregationem ab Antiphonis, nempe cantu, exemit

S. Patriarcha, ne nimio labore pauci opprimantur, quod enim fit à multis, facilius adimpletur, quàm à paucis. Et certè, subdit Martene *loc. cit.* in minori Congregatione, ubi minor solet esse substantia, necesse est, quosdam frugibus colligendis foras exire, aliisque Monasterii utilitatibus vacare, paucis in Choro remanentibus, quibus grave esset, has Horas cantu sollempni persolvere, Præterire non possum, quòd juxta mentem aliquorum, quos suppressò nomine allegat Cardinalis Turrecremata, major Congregatio dicitur illa, quæ est à triginta, & supra Monachis constituta; minor verò Congregatio, si minus à triginta fuerint Fratres descendendo usque ad duodecim; nam minus à duodecim non videtur Congregatio Regularis. Quæ quidem sententia valde arridet Martenio *loc. supracit.* nam ait ipse S. Benedictus in Regula *cap. 21.* Decanos in sola majori Congregatione instituit, verùm supra duodecim, aut quindecim Monachos, vel circiter sufficiunt Abbas, & Præpositus: major ergo Congregatio haud potest esse, nisi ubi duo minimum existunt Decani singuli supra denos Monachos constituti, & supra utrosque Abbas, & Præpositus, hoc est viginti quatuor.

VI. Gavant. pag. 42. col. 2. num. 5. -- *Psalmi in Dominicis quatuor &c.*) Juxta Regulam S. Benedicti *cap. 17.* à nobis jam allegatam in Officio Horæ Primæ recitari debent Psalmi tres, quos tamen singulis diebus S. Pater sic variat, ut Dominica ad Primam quatuor Capitula Psalmi 118. Feria II. primum, secundum, & sextum Psalmum, & ita per singulos dies tres per ordinem Psalmos, usque ad Psalmum 19. dicendos instituat; ita tamen, ut 9. & 17. Psalmi prolixiores dividantur in binas *Glorias*, & sic Dominica ad Vigiliis semper à 20. Psalmo incipiatur. Longè prolixius est Primæ Officium à S. Aureliano in ordine psallendi Regulæ subjecto dispositum, ubi ait -- Post Matutinos ad Primam 2. Psalmi dicantur &c.

In Regula tamen ad Virgines sex tantummodo Psalmos assignat. Prædictis tribus Psalmis à S. Benedicto præscriptis subjungebant olim ejusdem Monachi Symbolum S. Athanasii, ut notat Martene *loc. cit. n. 10.* idque colligit ex Catalogo Abbatum Floriacensium, qui habetur *tom. 1. Miscell. Baluz.* ubi de Theodalpho Abbate dicitur -- Explanationem edidit Symboli S. Athanasii, quod à Monachis post tres regulares Psalmos, ad Primam quotidie canitur -- Idem colligit ex Ordinario Tullensi S. Apri, in quo habetur -- Omnibus diebus Dominicis infra preces post *Domine, exaudi*, dicitur *Quicumque vult &c.* Cæteris autem diebus dicitur *Quicumque vult* ante Antiphonam; & infra in Feria II. ad Primam Hymnus *Jam lucis*, Antiphona *Servite Domino*, Psalmi *Beatus vir: Quare fremuerunt: Domine, ne in furore tuo: Quicumque vult &c.* -- Psalmus *Beati immaculati*, pro minoribus Horis divitus peculiaris est Ecclesiæ Romanæ mos, legimus tamen in Vita S. Benedicti Ananienensis, Psalmum illum juxta Romanum Ritum præscriptum fuisse: *Divinum Officium juxta*

*Romanos Psalmo 118. persolvatur.* Obiit autem prædictus S. Abbas Anno 821. Ante Psalmum *Beati immaculati* sex Psalmi Romæ recitabantur, à *Confitemini* incipiendo, & in Breviariis recognitis, & emendatis hi Psalmi in sex dies distributi sunt, in Dominicam scilicet, & quinque alios hebdomadæ sequentes dies; Sabbatum autem hoc quarto Psalmo caret. Post Psalmos Primæ Dominicis diebus dicitur Symbolum S. Athanasii, ut præscribit superior Rubrica, de quo Symbolo agemus infra in sequenti Sectione *c. 29.* simul cum nostro Gavanto.

VII. Gavant, pag. 43. col. 1. n. 8. -- *De Capitulo, quod Amalarius omittit scribere &c.* Videri possunt etiam ea, quæ tradit Edmundus Martene *cit. loc.* de Ritibus Monachorum spectantia ad Capitulum, ad Responsorium breve, seu Versus, ad Lectiones, Confessionem, & Preces, quæ ad Primam, seu post recitatos Psalmos interponuntur. De Martyrologio, de Pretiosa cum Reliquis usq; ad finem fusiùs cum Gavanto Sectione sequenti etiam nos differemus.

## De Horis, Tertia, Sexta, & Nona. XVI.

### RUBRICA.

- 1 **A**D Tertiam, Sextam, & Nonam, ante singulas Horas dicitur *Pater noster, Ave Maria, Deus in adjutorium, Hymnus, & Psalmi* ut in Psalterio: *Antiphona secundum Officii qualitatem, ordine, quo supra.* *Dictis Psalmis & Antiphona, dicitur Capitulum, & Responsorium breve pro qualitate Officii: quæ in Dominicis & Feriis, quando non habentur propria in Proprio de Tempore, dicuntur ut in Psalterio: in Festis, si in proprio Sanctorum non sint propria, sumuntur de Communi.* Post Responsorium breve dicitur: *Dominus vobiscum, & Oratio, quæ habetur in Proprio de Tempore: si autem sit de Sancto, ut in Proprio Sanctorum; alioquin ut in Communi.*
- 2 Post Orationem repetitur *Dominus vobiscum, & dicitur: Benedicamus Domino: Fidelium anima; & Pater noster secretò, ut infra in Rubrica de Oratione Dominica explicatur.*

GAVANT, Rubr. Brev.

R

Novæ

## Novæ Observationes, &amp; Additiones ad Gavanti

## Cap. IV. De Horis, Tertia, Sexta &amp; Nona.

I. Gavant. pag. 43. col. 2. n. 1. -- *Ha tres Hora insigniores erant in rebus humanis, & sollemniores in Orationibus Divinis &c.*) Veteres, maximè Judæi, Romani, & Itali, ut Historiæ, & Mathematicorum libri testantur, artificialem diem, hoc est, totum illud spatium temporis, quod ab ortu solis ad occasum intercipitur, & noctem, sive tempus illud, quod solis inter occasum, & ortum labitur, in horas, sive partes duodecim æquales partiebantur, modò quidem breviores, modò verò prolixiores, juxta brevitatem, aut prolixitatem noctis, aut diei, nam ætate, qua breviores sunt noctes, horæ diurnæ prolixissimæ, nocturnæ verò brevissimæ erant, & è converso hyemis tempore; unde horas illas vocabant inæquales, non quòd inter se non essent æquales, sed quòd duodecim horæ diurnæ respectu aliarum duodecim nocturnarum, excepto æquinoctio, essent inæquales. Hanc consuetudinem dividendi hoc modo horas diurnas, ac nocturnas per sæcula duodecim viguisse in Ecclesia, scribit Paulus le Fort, Monachus Cisterciensis, in eo Libello, quem *de antiquis, & modernis horis* exaravit, cap. 2. §. 3. & Julianus Parisius *de prima vivendi ratione Cisterciensium* part. 3. cap. 1. §. 1. tradit, horis inæqualibus usos fuisse Cistercienses usque ad annum 1429.

Rursus apud Antiquos pro Oratione diurna in quatuor partes æquales dies dispartitus fuit, quarum unaquæque tribus constabat horis ex prædictis duodecim diurnis, & ab ultima sui hora inclusa, Oratio, quæ fiebat, sumpsit denominationem; ita ut prima Orationis pars, quæ in tertia diei hora finiebatur, *Tertia* diceretur: secunda pars, quæ in sexta, *Sexta*: tertia, quæ in nona, *Nona*: quarta, & postrema, quæ in vespere, & duodecima, *Vespera*, seu duodecima

appellaretur. Hinc est, quòd horæ Canonice diurnæ, quæ usque modo in Officio Divino recitantur, eodem modo omnes, & univocè à prædictis quatuor diei horis adhuc denominantur, scilicet *Tertia* à tertia, & sic de singulis. Ex prædictis tamen quatuor diei partibus duæ postmodum particulae fuerunt separatae, prima scilicet, & ultima diei hora; pro Prima hora Canonica, quæ statim ab ortu solis; & pro Completorio, quæ in hora duodecima, seu in solis occasu, celebrantur, de quibus apud Antiquiores mentio non habetur, cum neutra harum Canoniarum ab initio esset cognita, ut de Prima jam ostendimus, & de Completorio probabimus infra.

Si autem quæretur, in quam parte illius spatii, seu trium horarum, quod dicitur tertia, sit recitanda hora Canonica, quæ *Tertia* pariter denominatur, in principio, an in fine, cum satis longius sit dictum spatium horæ diei, quam recitationis unius horæ Canonice? respondendum est cum Marcello Francolino *Tract. de tempore horarum Canoniarum* cap. 10. num. 9. quòd in quacunque parte horæ recitetur, dummodo tota Oratio intra spatium illud compleatur, rectè, & suo tempore recitata censetur, sed si fieri possit, ut, cum finitur hora diei, finiatur etiam simul tota recitatio horæ Canonice illi correspondentis, tunc rectissimè facta recitatio, quantum ad temporis circumstantiam pertinet, dici debet: excepta tamen prima hora Canonica, quæ statim post Ortum Solis incipi deberet.

II. Gavant. cod. n. 1. -- *Tum Danielis, qui ter orabat in die, tum Apostolorum &c.*) Prædictas Horas diei Tertiam, Sextam, & Nonam notissimas fuisse etiam Apostolorum tempore ad preces fundendas, optimè docet Gavantus, nam hora tertia Apostoli orantes

acce-

acceperunt Spiritum Sanctum, ut S. Petrus testatus est *Act. 2. v. 16.* dicens: *Cum sit hora diei tertia.* Rursum *Act. 10. v. 9.* legitur, quod ascendit Petrus in superiora, ut oraret circa horam sextam. Demique *Act. 7. v. 1.* habetur: *Petrus autem, & Johannes ascendebant in Templum ad horam Orationis Nonam.* Hinc Tertullianus à Gavanto citatus antedictas horas Canonicas Apostolicas appellat, tanquam ab eorum disciplina profectas; ad exemplum Danielis, in cujus *Capitis 6. Comentario* ait Divus Hieronymus: *Tria autem sunt tempora, quibus Deo flectenda sunt genua, Tertiam horam, Sextam, & Nonam Ecclesiastica Traditio intelligit; & Amalarius Fortunatus lib. 4. de Ecclesiastic. Offic. cap. 3. ait: Tres hora diei nobis initiata sunt ad orandum Deum à Daniele Prophetâ. S. Cyprianus vero in serm. de Oratione Dominica prope finem docet: Ho à tertiâ orandum esse, ut Spiritum Sanctum, qui horâ illa descenderat, veneremur, sexta, quod Christus Cruce affixus fuit, nona vero, quia ad nonam peccata nostra sanguine suo abluit, & ut redimere, & vivificare nos pisset, victoriam suam tunc passione perfecit.*

Cassianus *lib. 2.* refert, Orientis Monachos tres horas istas dum opus facerent, recitasse, atque Dominicis tantum diebus ad eas decantandas convenisse; & Gregorius Turonensis *lib. 10. Historia* testatur, Injurio-

sum Episcopum XV. Turonensis Ecclesiæ præscripsisse, ut ibidem Tertia, & Sexta recitarentur, unde suspicandi locus datur, ut optimè advertit Grancolas *lib. supracit. cap. 7.* ante ejus tempora privatim tantum, atque ex Fidelium pietate, nulla lege jubente recitatas fuisse. Et in vita S. Casarii Arelensis legitur, eum statuisse, ut imposterum Clerici Tertiam, Sextam, & Nonam publicè decantarent, quo pœnitentes, & Laici illis adesse possint; atque in Regula sua singulis horis istis sex Psalmos tribuit. Ita pariter S. Aurelianus sex Psalmos pro qualibet hora recitandos disposuit, S. verò Benedictus tres duntaxat cum Lectione, *v. Kyrie &c.* Mos verò Romanæ Ecclesiæ est distribuere pro Horis istis Psalmum 118. *Beati immaculati &c.* in undecim partes; quarum duæ pro Prima, & reliquæ sunt pro aliis horis, qui Ritus in nulla Monastica Regula invenitur. S. Benedictus Ananiensis tamen hunc Romanum morem, ut innuimus suprâ, servabat, ut in ejus vita legitur. Varios Monachorum mores circa Lectiones, Preces, & alia in his horis recitandas tradit Grancolas *loc. cit.* nec non Cardinalis Bona.

Ceterum in quibusdam Ecclesiis diebus Festis Tertia canitur Sollemniter, ante Missam Conventualem, de qua Sollemnitate agunt Caremonialia, & Consuetudines particularium Ecclesiarum.

## De Vesperis, XVII.

## RUBRICA.

- 1 **A**D Vesperas: Pater noster, Ave Maria, Deus in adjutorium, &c. Deinde dicuntur quinque Psalmi cum quinque Antiphonis, ut in Proprio aut Communi Sanctorum signantur. In Dominicis autem & Feriis, Antiphona & Psalmi semper dicuntur ut in Psalterio (ubi etiam tempore Paschali Psalmi dicuntur sub una Antiphona, Alleluja,) nisi alie proprie Antiphona vel Psalmi (ut in Dominicis Adventus, & triduo ante Pascha) assignentur.
- 2 Post Psalmos & Antiphonas dicitur Capitulum, Hymnus, Versus, Antiphona ad Magnificat cum eodem Cantico, & Oratio; omnia de Tempore, vel de Sancto, pro qualitate Officii.

R 2

3 Pre-

3 *Preces quando dicenda sunt, dicuntur ante Orationem: Commemorationes vero de Cruce, sancta Maria, Apostolis, Patrono, & Pace post Orationem, ut in propriis Rubricis habetur. Terminatur autem Officium Vesperarum, ut in aliis Horis.*

## Novæ Observaciones & Additiones ad Gavanti

### Cap. V. De Vesperis.

I. Gavant. pag. 44. col. 1. n. 1. -- *Vespera à s̄dere &c.*) De Vespertino Officio plura hic inquit Gavantus, præsertim quo nomine apud Auctores antiquos appellaretur, deinde quam hora celebraretur, & denique quæ Preces in Vespertino Officio ab Antiquioribus funderentur. Præcipuum autem, ac celeberrimum hujus Officii nomen, quod etiam nunc ubique retinet, fuit, *Vespera*, ita dictum, ut optimè etiam advertit Gavantus cum Isidoro à s̄dere, quod *Vesper* vocatur, & *decidente sole exoritur*, eò quòd tunc temporis celebraretur: hoc vocabulo, & nomine nihil frequentius apud Auctores, ita, ut supervacaneum omnino sit, eorum testimonia referre. Hoc Officium à S. Basilio in *Regulâ s̄fusius disputatis cap. 27.* vocatur *Eucharistia*, seu gratiarum actio, eò quòd ad referendas pro beneficiis à Deo per diem acceptis gratias præsertim institutum fit; à S. Gregorio Nysseno autem in vita S. Macrinæ vocatur *Lucernalis gratiarum Actio*, quo nomine etiam appellatur à laudato S. Basilio in *lib. de spiritu Sancto cap. 29.*

II. Gavant. eod. n. 1. -- *Lucernarium dicitur, & Lucernalis hora &c.*) Alii Vesperarum Officium, quod semper in Ecclesia habitum fuit, tanquam omnium diei horarum maximè sollemne, & respondens Sacrificio Vespertino, quod ab Hebræis offerebatur, alii, inquam, hoc Officium *Lucernarum* appellarunt, alii *Officium lucernarum*, alii *lucernalem horam*, quia valde serò recitabatur, & cerei, necnon lampades ad hoc Officium accendebantur. Socrates *lib. 2. cap. 25.* *lucernæ accensionem* illud vocat ob eandem ra-

tionem, nempe ob cereos, & lampades, quæ accendebantur; quinimò preces nonnullæ fiebant in actuali lampadum accensione, ut colligitur ex Officio Mozarabico, in quo Vesperæ incipiunt ab Oratione, quæ recitatur, dum lampades accenduntur, diciturque *Lumen offerre*. Recitatur autem *Kyrie, Christe, Kyrie, Pater noster*, deinde in *N. D. J. C. lumen cum pace Amen, hoc est lumen oblatum, &c. Deo gratias*. Eadem ista Oratio dum lumina ad Officium Vespertinum accenduntur, faciendâ legitur in quodam Hymno Prudentii male inscripto *ad incensum Cerei Paschalis*, nullo enim modo pro Cereo Paschali, sed pro Vespertino Officio deservit, cum silice percussa, ignis excitabatur ad Cereos accendendos, idque quotidie Vesperis fieri solebat. De his omnibus fusè, ac doctè disserit Menardus in notis ad Regulam S. Benedicti *cap. 24. §. 2.* ubi refert preces, quæ à Monachis recitabantur, in luminum accensione. Neque tamen confundenda est *Vespera* cum *Lucernario*, seu cum precibus, quæ ad accendendas lucernas in Ecclesia dicebantur ante Vesperas, quas etiam *Lucernarium* appellarunt, utrumque enim distinguitur, licet eodem nomine vocaretur, ut probat idem Menardus, & patet ex Regula, quæ sub nomine S. Augustini, inter ejus opera vulgata, est in appendice.

III. Gavant. eod. n. 1. -- *Ultima diei hora recitabatur &c.*) Ex dictis satis liquet, quam hora pertolveretur Vesperarum Officium, nempe accensis lucernis, qua forte & causa à quamplurimis antiquis Auctoribus, quos congerit Cardinalis Bona *de Divina Psal*

*Psalmodia cap. 37.* inter nocturnas Divini cultus horas recensetur. Sed Officium Vespertinum sine controversia inter diurnas horas numerandum est, quia ultima diei artificialis hora, scilicet occidente Sole, recitari solebat, ac proinde tempus Canonicum Vesperarum erat hora duodecima, & postrema totius diei, non quidem exacta, & completa, sed labente, & hinc est, quod Concilium Turonense à Gavanto allegatum Vesperarum Officium *duodecimam* appellavit, sumpto nomine ab ultima diei hora, in qua recitandum est. Hoc eodem nomine nuncupatum fuit idem Officium in Regula Cassiani, seu potius in Regula ex operibus Cassiani conflata, & à S. Benedicto Ananienti Abbate citata in *Concor. Regul. cap. 24. §. 2.* non alia ratione, ut considerat etiam Martene de *Monachorum Ritibus lib. 1. cap. 10. num. 8.* nisi quia duodecima, seu ultima diei hora dicebatur. Neque officit, quod Cassianus *lib. 3. de Institutis Canobiorum cap. 3.* dicat, horam lucernalem esse undecimam, adeoque non duodecimam; nam Cassianus ibi loquitur de hora undecima jam exacta, & completa, ac proinde de duodecima jam cœpta; nam accommodat Laudes Officii Vespertini ad illorum opus, qui horam undecima vocantur ad vineam, sic enim ait: *In his quoque horis etiam ille Evangelicus Pater familias operarios conduxit in vineam suam, ita enim, & ille primò manò conduxisse describitur, quod tempus designat Matutinam nostram sollempnitatem; deinde à Tertia, inde Sexta, post hæc, Nona, ad extremum undecima; in qua lucernalis hora signatur.* Hæc Cassianus, sed illos operarios horam undecima exacta operari cœpisse, & usque in finem duodecimæ operatos fuisse, testatur Matthæus *cap. 20.* illis verbis: *Hi novissimi unâ horâ fecerunt.* Ex quo patet, ita etiam loqui Cassianum mox citatum, quæ omnia confirmari possent hac ratione; nimirum, quia lucerna, & lumina, quæ adhibebantur tanquam necessaria ad Vesperarum Officium, non erant profecto necessaria ho-

râ decima, vel undecima inchoante, cum Sol adhuc clarissimè luceat, sed hora undecima jam expleta, & horam duodecimam jam labente, Sole jamjam occumbente, præsertim in locis obscurioribus, sicut Oratoria, & Chori esse solent.

VI. Gavant. pag. 44. col. 2. n. 5. -- *Nam quinque Psalmi &c.* Circa Vesperarum Officium varia in Ecclesiis fuit disciplina, sicut & in cæteris Officiis aliqui sex Psalmos, & sex Lectiones recitabant, alii verò plures, aut pauciores, prout videre est apud Martene *loc. cit. de Monachorum Ritibus num. 10. & seqq.* Hodie autem quatuor Psalmi apud Monachos, quinque verò juxta Romanum morem decantantur: Dominicani tamen quinque Psalmos pariter recitant, licet in aliis cum Romano Ritu non conveniant: apud Cistercienses verò Psalmi ad Vesperas nunquam mutantur, atque illos, qui singulis Feriis propriis sunt, semper recitant, asseruntque, S. Benedictum, ut Psalmi in Festis mutarentur, nunquam jussisse, nisi ad nocturnum Officium: Carthusiani verò pro Festorum ratione Psalmos mutant. In veteri Psalmorum distributione, quam pro Officio recitando evulgavit Card. Thomasius juxta antiquam Romæ disciplinam, hæc leguntur: *Ad Vesperas recedente Sole, ac die cessante in Festis, sive majoribus, sive minoribus semper dicuntur Psalmi Ferie occurrentis, nisi aliter notetur.* Proprii in Natali tantum, in Cæna Domini, atque alii quibusdam diebus his similibus habentur.

V. Gavant. pag. 44. col. 2. num. 7. -- *De Capitulo, de Hymno, &c.* Vesperarum Capitulum, quod ante Hymnum recitatur, ab Amalario *cap. ult. de Antiphonis*: Lectio à Pastore prolata, dicitur: Præpositus enim, sive Celebrans illud recitabat. Prædictam Lectionem modò apud Monachos, reliquosque omnes recitat Hebdomadarius, qua finita respondetur à Choro *Deo gratias*; deinde juxta Monachorum morem subjungitur breve, vel prolixum Responsorium ab uno,

vel pluribus cantandum, ut notat Martene supra num. 24, de quibus Responsoris mentionem etiam facit Amalarius *loc. cit.* atque ait; Se ea Metis non inveniisse, eò quod ignoraret, cur potius ad Vesperas ante *Magnificat*, quam ad *Laudes* ante *Benedictus* adhiberentur, & sicuti nulla erant ad *Laudes*, nulla quoque pro *Vesperis* designavit. Juxta Romanum Ritum nulla sunt Responsoría, neque ad primas, neque ad secundas *Vesperas*; *Benedictini* tam ad *Vesperas*, quam ad *Laudes* quotidie habent Responsoría similia illis, quæ ad minores horas adhibentur, & brevía Responsoría appellant, postremo tantum Versiculo ante *Magnificat*, vel *Benedictus* translato.

VI. Gavant pag. 45. col. 1. n. 8. -- *Canticum Magnificat &c.* De hoc Cantico post Hymnum omnibus diebus recitando satis superque discurret Gavantus. Prædictum Can-

ticum Amalarius *lib. 3. cap. 7.* Hymnum B. V. appellat. Finito hoc Cantico *Kyrie &c.* dicebatur, postea verò *Collecta*. Post *Vesperas* dabatur *Benedictio*, quemadmodum & ad aliorum Officiorum finem. Episcopi solent etiam ad hanc diem, cum res divinas faciunt post *Laudes*, & *Vesperas* *Benedictionem* impertiri; idque præscribitur à Concilio Agathensi *Can. 30.* in quo sancitur: *Plebs, Collecta Oratione ad Vesperam, ab Episcopo cum Benedictione dimittatur.* Et in *Vita S. Casarii Arelatensis lib. 2.* legimus, eum *Benedictionem* elargitum fuisse ad finem *Vesperarum*: *Cum, expleto lucernario, Benedictionem Populo dedisset.* Reliqua spectantia ad hanc horam Canonicam, atque Diurnam legi possunt apud allegatos Auctores, nimirum Martene, Grancolas, Card. Bona, Amalarium, Francolinum, & alios.

## De Completorio, XVIII.

### RUBRICA.

- 1 **A**D Completorium: absolute dicitur *Lectio brevis*, ut in *Psalterio*, deinde, *Pater noster*, *Confiteor*, *Miserereatur*, *Indulgentiam*, *Converte*, *Deus in adiutorium*; *Antiphona*, *Psalmi*, *Hymnus*, *Capitulum*, *Responsorium breve*, *Canticum cum Antiphona*, omnia ut in fine *Psalterii*; & post *Antiphonam* in *Duplicibus*, & infra *Octavas* dicitur *Oratio*; in alio autem *Officio* ante *Orationem* dicitur, *Kyrie eleison*, cum reliquis *Precibus*, ut ibidem in *Psalterio*.
- 2 Post *Versum*, *Benedicat*, & custodiat nos &c. dicitur una ex *Antiphonis B. Mariae* cum *Versiculo*, & *Oratione*, ut ibidem: & dicto *Versu*, *Divinum auxilium*, dicitur *secretò*, *Pater noster*, *Ave Maria*, & *Credo*.

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Cap. VI. De Completorio.

I. Gavant pag. 45. col. 1. n. 1. -- *Completam* vocat *Isidorus &c.* Hanc ultimam diei horam Canonicam, quam S. *Benedictus* in sua *Regula cap. 17. & 42.* *Completorium* appellat; ob rationes à Gavanto adductas S. *Isidorus lib. 1. de Offic. Ecclesiastico cap. 21.*

*Completas* vocat, & nonnulli PP. *Completam*; verum citatus *Isidorus* in *Regulam cap. 7.* *Completorium* pariter vocat. S. autem *Columbanus* *Regula cap. 7.* *Initium noctis* nuncupat hanc horam; *Fructuosus* verò, *Bracarensis* *Episcopus*, *Primam noctis horam*, fortè quia dice-

dicebatur in *crepusculo Vespertino*, ut tradit Eddius in *Vita S. Wilfridi cap. 64.* sive *instante noctis arti. u'o*, ut in historia translationis S. Jenulphi n. 25. quæ habetur in *Sæculo 4. Benedictino par. 2.*

II. Gavant. pag. 45. col. 2. n. 2. -- *Vel à S. Basilio &c.*) Inquirendo originem hujus horæ Canonice, hanc repeti posse, ait Gavantus, vel à S. Cypriano, vel à S. Basilio, qui in *Regulis fusiùs disputatis quest. 37.* ait: *Cum autem primis se jam volùis incendentes tenebris, sequeretur petitio, ut quies, quam sumus capere, ab omni perturbatione, ac vitio libera sit, qua hora etiam necessariò nonagesimus recitari Psalmus debet.* Sed aliter omnino explicat Basilii verba Marcellus Francolinus in *Tractatu de tempore horarum Canonicarum cap. 29. num. 1. & seqq.* in Francolini sententiam abit etiam Card. Bona de *Divina Psalmodia cap. 48. §. 1.* ubi validis rationum momentis ostendit, hujus horæ Canonice institutionem tribuendam omnino esse S. Benedicto, præsertim, quia, licet in *Scripturis*, & *Patribus* frequens habeatur mentio *Orationis* faciendæ in fine diei, ad *Vesperas* tamen, vel ad *Orationes* quasdam privatas, & non ad *Completorium* *Orationem* communem ab *Ecclesiasticis* faciendam, illæ *PP. sententiæ* referri debent. Præterea accedit, quòd ipso nomine *Completorii* nullus *Ecclesiasticus* *Scriptor* *Benedicto* antiquior usus fuit, nec apud quempiam *Græcum*, vel *Latinum* *Auctorem* hujus *Officii* nomen reperitur. Prosequitur idem Bona ad refellendam opinionem illorum, qui S. Basilium primum *Completorii* institutorem tueri conantur, & etiam in *Epistola* quadam *MS.* alias addit validissimas rationes, quibus propugnat hanc suam sententiam; unde qui suæ curiositati super hac questione satisfacere cuperet, consulat prædictum *Auctorem*, & evolvat sua allegata monumenta. Huic sententiæ consentit profectò Gavantus noster, nam loquendo de antiquis temporibus, quibus aliqua *Oratio* post *Vesperas* recitan-

da præscribatur: Hoc rude fuit potius (ait ipse) quàm completum *Completorium*; & reverà ante S. P. *Benedictum* post *Vesperas* nulla sollempnis *Oratio* persolvenda remanebat, sed privata solùm cuique *Psalmodia* imponebatur, unde *Johannes Climacus*, qui sexto *Sæculo* floruit, in *Sermone de Pastoris officio* ait: *Quidam Pater* post complementum *Vespertinarum Orationum* alicui duos, alii tres, alii centum *Psalmos* ante somnum injungebat -- Igitur in apertis est, hanc fuisse *Orationem non communem*, sed peculiarem, & aliquod *Completorii* vestigium, non verò ipsum *Completorium*, quod constituit septimam horam *Canonicam*, quæ addita fuit non *Cassiani* tempore, ut innuit Gavantus hic *num. 3.* hic enim *Anno 440.* floruit, sed solùm *S. Benedicti ævo*, qui sexto ineunte *Sæculo* vixit, cum ante ipsum *Benedictum*, ut innuimus supra, nullus *Scriptor* mentionem faciat de *Completorio*.

III. Gavant. pag. 45. col. 2. n. 4. -- *Illud esse recitandum horâ duodecima &c.*) Omnes conveniunt *Auctores*, quòd *Canonicum* tempus *Completorii* erat hora *duodecima* jam exacta post *cœnam*, immò post *collationem*, nempe *lectionem* aliquam *spiritualem*, quæ apud *Monachos* *cœnam* sublequebatur, de qua latè disserit *Edmundus Martene lib. 1. de Monachorum Ritibus cap. 11.* unde dicebatur *Completorium* post omnia opera somnum antecedentia ante finem *crepusculi Vespertini*, postremo scilicet termino abeantis dies, & ita docent omnes, præsertim *Belarminus lib. 1. de bonis operibus in particul. c. 11.* necnon *Stephanus Duranti de Ecclesiæ Ritibus cap. 12.* Non ideò tamen, ut optimè advertit *Cardinalis Bona* *supracitatus §. 2.* quorundam *Canonistarum* errori assentimur, qui putant, *Completorium* unam esse ex *nocturnis Vigiliis*, quamvis enim post *Solis occasum* celebraretur, diurnis nihilominus *Officiis*, tanquam ipsorum *Complementum*, deputatur.

IV.

IV. Gavant. eod. n. 4. -- *Ut laici quoque interesse queant &c.*) Francolinus loc. supra cit. probare nititur, Completorium ante Solis occasum recitari debere, praesertim quia Completorio Christi sepultura representatur, Christus autem sepulturae consignatus fuit ante Solis occubitum, ut asserant Auctores ab eodem citati; deinde aliam addit rationem Francolinus, nimirum quia aliàs in Hymno Completorii non deberent dici illa verba: *Te lucis ante terminum*. Et denique addit Gavantus, ut laici quoque interesse queant huic Officio; verum omnia concordari possunt, nam optimè in Completorio potest representari Christi sepultura, etiam post Solis occasum recitetur; non enim Mathematicè accipiendum est temporis momentum, quo Sacrosanctum Christi Corpus in tumulo repositum fuit; ad illud de verbis Hymni, *Te lucis ante terminum* optimè responderi possit cum Chichthoevo in *expositione dicti Hymni*, illud verbum *lucis* accipiendum esse pro luce crepusculi; non vero pro luce corporis Solaris, & ita verificatur, Completorium dici ante terminum lucis, nempe ante terminum crepusculorum, & sic optimè proferuntur, & concordant illa alia verba, quae inter preces Completorii dicuntur, nempe *Dignare Domine nocte ista &c.* quia nimirum haec recitantur incipiente jam noctis crepusculo. Denique nil vetat laicos in tali temporis circumstantia interesse huic Officio, & ad Ecclesiam convenire posse. Ceterum apud antiquos Monachos certum est, hanc ultimam reflexionem locum non potuisse habere, quia ab iisdem Completorium recitabatur eodem loco, quo collatio fiebat. Antiquus autem Ordo Conversationis Monasticae locum collationis faciendae designat; Capitulum: *Post Vespulas*, inquit, *hora competenti facto signo omnes conveniant in Capitulo, & legatur Scriptura, quae adificet audientes*: ita apud Haëst: aliter autem legit editio Neapolitana. Eundem locum assignat Hildemar, necnon Cassinensium declara-

tiones in cap. 42. *Regula*, in quibus habetur: *pro qua lectione pulsatur primum signum Completorii, & Fratres omnes in Capitulo conveniunt ad huiusmodi lectionem*: Camaldulenses etiam, ut scribit cit. Haëst. collationem fieri volunt in Capitulo, vel Claustro Ecclesiae proximiori, & Valisoleiani in Capitulo, vel loco, qui Choro vicinior est.

V. Gavant. pag. 46. col. 1. n. 6. -- *Ordo Completorii per se patet &c.*) Quae Completorium praecedunt, ab Antiquis Monachorum Ritibus mutuata sunt; hinc nostrum Romanum Completorium incipit à *Jube Domine* cum Lectione; atque imitatio haec est eorum, quae S. Benedictus statuit cap. 42. *sua Regula*; conveniendum scilicet esse vesperè, ut mox nos quoque innuimus, ad Lectionem habendam, cui initium dabatur Lectione aliqua, petita prius benedictione à Lectore, ut colligitur ex libro Usuum Cisterciensium, & ex MSS. Consuetudinibus S. Germani à Pratis, nec non ex Caeremoniali Bursfeldensium, *distinctione 3. cap. 4. Finita ad nutum Abbatis Collatione, & dicto à Lectore: Tu autem Domine &c.* Subjungebat Abbas *Adjutorium nostrum &c.* Et sic intrabant ad Completorium. Ita antiquus Ordo Conversationis Monasticae -- Finita Lectione surgant omnes pariter, & dicat Dominus Abbas: *Adjutorium nostrum in nomine Domini* in ipso Collationis loco -- Hoc tamen, in Choro cum omnes ad Ecclesiam pervenerint, à Praesidente dici volunt Bursfeldenses in *sua Caeremoniali cap. 13.* his verbis -- Cum finita Lectione Regulari pervenerint Fratres ad Chorum, ad complendum . . . . . dicat Praesidens per accentum *Adjutorium nostrum in nomine Domini* -- Lectio autem Brevis ex Epistola S. Petri, ad quam nos quoque benedictionem postulamus, instituta fuit pro Lectione Collationis ad Completorium extra Chorum dicendum, unde & in ejus sine Monachi subjungebant Versum *Adjutorium nostrum &c.* Id patet ex MSS. Consuetudinibus S. Germani

mani à Pratis, & ex Breviario Congregationis Casalis Benedicti, edito anno 1586. in quo hæc leguntur - - Ad Lectionem ante Completorium: *Iube Domine* - - Benedictio: *Noctem quietam &c.* Extra Chorum respondetur *Amen*, Lectio Brevis extra Chorum: *Fratres Sobrii estote &c.* In aliis etiam Ordinariis Monasticis adnotatum est, Lectionem prædictam ab illis fuisse recitatam, qui Completorium extra Chorum absoluebant, & reverà apud Bursfeldenses citatos, qui in Choro Completorium recitant, nulla hujusmodi brevis Lectionis in eorundem Ordinario fit mentio.

Orationem Dominicam, quæ post prædictum Versum *Adjuvatorum* secreto subjicitur, primum eam se reperisse in MSS. Consuetudinibus S. Germani à Pratis, ait Edmundus Martene *loco supracit. num. 8.* in quibus præscribitur, ut à Collatione, omnibus in Ecclesiam ingressis, Prior ordinis, qui fuerit in Choro, terminet *Pater noster*; Bursfeldenses addunt etiam Orationem Angelicam, & idem præstabant Monachi Benedictini Casalini nuncupati, sed hæc omnia recentiora esse, ait Martene, vicemque tenere trium Orationum, quas olim Completorio, ut aliis diei horis præmittere solebant. Ex prædictis Consuetudinibus, & Bursfeldensium Cæremoniali liquet, morem jam invaluisse apud prædictos Monachos celebrandi Officium Completorii in Ecclesia, & non amplius in Collationis loco. Cæterum Orationem Dominicam quod attinet, ante Completorium recitandam, eam non nisi in recentioribus Monasticis Constitutionibus reperiri, asseverat Grancolas *lib. 1. cap. 39.* nam Pius V. Breviario Romano illam inseruit, & secreto recitari jussit, ut doceret, eam Officii partem non esse, & nunquam eo loco recitatam fuisse.

VI. Gavant. eod. n. 6. - - *Confessio apte fit &c.* Peccatorum Confessio, quam post Orationem Dominicam facimus, antiqua profectò est; hujus enim non solum Gavant. Rubr. Brev.

suetudines S. Germani Pratenfis mentionem faciunt, sed etiam multò anterior S. Dunstani Concordia, necnon antiquissimus Ordo Conversationis Monastica, quorum verba refert Martene *supra. it. num. 9.* Eundem ritum, sed post Completorium tantum observandum, præcepisse videtur S. Fructuosus, Episcopus Bracarenfis, in sua Regula *cap. 2.* his verbis: *Receptes Nocturno silentio vale facientes invicem, & reconcilia'ioni, ac satisfactioni alterutrum insistentes; laxant mutuo debita; cujus rei praxim videre est in Observationibus præviis ad vitam S. Dunstani n. 9.* quæ habetur Sæculo V. Benedictino. Hinc Parisiis, atque in pluribus aliis Ecclesiis *Confiteor* ad finem est Completorii, non verò ad initium, ut in Romano Breviario *Confiteor* invicem dicebatur: dicebat enim unus *Confiteor*, alter verò respondebat: *Misereatur tui*, atque ideò tacite recitatur ad primam, & ad Completorium, ne invicem sese interturbent. Bursfeldenses autem omittunt omnino hunc Ritum, sed dicto *Pater, & Ave* Completorium imponunt, & incipiunt, prout disponitur in eorum Cæremoniali *Capite 13.* hoc est à Versu *Deus in adjuvatorum.*

Versus *Converte nos &c.* non reperitur, ait Martene *loco cit.* in Consuetudinibus S. Germani à Pratis, sed dicto *Confiteor* cum Conventu; tunc, inquit, Hebdomadarius incipiet Completorium, & dicet: *Deus in adjuvatorum.* Versiculus igitur, *Converte nos*, novissimum est additamentum in Completorio; præscribitur tamen in Antiquis Consuetudinibus S. Dionysii in Francia, in quibus *Cap. 16. §. 4.* hæc leguntur - - eant ad Collationem, deinde ad Completorium, post percutiet unus Prior super sedem, & dicat unus ad alterum: *Confiteor Deo*; deinde incipiat à Sacerdote Hebdomadario; *Converte nos &c.*

VII. Gavant. pag. 46. col. 1. n. 7. - - *Nam Psalmis quatuor &c.* Juxta Romanum Ritum Psalmi quatuor recitantur ad Completorium, sed juxta Ritum Monasticum S. Be-

nedicti Psalmi tres tantum recitantur sine Antiphona, totidemque praescribit Magister in sua Regula, sed cum Antiphonis psalli instituit; ex praedictis Psalmis celeberrimus omnium censendus est Psalmus 90. quem etiam ad peitionem S. Basilii, ad Completam S. Aurelianus decantari voluerunt.

VIII. Gavant. pag. 46. col. 1. n. 8. -- *Hymnus ante Capitulum dicitur &c.*) Psalmos sequitur statim Hymnus, quem pro temporis diversitate variabant Monachi, ut refert Martene *loc. cit. num. 11*. Nobis autem Hymnus numquam mutatur, sed per totum Anni spatium idem est. Post Hymnum Lectio, Versus &c.

IX. Gavant. pag. 46. col. 2. n. 9. -- *Canticum Simeonis additur &c.*) Post Versus dicitur quoque Canticum Evangelicum: *Nunc dimittis &c.* quod neque in Breviario Monastico S. Benedicti, neque Cluniacensium, neque Carthusianorum reperitur, sed est peculiaris Romanae Ecclesiae Ritus. De ea re agit Amalarius *lib. 7. cap. 49*. Hoc Canticum invenitur etiam in Constitutionibus Apostolicis ad preces Vespertinas. Preces subsequentes *Kyrie, Benedictus es Domine, Dignare &c.* à Monachis profectae sunt, atque in Breviario Cassinate perleguntur. Quare quidquid Psalmos praecedat, atque etiam Hymnus, Capitulum, Preces, & Collecta, à Monachis Completorio addita, & ab eisdem accepta fuerunt. Oratio: *Visita, quaesumus, Domine*, in nullo Romano Ordine, quamvis multi usque modo vulgati fuerint, neque in aliquo antiquitatis Ordinario Monastico reperitur, habetur tamen in Completorio apud Carthusianos, sed hoc ab eisdem recitatur in Cella, non vero in Choro. Opinatur Grancolas, ab eisdem fuisse acceptam, & Fratres Minores Breviario Romano inseruisse. Dicebatur quidem à Monachis ista Oratio, cum in Dormitorio fiebat aspersio aquae benedictae, id quod contingebat omni nocte, ut habetur apud S.

Dunstanum *cap. 1*. *Omni nocte post Completorium aspergatur Domus requietionis eorum, recumbentibus eis propter illusiones Diabolicas.* Hac Oratione igitur petebatur Dei protectio adversus Diaboli insidias, atque Angelorum Patrocinium invocabatur pro eis, qui in Dormitorio quiescebant. Non fuit itaque composita haec Oratio, ut in Choro, vel Ecclesia recitaretur, non enim ibi Angelorum permanentia exposcitur per noctis tempus, ut ibidem nos custodiant, quia in Ecclesia nemo dormire solet, sed talis Oratio à Superiore dicebatur erga suos Monachos in loco requietionis, antequam recumberent, & deinde eis dabatur Benedictio. Consimilis Oratio extat in vita Sancti Alicardi, Abbatis Gemeticensis saeculi 2. Benedicti. dum fit aqua benedicta aspersio in Dormitorio: *Suscipe Domine preces nostras, & muro e stodia tua hoc sanctum ovile circumda, & omni adversitate depulsa sit hoc semper domicilium incolumitatis, & pacis per Dominum nostrum &c.* Diversa autem ab istis erat Oratio, quae in fine Completorii dicebatur, nam in Breviario Ambrosiano sequens legitur Oratio -- *Illumina, quaesumus, Domine, tenebras nostras, & totius noctis insidias tu à nobis semper repelle propitius, noctem istam illumina, quaesumus, Domine sancte, Paer Omnipotens, aeternae Deus, & fac nos famulos tuos sine peccatis obdormire, & virtutibus Angelorum excitari, ut ad diem clarum, te auxiliante salvi, & protecti pervenire mereamur.* Contractior est illa, quae legitur in Breviario Ecclesiae Bituricensis, necnon Ecclesiae Lugdunensis dicenda in Festis trium Lectio- num, & Feriis, nimirum -- *Illumina, quaesumus, Domine, tenebras nostras, & totius noctis insidias tu à nobis repelle propitius per Dominum &c.* Advertere debemus, quod in praedicto Breviario Ambrosiano Sancti Caroli Borromaei iussu edito, post praedictam Orationem, subnectitur etiam statim illa, quae à nobis dicitur, nimirum -- *Visita, quaesumus, Domine.* --

In Breviario autem Augustano edito anno 1570. & auctoritate Pii V. etiam restituito, nec non in memorato Breviario Ecclesie Lugdunensis pro diebus Festis, novem Lectionum, atque in aliis antiquioribus Breviariis, sequens legitur Oratio dicenda in fine Completorii - *Deus, qui illuminas noctem, & lucem post tenebras facis, concede nobis, ut hanc noctem sine impedimento Satana*

*transeamus, atque matutinis Horis ad Altare revertentes, tibi Deo gratias referamus, Per Dominum &c.* De præfata Benedictione à superiore danda, ejusque ritu vide, quæ tradit Martene *loc. supracit.* ex quo eruitur, quod Monachis datur Benedictio his verbis: *Benedictio Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti descendat & maneat super nos, & respondetur, Amen.*

## SECTIO QUINTA.

### DE PARTIUM, HOC EST, HORARUM PARTIBUS.

#### De Oratione Dominica, & Salutatione Angelica. XXXII.

##### RUBRICA.

- 1 **O**ratio Dominica: *Pater noster*; & Salutatio Angelica: *Ave Maria*: Semper dicitur secretò: ante omnes Horas, præterquam ad Completorium, in cujus principio post Lectionem brevem: *Fratres, sobrii estote: dicto Versu, Adjutorium nostrum: dicitur tantum Pater noster, secretò: & in fine Completorii statim post Orationem B. Mariæ dicitur: Pater noster; Ave Maria: & Credo.* Totum similiter secretò. Finitis Horis & dicto Versu: *Fidelium anima*: dicitur similiter secretò *Pater noster, tantum, nisi sequatur Officium B. Mariæ: quia tunc post illud dicitur Pater noster, ut supra, & nisi alia Hora subsequatur: tunc enim dicitur semel tantum Pater noster, cum Ave Maria, pro principio sequentis Hora, qua finita dicitur Pater noster: ita ut semper dicatur in fine ultime Horæ. Si autem post Vesperas immediatè sequatur Completorium, dicto: *Fidelium*: incipitur Versus: *Jube Domine.**
- 2 Quando in fine Orationis Dominica proferendum est clara voce: *Et ne nos inducas: semper in principio eadem voce proferuntur hæc duo verba: Pater noster: ut in Precibus, & similibus: aliàs numquam proferuntur, sed totum dicitur secretò. Ad Laudes verò & Vesperas, quando in Feriali Officio dicuntur Preces, totum dicitur clara voce ab Hebdomadario.*
- 3 Salutatio Angelica semper dicitur ante Officium B. Mariæ, quando non conjungitur cum Officio Domini: quia tunc sufficis dixisse eam in principio cum Oratione Dominica.

## Novæ Observationes, &amp; Additiones ad Gavanti

## Cap. I. De Oratione Dominica.

I. Gavant. pag. 47. col. 1. n. 1. -- *Tum ex antiquis Breviariis &c.*) Quamvis in antiquis Breviariis reperitur hic Ritus sumendi initium Officii Divini ab Oratione Dominica, nihilominus fateri cogimur, quod Monachi primi fuerunt, qui id usurparunt, nulloque hujusce Ritus vestigium invenitur ante librum Consuetudinum Cisterciensium, ubi hæc habentur cap. 68. *Dimisso Officii signo, Orationem super misericordias faciunt, id est, Pater noster, & Credo in Deum, antequam Versum, Deus in adjutorium, decantent.* Id autem in nulla Monastica Regula X. XI. vel XII. Sæculi occurrit, neque in Breviario Cassinensi XI. Sæculi, neque in veteribus Consuetudinibus Cluniacensibus, ut tradit Græcolas lib. 1. cap. 25. ubique enim Officii Divini principium desumebatur ab illis verbis: *Deus in adjutorium &c.* De dicenda hac Oratione in fine Horarum extat quidem Canon. 10. in Conc. Gerundensi habito Anno 517. in quo præscribitur, Episcopum quotidie Orationem Dominicam post Matutinum, & Vesperas alta voce recitare; de eadem verò Oratione Dominica singulis horis præmittenda etiam Card. Bona lib. de Divina Psalmodia cap. 16. fatetur, nihil se legisse apud PP. antiquiores; Sanctus autem Benedictus nec in principio, nec in fine recitandam præscribit, sed inter precum dumtaxat sollemnia recitari decernit.

Postquam autem Oratio Dominica ante Officiam recitari consuevit, in nonnullis Constitutionibus Monasticis illam eum aliis precibus recitari jubetur; legimusque, Monachos ante Officiam omnia Ecclesie Altaria percurrille, atque coram singulis *Pater* recitasse, quæ res aliquando Officiam initii

retardabat, sed ejusmodi supplicationes, atque pietatis opera abrogata fuere, & statutum fuit, ut suo quisque loco eas preces recitaret, antequam Celebrans Officiam inciperet; hinc in Carthusianorum Rubricis facultas conceditur recitandi ante Matutinum *ter Pater, & Ave* inclinato corpore, vel flexis genibus: *Ad Matutinum omni tempore ter Pater, & ter Ave præmittimus, deinde, Deus in adjutorium.* Pius autem V. PP. *Pater* secreto ante Officiam recitari primus jussit, atque etiam *Ave, & Credo.*

De præstantia hujus Orationis Dominica legenda sunt ea, quæ tradit Card. Bona loc. cit. necnon omnes Auctores ab ipsomet allegati, qui exponunt dictam Orationem.

II. Gavant. pag. 47. col. 2. n. 2. -- *An verò initio Laudum &c.*) Quærit hic Gavantus, utrum Laudibus à Nocturnorum Officio divisim præmittendum sit secreto *Pater, & Ave?* Hanc autem quæstionem resolvit Sell. 4. cap. 2. num. 4. tenens eum Navarro, & Francolino affirmativam sententiam, cui etiam adhæret Guyetus lib. 3. c. p. 9. quæst. 2. haud tamen motus ratione Navarri, qui existimat, esse octo Horas Canonicas Divini Officii, neque etiam Francolini, id inferentis ex Rubrica 3. 2. qua jubetur ea dici ante omnes horas, præterquam ad Completorium; siquidem Laudes non sunt hora à Matutino distincta, ut tenet idem Francolinus, & fusetur Suarez tom. 2. de Religione lib. 1. cap. 6. n. 13. sed prædictæ sententiæ adhæret Guyetus ductus ex sola quadam decentia, qua sit, ut nullum Officiam, ne tridui quidem ante Pascha, quamvis illud sit valde heteroclitum, soleat inchoari, nisi prænunciato prius secreto *Pater, & Ave.*

## Novæ Observationes, &amp; Additiones ad Gavanti

## Cap. II. De Salutatione Angelica.

I. Gavant. pag. 48. col. 2. n. 1. -- *Ut ait Baronius Anno 431. &c.*) Censet Gavantus, inherens Baronio, hæc verba: *Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, Amen*, addita fuisse Salutationi Angelicæ in Concilio Ephesino, quando Beatissima Virgo verè Mater Dei, verè *Θεοτόκος* proclamata fuit, communi Patrum consensu; & proscriptus, condemnatusque Nestorius, Auctor contrarii erroris, sed quamvis certum sit, quòd in prædicta Sacrosancta Ephesina Synodo B. V. M. verè Dei Mater declarata fuerit, non inde sequitur, quòd prædicta verba in eadem Synodo statim Salutationi Angelicæ fuerint adjecta, & hinc est, quòd Grancolas *supra cit. cap. 25.* asserat, quòd nulla satis valida auctoritas produci potest, quæ faveat piæ opinioni Eminentissimi Baronii, quinimo additamentum *Sancta Maria &c.* in nulla precum formula ante Annum 1508. reperitur, tunc verò tantùm usurpari ceptum *Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, Amen.* Franciscani addiderunt postea, & in hora mortis nostræ, atque ita in Breviario Anni 1525. legitur, eaque de causa Cardinalis S. Crucis, aliàs Quignonius, qui Franciscanus fuerat, Breviario suo inseruit Anno 1536. & Pius V. cum hoc Franciscanorum additamento retineri voluit in Breviario Romano ejus auctoritate recognito.

Cæterùm resumendo priorem sermonem de antiquitate prædicti additamenti, verissimum est, quòd in libro de Baptismate, seu de Baptismi Ritibus, qui nomen Severi Patriarchæ Alexandrini præfert, Oratio *Ave Maria &c.* his verbis concepta legitur: *Pax tibi Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus, qui est in utero solus Christus. Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis, inquam, pecca-*

*toribus, Amen.* Sed talis liber falsò prædicto Auctori tribuitur, cum nullus sit inter Alexandrinos Patriarchas, qui Severus appellatus fuerit; & hinc est, quòd in quibusdam Codicibus manu exaratis præfatus liber Severo Antiocheno adscribatur. Veteres tamen, qui Severi Antiocheni operum meminere, libri de Baptismate nullam omnino mentionem fecerunt.

Addere etiam lubet, quòd nullus eorum Scriptorum, qui hortati sunt Fideles ad persolvendas quasdam piæ preces de Salutatione Angelica, nullum verbum protulerunt; & Concilia usque ad sæculum XI. necnon Patres, Symboli tantùm, & Orationis Dominicæ meminerunt, quæ à Populis disci, & quotidie recitari hortabantur; hujusmodi sunt Concilium Forojulienfè Anno 795. Moguntinum Anno 813. & Caroli Magni Capitularia *lib. 6. cap. 71.* & plures alia Synodi, in quibus nulla sit mentio hujus precis *Ave Maria &c.* ut testatur Grancolas *loc. supra cit.* Occurrit tamen *Ave Maria* in minori Officio B. V. ad Invitatorium, & in S. Gregorii Sacramentario habetur ad Offeratorium Missæ quartæ Dominicæ Adventus; sed verba ab Angelo prolata tantùm ibi leguntur, & est potius Antiphona, quàm Oratio. Inter preces igitur Populo præscriptas hæc Oratio *Ave Maria &c.* primùm invenitur apud Odonem de Soliaco, Episcopum Parisiensem, in suis Statutis A. 1195. *exhortentur Populum semper Presbyteri ad discendam Orationem Dominicam, Credo in Deum, & Salutationem Angelicam B. M. V.* Post ea verò tempora sæpius in Conciliis hujus Orationis recitatio inculcatur, ita in Oxoniensi Anni 1287. in Bituricensi Anni 1584. in Statutis Lingonensibus Anni 1404 & in aliis pluribus Conciliis, & tractu temporis adeò invaluit usus Salutationis Angelicæ, ut eam

recitantibus etiam Indulgentiæ concessæ fuerint. Cujus concessionis primus Auctor fuisse videtur Johannes XXII. de quo hæc lego in Concilio Parisiensi A. 1347. cap. 13. Auctoritate dicti Concilii præcipimus, quod observetur inviolabiliter ordinatio facta per sanctæ memoriæ Johannem Papam XXII. de dicendo ter *Ave Maria* tempore, seu hora ignitegii (nomine *ignitegii* venit tempus Vespertinum, quo rustici ignem tegere solent) in qua ordinatione conceditur certa Indulgentia dicentibus ter *Ave Maria* prædictis tempore, & hora - Concilium hoc Senonense vocant Dufresne in Glossario verbo *Ignitegii*, & Illustrissimus Hieronymus Crispi in sua erudita expositione Officii B. V. forsitan quia huic Concilio præfuit Guillelmus, Archiepiscopus Senonensis, Parisiis tamen habitum fuit, ut constat ex Synodali Constitutione ejusdem Guillelmi actis hujus Concilii præfixa. Ex hoc Concilio patet, nondum tunc temporis recitatum fuisse Salutationem Angelicam cum illis verbis: *Angelus Domini*.

Rosaria quoque exinde, & Corollæ in B. V. honorem fuerunt approbatæ, & denique ter pariter per diem *Angelus Domini* institutum fuit, diluculo, meridie, & sero, cum trina semper recitatione antedictæ Salutationis Angelicæ, & nonnullæ concessæ fuerunt Indulgentiæ adimplentibus prædicta Religionis Officia erga B. V. præsertim verò recentissime à s. m. Benedicto XIII. qui omnibus utriusque sexus Christianis Rosarium, vel saltem tertiam partem ejusdem devotè recitantibus, pro qualibet Oratione Dominica, & pro qualibet Salutatione Angelica Indulgentiam centum dierum concessit: recitantibus verò quotidie per integrum Annum idem Rosarium, vel pariter saltem ejus tertiam partem, si confessi, ac Sacra Communionem refecti fuerint, & pro Christiano-

rum concordia, Hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione oraverint, semel in Anno, die ab unoquoque eligenda, insuper concessit Indulgentiam Plenariam, etiam cum facultate applicandi Defunctis: declaravit tamen præfatus Summus Pontifex, quod, ad effectum lucrandi prædictas Indulgentias, requiritur, ut Rosarium sit de more benedictum à Fratibus Ordinis Prædicatorum. Et idem Pontifex concessit recitantibus, semel in die *Angelus Domini* cum Salutatione Angelica, flexis genibus, centum dierum Indulgentiam, & semel in mense, Communionem refectis Indulgentiam Plenariam; & ut talis Indulgentia obtineatur, advertendum est, quod etiam tempore Paschali ad Angelicæ Salutationis signum est genuflexendum, ut S. C. declaravit. De hac autem genuflexione præstanda etiam tempore Paschali, dum recitatur *Angelus Domini &c.* eruditè, & doctissime disserit noster P. Franciscus Magius in suo libro de Divino Officio, & Choro *disquisit.* 41. pag. 322. & fufius in alio suo opere de Sacris Cæremoniis *disquisit.* 4. & 6. in quarum prima tenet tempore Paschali audito jam signo Salutationis Angelicæ non recitandum esse Hymnum *Regina Cæli*, sed solitam precem *Angelus Domini &c.* cum *Ave Maria*.

Advertere etiam est, quod si Regularis, dum pulsatur signum Salutationis Angelicæ, sunt impediti ob aliquod exercitium sui Instituti, & non possint genuflexi recitare hanc precem, ex Indulto ejusdem Pontificis, factis est, si statim postquam impedimentum cessavit, id præstent, ut possint subsequi prædictas Indulgentias.

De hac Salutatione Angelica videri possunt ea, quæ tradit doctissimus Canisius *lib.* 3. & 5. de *Virgine Deipara*, & Card. Bona de *Divina Psalmodia* cap. 16. §. 2. necnon Grancolas *loc. supracit.*

## De Symbolo Apostolorum, &amp; Symbolo S. Athanasii. XXXIII.

## RUBRICA.

- 1 **S**ymbolum Apostolorum semper dicitur ante Matutinum, & Primam, & finito Completorio post Orationem Angelicam, totum secretò: etiamsi ad Primam, & Completorium iterum dicendum sit cum Precibus. Quando verò dicitur cum Precibus ad Primam, & Completorium, clara voce profertur, Credo in Deum, & in fine, Carnis resurrectionem, reliquum dicitur secretò: alias totum secretò dicitur, ut supra.
- 2 Symbolum S. Athanasii dicitur ad Primam post Psalmum, Retribue, in omnibus Dominicis per annum, quando Officium sit de Dominica, exceptis Dominicis infra Octavas Nativitatis Domini, Epiphania, Ascensionis, & Corporis Christi, ac Dominica Resurrectionis, & Pentecostes, in quibus dicuntur tantum tres Psalmi consueti, ut in Festis. In Dominicis infra alias Octavas, & in Dominica Trinitatis dicitur, alias numquam, neque si aliquod Festum duplex celebretur in Dominica. Et in fine illius dicitur, Gloria Patri.

## Novæ Observationes, &amp; Additiones ad Gavanti

## Cap. III. De Symbolo Apostolorum.

I. Gavant. pag. 49. col. 1. n. 1. - - *Dicitur Apostolorum, quia singuli Apostol. &c.*) Symbolum, de quo agit superior Rubrica, Apostolorum nuncupatur, quia ab Apostolis compositum fuit, unde à suis Auctoribus nomen usurpavit. Sancti enim Apostoli, ait Clemens Rom. in *Epist. Jacob.* inter se Symbolum Fidei condiderunt. De hoc pariter Tertullianus in *lib. de Velan. Virg. cap. 1. & de praescript. cap. 21. & 37.* ait: *Fidei regula una omnino est, sola, immobilis, & irreformabilis: & hanc Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit. Quæ autem sententiæ à singulis Apostolis compositæ sint, tradit hic Gavantus, sed legere etiam potest curiosus lector ea, quæ tradit Baronius *Anno 41. num. 15. & seqq.* cur verò regula Fidei Symboli nomen præferat, docet Card. Bona *supra cit. cap. 16. num. 1. & 2.* De Symbolo Nicano, sive Constantinopolitano, quod in Missa cantatur, non est hic tractandi locus, de eo enim*

nos egimus in superiori Tomo; quapropter legenda sunt ea, quæ ibi tradidimus; de Symbolo verò S. Athanasii, de quo mentionem facit Rubrica superior, non agimus hoc loco, sed agemus cum Gavanto *cap. 20. hujus Sectionis 5.*

II. Gavant. eod. n. 1. - - *Aded, ut Romanum Symbolum fuerit à Vigilio Papa appellatum &c.*) Prædictis duobus antiquius est profectò Symbolum Apostolorum, quod ob causam à Gavanto assignatam fuit Romanum appellatum, sed non à Vigilio Papa, ut asserit idem Gavantus, neque enim libri contra Eutychem possunt dicto Pontifici adscribi; eum ex libro 4. manifestè appareat, Auctorem ipsorum Zenonis Imperatoris temporibus floruisse; & quamvis, dum hæc Gavantus scribebat, ignotus esset horum librorum parens, nemo tamen, quòd sciam, Vigilio Romano Pontifici vendicavit, sed alii Vigilio Episcopo Tridentino, alii incerto Auctori tribuebant, nunc verò certum jam est penes

nes omnes, hos libros adversus Eutychen, factum esse Vigilii Tapfenis, Episcopi in Africa, ut demonstravit eruditissimus Chiffletius in nova horum operum editione, quam adornavit Anno 1664.

III. Gavant. pag. 50. col. 1. n. 3. -- *Et dicitur secretò &c.*) Oratio Dominica, atque Symbolum in Missa alta voce adhuc pronunciantur, & canuntur, atque veluti pars Liturgiæ habentur. *Pater* clara voce à Monachis ad Laudes, & Vesperarum finem recitatur, Symbolum S. Athanasii, ut liquet ex

Rubrica superiori, singulis Dominicis canitur tanquam publici Officii pars. Igitur ut vetustatis aliqua ratio haberetur, atque à veteri Officio distinguerentur, cum hæc novitiæ *Pater*, & *Credo* repetitiones invecere, statutum fuit, ut secretò pronunciantur; hæc ponderat Grancolas *lib. supradit. cap. 25.* Cur autem in medio ad preces partim clara voce, partim secretò, & non totum clara voce, sicut in Missa, dicatur Symbolum, reddit rationem ex Divo Thoma Gavantus *hic num. 4.*

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Cap. IV. De Initio Horarum.

I. Gavant. pag. 50. col. 1. n. 1. -- *De Matutini principio prædicto meminit Amalarius &c.*) A longo tempore Romana Ecclesia officio suo inseruit preces illas: *Domine, labia, & Deus in Adjutorium*, quia Amalarius à Gavanto citatus earundem mentionem facit. Primus autem, qui pro singulis Horis hanc Psalmi Orationem *Deus in Adjutorium meum* adhibuit, fuit S. Benedictus, atque ab eo hunc Ritum Romana Ecclesia accepit, sed cum hoc discrimine, quod S. Benedictus ad Matutinum recitabat *Deus in Adjutorium* ante *Domine, labia mea*, Romæ verò à *Domine, labia mea aperies*, incipitur Divinum Officium. Magistri Regula *cap. 44.* initium pariter facit à *Domine, labia &c.* & reliqua *Versus aperitionis* appellantur, & præscribit, Abbatem hunc Versiculum canere debere, quia ipse Officium incipere debet: *oportet in Nocturnis ab Abbate dici Versum aperitionis Domine, labia mea.* Animadvertit etiam, quod, dum Versiculus ille profertur, ori Crucis signum imprimendum sit, quod modò nos facimus solo pollice manus dextræ. Diximus, Orationem *Deus in Adjutorium* in Officio Divino à S. Benedicto primum invecere fuisse, qui hoc fecit ad antiquorum Monachorum exemplum, quorum meminit Cassianus *collat. 2.*

ubi ait: Abbatem Paphnutium præcepisse Monachis suis, ut in omnibus vitæ suæ actibus hanc Psalmi precatiunculam adhiberent. Prædictum Ritum præscripsit etiam Concilium Aquisgranense Anno 816. his verbis: *Nocturnis Horis cum ad opus divinum surrexerit Clericus, primum signum sibi S. Crucis imponat per invocationem S. Trinitatis, deinde dicat Versum, Domine, labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam. Deus in Adjutorium meum . . . . . totum cum Gloria Patri . . . . . & ad Oratorium festinet, dicendo Psalmum, Ad te levavi Animam.* Ex hac tamen dispositione dicti Concilii evincitur, antedictas preces adhuc ad Officium non pertinere, cum absolvi deberent à Clericis, antequàm in Chorum pervenirent. Idem Ritus laudatur etiam in Regula Chrodogangi, ex qua etiam eruitur, quod adhuc hæc preces pars Officii minimè erant, sicut modò non sunt apud nos in Officio Defunctorum, & tribus ante Pascha diebus, sacraque Epiphaniæ die.

Psalmus *Deus in Adjutorium*, ut colligitur ex allegato Concilio Aquisgranensi, antiquitus totus recitabatur, postea verò primus tantum Versiculus cum *Gloria Patri, & Amen* servatus est.

II. Gavant. pag. 50. col. 2. n. 3. -- *Sub noctem dicimus aptus Convertite nos Deus &c.* Optime innuit Gavantus hoc loco, quod principio totius Officii præponitur *Domine, labia &c.* Subjungens, quod sub noctem, & ad Completorium dicimus aptius *Convertite nos Deus &c.* Solent enim per diem rerum labentium curæ, & variarum imaginum confusa phantasmata orantium mentes distrahere; & idcirco initio Completorii, quod sub noctem decantamus, opportunè dicitur Versiculus ille: *Convertite nos Deus salutaris noster &c.* Hunc tamen ante Completorium omittunt Monachi Cistercienses, qui Regulam S. Benedicti exactè observant, quia idem S. Patriarcha talem Versiculum in sua Regula non præscribit, sed solum jubet, quod semper diurnis horis dicatur Versus: *Deus, in Adjutorium meum intende.*

Dum autem promuntur illa verba ab Hebdomadario ad singulas Horas Canonicas, & ipse, & alii Choro interessentes formant sibi signum Crucis, de quo quaritur ab Auditoribus, qua ratione hoc signum exprimi debeat, & manu formari. Aliqui illud tribus digitis dextræ manûs efformant sub invocatione Sanctissimæ Trinitatis, alii verò duobus, ad duas Christi naturas & voluntates contra Monophysitas, & Monothelitas indicandas. Alii autem signant se à Superiori in inferiùs descendendo, & à dextra transeunt ad sinistram, quia Christus de Cælo descendit in terram, & à Judæis transivit ad Gentes. Usus tamen communis Occidentalis Ecclesiæ est, ut dextra manu extensa Crucis expressio à fronte ad pectus, & à sinistro ad dextrum humerum ducatur. De hoc Crucis signo diffusissimè scribunt Jonas, Episcopus Aurelianensis, & Duncalus adversus Claudium Iconoclastam, Episcopum Taurinensem, itemque Chrysoströmus *Homil. 55. in Mattheum.* Scripserunt quoque piè, & eruditè de Cruce Justus Liphus, & Jacobus Gretlerus; de Crucis verò veneratione antiquos Canones refert Antonius

*Gavant. Rubr. Brev.*

Augustinus, & de hac re plura etiam tradit Baronius in Annalibus, & Jacobus Bossius in Cruce Triumphante. Novissimè verò doctissimam elucubravit Dissertationem D. Rupertus Sala, Abbas Cisterciensis, prelo dandam cum operibus Card. Bonæ ab ipso illustratis. De cultu & veneratione Crucis præclarum etiam opus edidit S. Franciscus Salesius, cui titulus est, *Vexillum Crucis.*

III. Gavant. pag. 50. col. 2. n. 4. -- *Prosequimur cum Gloria Patri, & Filio &c.* Prædicta precatio *Deus in Adjutorium,* quæ omnibus Horis Canonicis præmittitur, terminatur cum *Gloria Patri &c.* Hoc autem relationem habet ad Psalmum illum, qui totus olim, ut diximus, decantabatur, & ad cujus finem, sicut ad aliorum Psalmorum terminum, *Gloria Patri* dici solebat. Difficile tamen est, posse tempus assignari, quo facta est hujus Ritus prima institutio propter varias, & oppositas Scriptorum, qui de hac re disseruerunt, sententias. Walfridus Strabo *cap. 5. de Rebus Ecclesiasticis* asserit, Damasum Papam hunc morem in Occidentem invexisse ad Orientalium imitationem, id suadente S. Hieronymo. Walfridi sententiæ nonnulli adherent, sed omnes decipiuntur ob Epistolam Hieronymi ad Damasum, quæ habetur primo Tomo Conciliorum in Rebus Damasi, in qua hæc leguntur. *Precatur ergo Client tuus, ut vox ista psallentium in Sede tua Romana diu noctuque canatur, & in fine Psalmi cujuslibet, sive Matutinis, sive Vespertinis Horis conjungi præcipiat Apostolatus tui Ordo Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, & quæ sequuntur.* Decipiuntur, inquam, ob dictam Epistolam, quia in Calce ejusdem, in Concilio Colonia editis ex Baronio notatum est, quod ab eruditissimis Hieronymi res accuratius expendentibus, ea tanquam adulterina, ac plane commentitia exploditur. Rursus quoniam in Epistola prædicta asseritur, dicendum esse *Gloria Patri &c.* quemadmodum in Concilio Nicæno statutum fuerat, atque in Oriente

T

ser-

servabatur, hæc pariter narratio supposititiam omnino reddit citatam Epistolam, nullibi enim Canon iste Nicæni Concilii in veteribus monumentis occurrit, neque Scriptor quispian reperitur, qui Ritus illius mentionem faciat: quod verò morem Ecclesiarum Orientalium attinet, Cassianus, qui non multò post S. Hieronymum floruit, lib. 2. *Institut. cap. 8.* ait - Illud etiam, quod in hac Provincia videmus, ut uno cantante in clausula Psalmi omnes adstantes concinant eum clamore *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, nusquam per Orientem audivimus; sed cum omnium silentio, ab eo, qui cantat, finito Psalmo Orationem succedere: hac verò glorificatione Trinitatis tantummodo solere Antiphonam terminari - Ex quibus Cassiani verbis, ut optimè arguit Cardinalis Bona *loc. cit. §. 6.* quis non videt, nullam fidem prædictæ Epistolæ esse adhibendam; si enim Cassianus, sagacissimus Sacrorum Rituum observator, nusquam audivit *Gloriam* post Psalmos in Oriente cantari, quomodo potuit Hieronymus, qui ante Cassianum quinquaginta annis illa scripsisse dicitur, ulum, qui non erat in Oriente, in Occidentem transferre?

Quis autem fuerit prædicti Hymni glorificationis Auctor, ambigitur ex Cardinali Bona, qui de *Divina Psalmodia cap. 16 §. 6.* ait, certissimum esse, quòd Hymnus glorificationis ab Apostolis compositus, à Patribus Nicænis auctus, ab Universa Ecclesia receptus, omni reverentia debet cantari. Manavit ergo ad nos Apostolica Traditione, atque adeò errarunt illi, qui innixi auctoritatibus Theodoretii lib. 2. *Historie Eccl. l. c. 24.* Sozomeni lib. 1. c. 9. *Histor. Tripartitæ lib. 4. c. 35.* & Nicephori lib. 9. c. 24. Flavianum, Monachum Antiochenum, hujus Hymni faciunt Auctorem. Cum enim Catholici imperante Constantio, Patrem cum Filio pari gloria celebrarent; & Ariani ambiguis locutionibus Filium Patre inferiorem ostendere conarentur; Flavianus, scripserunt isti, co-

acta Monachorum Caterva, primus omnium clara voce cantavit *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*. Sed hunc Hymnum Flavianò antiquiorem evincunt Sanctus Athanasius in lib. de *Virginitate*, & S. Basilus in lib. de *Spiritu Sancto cap. 7.* ubi ait: *Quapropter glorificationis Hymnum Patri simul cum Filio offerimus; sed nonne hoc nobis sufficit, quòd hæc Patrum sit Traditio?* Idem docet *cap. 17. & 29.* ubi agit de Traditionibus Apostolicis. Ejusdem quoque Hymni fit mentio in vita S. Eugeniæ, quæ sub Commodò Imperatore floruit, in qua vita hæc habentur - & Angeli transeuntes Hymnum Deo dicebant: hoc solum intelligebatur, quòd nomen Jesu Christi, & Spiritus Sancti in ipsis laudibus resonabat: *Gloria, & honor Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, & nunc, & semper, & in secula seculorum, Amen.* - Quod igitur tradit Wulfridus in lib. de *Reb. Eccl. ap. 25.* ubi asserit, à Magno Nicæno Concilio prædictum Hymnum compositum fuisse, intelligendum est de sola illa appendice *Sicut erat &c.* quam revera in eo Concilio additam fuisse asseverat Card. Bona *loc. cit.* idque fuisse factum ad obstruendum Sacrilegum os Ariatorum iniqua loquentium, & asserentium, fuisse tempus, cum Filius non erat cum Patre. Confirmat suam asseritionem Eminentissimus Auctor Testimonio Concilii Vafensis I. in Gallia paulò post Concilium Nicænum tempore Constantii Imperatoris sub Julio Papa celebrati, licet ejus Canones existant cum Vafionensi II. sub Leone Magno, hac sanctione edita - Quia non solum in Sede Apostolica, sed etiam per totum Orientem, & totam Africanam, vel Italianam, propter hæreticorum astutiam, qua Dei filium non semper cum Patre fuisse, sed à tempore fuisse, blasphemant. In omnibus clausulis post *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum, Amen,* dicitur: etiam nos in Universis Ecclesiis nostris hoc ita dicendum decernimus - Prædicta tamen

verba totum Orientem addita esse, existimat Menardus, cum nusquam reperiatur, apud Græcos, *Sicut erat in principio*, fuisse in usu. Walfridus quoque cap. 25. testatur, Græcos non dicere, *Sicut erat in principio*, sed hoc modo - - *& nunc, & semper, & in secula seculorum, Amen*. - Rursus etiam in vita S. Eugenii, & in Liturgia S. Johannis Chrysostomi, & apud Joannem Moscum in Prato Spirituali cap. 119. hæc sola clausula habetur - - *nunc, & semper, & in secula seculorum, Amen* - - immò quidam etiam hæc tantum verba promebant - - *in secula seculorum, Amen* - - ut videre est in Concilio Toletano 4.

Caterum modus exprimendi etiam primam hujus Hymni partem varius fuit, & multiplex, primò *Gloria Patri, & Filio, & Spiritu Sancto*, secundo ex Sancto Basilio lib. de Spiritu Sancto cap. 27. *Gloria Patri, & Filio, & cum Sancto Spiritu*; tertio *Gloria, & honor Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, ita legitur in vita S. Eugenii supracitata, & ita decernitur in Concilio Toletano 4. supra allegato; quartò Ariani his verbis ad suæ hæreseos patrocinium abutentes ita dicebant: *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto*, ut colligitur ex Theodoro lib. 1. *Histor. Eccles.* cap. 24. ubi refert, quòd Leonius, Patriarcha Antiochenus, ut dissimularet hæresim, cum esset in synaxi, hæc ejusdem Hymni verba - - *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto* submitse promebat; reliqua verò *in secula seculorum* clarè, & distinctè. Quintò Vigilius Papa Epist. 1. reprehendit errorem quorundam, qui subducta una conjunctiva syllaba, perfectum Sanctissimæ Trinitatis vocabulum minuere conabantur dicentes: *Gloria Patri, & Filio spiritui Sancto*.

Antiquissimus fuit Ecclesiæ mos decantandi in templo ad finem diei *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, quam glorificationem Græci Doxologiam minorem appellarunt, ad differentiam Hymni Angelici *Glo-*

*ria in excelsis Deo*, quem Doxologiam majorem dixerunt; verbum enim Græcum *Doxa*, latine *Gloria* redditur. Postquam autem Ariana Pests grassari cœpit, Ecclesia Catholica diligentius prædictum Ritum dicendi *Gloria Patri &c.* servavit.

Additum fuit verbum *Amen* in fine dictæ glorificationis, ad significandum Ecclesiæ desiderium, ut *Gloria* scilicet à se Trinitati data, eam re ipsa glorificet; verbum enim *Amen* Hebræum est, quod significat, *ita est, vel ita sit*, estque comprobatio eorum, quæ dicta sunt, atque ut expleantur, desiderium. In hoc Christiana Ecclesia imitata est morem Judæorum, qui Sacerdoti precanti respondebant *Amen*, ut legere est Deuteronomii cap. 27. Tobie cap. 9. Qua voce significabat Populus, se probare, & rata habere, quæ à Sacerdote dicta erant; hinc nos hæc voce utimur etiam ad finem Collectarum, & Orationum. Cætera ad hanc vocem spectantia tradit Græcolas loc. cit. cap. 26.

IV. Gavant. pag. 50. col. 2. n. 5. - - *Completur Initium Horarum per Alleluja &c.* Verbum *Alleluja*, quo initium Horarum Completur, Hebraicum profectò est, non verò Græcum, ut docuit Durantus lib. 2. de Rit. Eccles. cap. 20. Rursus falsum est, prædictum verbum non esse vocem alienius linguæ, ut tradidit Anselmus, Cantuariensis Episcopus in cap. 9. *Apoc.* si tamen ipse ejus operis Auctor est. Hebraicum igitur est prædictum verbum *Alleluja*, cujus vocis legitimus sensus nihil aliud est, nisi *Laudate Deum cum júbilo, letitia, & Cantu.* *Alleluja* enim non est una simplex dictio, sed è duobus vocabulis composita, nempe *Hallelu,* & *Jah.* *Hallelu* idem est ac *Laudate, vo em exollite cum letitia.* *Jah* verò unum est ex nominibus Dei. Cætera, quæ spectant ad hujus nominis explicationem, & interpretationem, vide apud Card. Bona cit. cap. 8. 7. ubi suo more eruditissimè tractat non solum de hujus nominis interpretatione, sed etiam de ejusdem Antiquo Ritum in Ecclesia

clesia Judaica, tum etiam in Ecclesia Christiana.

V. Gavant pag. 50. col. 2. n. 6. -- *Ut do. et S. Gregorius lib. 7. Epist. 63. &c.* Quod in allegata Epistola scribit Gregorius Magnus, nimirum Damasum Papam ex Beati Hieronymi traditione accepisse, ut ad imitationem Hierosolymitanæ Ecclesiæ, Romæ etiam cantaretur *Alleluja*, id cautè intelligendum est, ut optimè adnotat Gavantus ipse, nec non Cardinalis Bona *loc. cit.* non enim eo tempore in Ecclesia Romana cantari cœpit *Alleluja*, sed cum tempore tantum Paschali concineretur, Damasi tempore statutum est, ut prædicta vox etiam extra tempus Paschale adhiberetur. Porrò vivente Damaso adeò frequentabatur prædicta vox *Alleluja*, ut in funere quoque Defunctorum diceretur, idque colligitur ex *Epist. 30.* Divi Hieronymi, in qua narrat, quòd, dum agebantur exequia Fabiolæ, templa resonabant hujus vocis cantu. In Sacris item Defunctorum Liturgiis ab Hispanis dicebatur *Alleluja*, ut legitur in Missali Gotthico, sive Mozarabico,

& in Ecclesia Gallicana eandem Ritum servatum fuisse, ostendunt Acta S. Radegundis apud Baronium *anno 590. num. 39.*

Hac voce sæpè utitur Ecclesia in suis officiis post Antiphonas, Responsorias, & Versiculos, præcipuè Paschali tempore; omitti tamen solebat etiam antiquitus à Septuagesima usque ad Pascha, quia tale tempus tristiæ est, atque luctus.

Observandum superest, quòd utrumque verbum, nimirum *Alleluja*, & *Amen*, Ecclesiæ sermone adeò consecratum est, ut neque Græci, neque Latini, aliæve Nationes linguis suis interpretari ausæ fuerint, quinimò Apostoli ipsi in scriptis suis eadem retinuerant, neque in aliud idioma transstulerunt, seu interpretati sunt, ut eadem ratione loqueremur in Terris, quibus Sancti gloriam Dei laudant in Cælis. Divus enim Isidorus libro 6. cap. 19. ait: *Amen. & Alleluja sacrosancta sunt, ut etiam Johannes refert, audisse caelestes exercitus dicentium Amen, & Alleluja, ac per hoc sic in terris oportet utraque dici, sicut in Cælo resonant.*

## De Invitatorio, XIX.

### RUBRICA.

- 1 **I**nvitatorium semper dicitur in omni Officio ad Matutinum cum Psalmo *Venite, exultemus*, ordine in principio Psalterii descripto; sed variatur pro Officii qualitate, ut in Psalterio & Proprio de Tempore, ac in Proprio & Communi Sanctorum.
- 2 Non dicitur in die Epiphania, nec in triduo ante Pascha, ut suis locis notatur: nec in Officio Defunctorum per annum, excepto die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum, ac in die obitus seu depositionis Defuncti, & quandocumque dicuntur tres Nocturni.

## Novæ Observationes & Additiones ad Gavanti

### Cap. V. De Invitatorio.

I. Gavant. pag. 51. col. 1. n. 1. -- *Con- vocat omnes degentes undique &c.* Invitatorium dicitur signum illud, quo Ecclesia Filios suos ad Officium vocat, & reipsâ Psal- mus *Venite* est quædam invitatio. In Officio Mozarabico S. Isidori Invitatorium vocatur *Jonas*, quasi Tuba esset excitans homines ad Deum laudandum. In Regula verò Monacho-

chorum, Auctore Anonymo, quem tamen Magistrum communiter vocant, Invitatorium dicitur *Versus aperi ionis*, seu *Responsorium hortationis*. Romæ olim nullum erat Invitatorium, quod ad hanc usque diem servatur tribus ante Pascha diebus, & in Defunctorum Officiò sollemniter non celebrato; quando autem Romæ receptum fuit, dicebatur Invitatorium his tantum diebus, quibus Populus ad Officiùm convenire consueverat, unde Populi gratia Matutino fuit insertum. Ex Romanis Ordinibus colligitur, majoribus Festis duo Officia noctu celebrata fuisse, primum recitabatur in Sacello Pontificio, & hoc quidem sine Invitatorio, secundum verò dicebatur cum Invitatorio, quia Populus huic intererat; Amalarius testatur *Supplemento cap. 4.* ætate sua Invitatorium Dominicæ dumtaxat Officiò, non verò feriali præfixum fuisse, quia Populus plerumque diebus, quibus exercetur opus servile, Officiò non interveniebat, neque ad illud invitabatur; Clerici verò, atque Monachi, qui ex lege sui Status, seu Instituti ad Officiùm tenebantur, ad hoc recitandum Invitatorio opus non habebant. Et Græcolas *lib. 1. cap. 27.* asserit, Invitatorium à Monachis originem habere, qui hoc signo manè excitabantur, & ut expergerent, promebantur illa verba: *Venite, adoremus Dominum*; inde Invitatorii occasione Psalmus *Venite* additus fuit, ex quo desumptus est Versiculus ille, *Venite, adoremus*. Hæc tamen intelligenda sunt de antiquissimis Monachis, nam in Regula S. Benedicti *cap. 9.* præscribitur, quòd post prædictum Hymnum glorificationis Psalmus 94. Invitatorius appellari solitus, sit decantandus, idque in ipso Divini Officii exordio. Antè S. Benedicti tempora recitatum fuisse, quidam volunt ex S. Athanasio, qui in Sermone de Deipara testatur, Christianos ad precum principium invitantes invicem, & adhortantes clamare solitos verba hujus Psalmi. Et Marcus Gazæus Diaconus, qui vivebat Anno Domini 430.

Processionem describit Christifidelium, Psalmum *Venite, exultemus*, concinentium, & in Versiculorum Psalmi intercessione dicentium *Alleluja*, quæ modulatio quandam Invitatorii speciem repræsentat.

Rursus in prædicta Regula S. Benedicti non solum præscribitur recitatio Psalmi 94. sed etiam additio Antiphonæ. Antiphona autem, ait Martene in suo Commentario, hic vocat Invitatorium huic Psalmò præmitti solitum, v. g. *Regem Confessorum Dominum venite adoremus*, quod Amalarius vocat Invitatoriam Antiphonam, id quod confirmat Ordo Romanus XI. Benedicti. in quo *num. 52.* habetur: Infra Albas Paschæ ad Matutinum Invitatorium *Surrexit Dominus. verè &c.* Repetitur autem aut ex toto, aut ex parte ad singulos Psalmi Versiculos, idque à tempore S. Benedicti, ut scribit Boherius in suo Comment. Meminit Amalarius in *Supplemento ad lib. 4. de Offic. Div.* quod habetur in *Analectis tom. 2.* Invitatorium juxta Regulam S. Benedicti festivis diebus hebdomadalibus sine modulatione Antiphonæ solere dici; cum enim in dicta Regula habeatur de Psalmò 94. quòd *su certè decantandus*, hinc Bernardus Cassinensis existimat, talem Psalmum aliquando in directum esse dicendum, & sine Antiphona, ut legitur pariter in Petri Diaconi Textu, & certè Paulus Augustinus à Janua relatus Martene observat in *Regulam cap. 12.* particulam *De interdum esse negativam*, ut idem sit decantare, ac non cantare, sed simpliciter sine vocis modulatione.

II. Gavant. pag. 51. col. 1. n. 5. -- *In die Epiphaniæ non dicitur &c.* In die sollemni Epiphaniæ Invitatorium Romæ hæctenus non dicitur ob rationes allegatas à Gavanto, nempe ne bis idem Psalmus repetatur, & reverà Benedictini, qui ad tertium Nocturnum cantica habent, sicut etiam Carthusiani, qui Psalmos Epiphaniæ proprios recitant, inter quos Psalmus *Venite*, non habetur, eum ab Officii initio cum Invitatorio in Epiphaniæ Festo decantant; eundem esse morem

Cisterciensium, testatur Card. Bona *loc. supracit.* ubi ait -- Nos verò, qui ex præscripto Regulae nostrae in tertio Nocturno tria Cantica è veteri Testamento psallimus, ipsa etiam apparitionis die Invitatorium more soli-

to decantamus -- Hæc Card. Bona: Constat tamen ex Amalarii Supplemento supracit. omisum fuisse etiam apud Benedictinos in Epiphania hunc Psalmum in Officii initio, & in secundo Nocturno decantatum.

## De Hymnis. XX.

### RUBRICA.

- 1 **H**ymni semper dicuntur in qualibet Hora, præterquam à triduo ante Pascha, usque ad Vesperas Sabbati in Albis exclusivè, & præterquam in Officio Defunctorum.
- 2 Ad Matutinum Hymnus dicitur post Psalmum, Venite, repetito Invitatorio, præterquam in die Epiphania: ad Laudes, & Vesperas dicitur post Capitulum: ad Horas, ante Psalmos: ad Completorium, post Psalmos, & Antiphonam.
- 3 Dicuntur autem in Officio de Tempore, ut in Psalterio, quando proprii Hymni in Proprio de Tempore non adsunt: qui Hymni de Psalterio in Dominicis, & Feriis assignati, dicuntur ab Octava Pentecostes usque ad Adventum (Dominica infra Octavam Corporis Christi excepta) & ab Octava Epiphania usque ad Dominicam I. Quadragesimæ exclusivè. In Officio de Sanctis dicuntur, ut in Communi Sanctorum, nisi proprii in Proprio Sanctorum habeantur.
- 4 In Nativitate Domini usque ad Epiphaniam, in Festo Corporis Christi, & per Octavam, & quancumque sit Officium Beatae Mariae tam novem, quam trium Lectionum, etiam tempore Paschali, in fine omnium Hymnorum (præterquam in fine Hymni, Ave maris stella, & Hymni ad Laudes in Festo Corporis Christi, qui habet ultimum versum proprium) dicitur: Jesu, tibi sit gloria, Qui natus es de Virgine: ut in ejus Officio parvo: etiamsi dicantur Hymni de Sanctis, qui infra Octavas prædictas celebrantur, dummodo Hymni illi sint ejusdem metri, nec habeant ultimum versum proprium, ut Hymnus S. Crucis ad Vesperas, & plurimorum Martyrum ad Matutinum.
- 5 In Epiphania Domini, & per Octavam, in fine omnium Hymnorum dicitur: Jesu, tibi sit gloria, Qui apparuisti Gentibus.
- 6 A Dominica in Albis usque ad Ascensionem, in Pentecoste, & per Octavam, in fine omnium Hymnorum dicitur: Deo Patri sit gloria, & Filio, qui à mortuis: etiam in Festis Sanctorum eodem tempore Paschali occurrentium, dummodo Hymni sint ejusdem metri, nec habeant ultimum versum proprium, qui non mutatur, ut supra.
- 7 In Ascensione autem usque ad Pentecosten (præterquam in Hymno, Salutis humanae Sator) dicitur: Jesu, tibi sit gloria, Qui victor in Cælum redis: similiter etiam in Festis tunc occurrentibus.

8 In Transfiguratione Domini dicitur: *Jesu, tibi sit gloria, Qui te revelas parvulis. Aliis temporibus terminantur Hymni, ut suis locis ponitur.*

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Cap. VI. De Hymnis.

I. Gavant. pag. 51. col. 2. n. 1. -- *Hymni Græcè, Laudes Latine &c.* Quod Græcè dicitur Hymnus, Latine redditur Laus Dei; & equidem Augustinus egregie in *salinum* 48. ait: *Hymnus scitis quid est? Cantus est cum Laude dei. Si laudas Deum, & non cantas, non dicis Hymnum. Si cantas, & non laudas Deum, non dicis Hymnum. Si laudas aliquid, quod non pertinet ad laudem Dei, & si cantando laudas, non dicis Hymnum.* Hæc itaque tria Hymnum, juxta Augustini mentem, constituunt, ut observat etiam Gavantis: Cantus, Laus, & Dei. Advertendum tamen, quod cantus ille debet esse metricus, alioquin Hymnus nuncupari non possit. Hinc Isidorus *lib. 5. Etymol. cap. 19.* Hymnum sic describit -- *Canticum laudatum pro eo, quod sit carmen letitiae, & laudis.* Et Divus Ambrosius in *Orat. contra Auxentium de Basilicis non trahendis Hereticis*, Hymnos à se compositos, carmina vocat: *Hymnorum*, inquit, *meorum carminibus deceptum Populum servent, grande carmen istud est, quo nihil potentius.*

De Hymnorum origine superfluum hoc loco censemus aliqua agere, cum plurimi de ea copiose ac eruditè scripserint, & compertum sit apud omnes, non modo ab Hebræis verum numen, sed & ab Ethnicis inanes ipsorum Deos Hymnis fuisse celebratos. Hujusmodi Hymnorum auctores Hymnographi dicti sunt: inter eos autem celeberrimi fuerunt, Linus, Musæus, Callimachus, & Homerus. Porro Auctor est Pausanias in *Bæoticis*, Lycium Oden primum omnium Hymnos composuisse, quod tamen ab aliis inficiatur, affirmantibus, Anthum Anthedonium primum Hymnographum fuisse.

Dubitatur, num inter vetustissimos Hymnographos locum habeat Orpheus, ex quo Tatianus, ac Clemens Alexandrinus negent Hymnos, qui sub Orphei nomine circumferuntur, ipsius esse. Verùm hos Scriptores decipi, eruditè demonstrat Guilielmus Canterus in *novis Lectionibus lib. 2. cap. 2.* Certè Pausanias advertit, Hymnos Orphei religione, sanctitate, & elegancia cæteris omnibus antecere. Apud Hebræos Moyses, aliique Vates Hymnos Deo cantarunt, ut ex Sacris literis patet, idque multis antè sæculis, quàm Poëta in Græcia flourerent, ut immeritò Græci primam sibi Hymnorum inventionem attribuant. David quoque Hymnographus antonomastice à Philone *lib. de Munito cap. 9.* appellatur, & quidem merito, cum Psalmorum Liber, quorum saltem præcipua pars Davidem habet Auctorem, *Liber Hymnorum* hebraicè inscribatur. Advertit tamen optimè Guyetus *lib. 3. cap. 5.* quod Hymni nostri à Psalmis ea ratione discrepant, quod Psalmus Dei Laudes generatim metricè profequatur, seu quatenus ejus gloria in opere Creationis, vel in mirabilibus Legis antiquæ effulget, Hymnus verò noster speciatim, seu quatenus ipsius Magnalia nobis in Mysterio, seu Sancto, qui colitur, referantur: quapropter perfecta erit Hymni nostri Definitio, quod sit Cantus metricus continens laudem Dei propriam diei, vel Festi, quod celebratur.

Antiquissimum esse ritum in Ecclesia cantandi Hymnos in Laudem Dei compositos, pluribus Ecclesiasticæ Historiæ monumentis comprobari potest. Philo enim Judæus agens de Therapeutis Alexandria, quos veteres omnes, ac plerique recentiores Christiani.

Arianos fuisse fatentur, testatur, quod illi non solum contemplationi vacabant, sed etiam Cantica, & Hymnos in Dei laudem componebant, vario metrorum, carminumque genere concinna os. Dionysius, seu quisquis est Auctor Libri de Divinis Nominibus, Sacros Hierothei Hymnos saepe commemorat, sicut & suos, quos plures ille conscripsit. De Christianorum etiam Hymnis mentionem facit Plinius in Epistola Celebris ad Trajanum. Pulcherrimum hujus ritus vestigium quoque apparet in Epistola Synodi Antiochenae adversus Paulum Samosatenum habitae, in qua Haereticarum crimini vertunt, quod Hymnos in laudem Christi compositos abolerent, & alios in sui honorem die Paschatis ab improbis mulieribus cani praeceperit. Paulum antedictum imitati sunt Ariani, qui Hymnos apte ad suam haesim compositos alternatim cantare solebant; quod cum Arcadio Imperatore Gainae potentia freti, publice, ac summa cum licentia praestarent, referentibus Socrate, ac Sozomene, veritus Chrysostomus, ne quis ex Simplicioribus ab Ecclesia abstraheretur hujusmodi Canticis, quosdam Catholicos eis opposuit, qui majori cum pompa, & apparatu Hymnos decantando, Arianorum studia superarent. Neque mirari debemus, apud veteres Christianos tam frequentem fuisse Hymnorum usum, ut mox observavimus: illi enim consuetudinem hanc ab Apostolis didicerant, praesertim a Paulo, qui ad Colossenses scribens, eos cap. 3. hortatur, ut Deum colerent Psalmis, Hymnis, & Canticis Spiritualibus. Immo Christus ipse hunc Hymnorum usum exemplo suo commendasse videtur; de eo enim, sicut & de Apostolis referunt Evangelistae Matthaeus, & Marcus, quod Hymno dicto exierunt in Montem Oliveti. Recte igitur Augustinus Epist. 119. Veteris edit. & post ipsum Concilium Toletanum IV. can. 3. asserunt, quod de Hymnis in Ecclesia canendis; & ipsius Domini, & Apostolorum habemus documenta, & exempla, & praecipua, quae mirè con-

firmant Gavanti dictum asserentis num. 2. Hymnorum usum esse Apostolicum inventum, immò à Christo deduci posse.

II. Gavant. pag. 51. col. 2. n. 2. -- *Deinde de Hilario è Latini &c.* Qui primùm Hymnos ediderit in Ecclesia, incertum omninò videtur, S. Isidorus lib. 1. *Offic. Ecclesiastic. cap. 6.* hoc Hilario laudis tribuit, quod Hymnorum carmine claruit primus. Id tamen de Latinis Hymnorum Auctoribus omninò capiendum est, siquidem supra ostendimus ex Eusebio, non modò Therapeutas, sed & alios Scriptores Græcos longè ante Hilarii tempora Hymnos composuisse. Hilarii vestigia secutus Ambrosius plures Hymnos & ipse conscripsit, adeo commendatos Ecclesiis, ut pleraque illos adoptare non dubitaverint. S. Benedictus Monachorum Occidentalium Patriarcha Hymnorum Cantum cap. 9. Regulæ suæ praescribens hac utitur formula -- *Inde sequatur Ambrosianum* -- Qua voce Hymnos ab Ambrosio compositos indigitari consentiunt Regulæ Benedictinae Doctiores Expositores Smaragdus, Menardus, Martene, aliique, & confirmat Amalarius in supplemento ad lib. 4. de Divinis Offic. edito ab Edmundo Martene tom. 2. *Annales.* his verbis: *Certum autem probatur quodammodo S. Benedictus consuetum morem S. Ambrosii in nonnullis Ecclesiasticis elegisse, v. g. de Hymnis, quos Ambrosianos nominat &c.* Praclarissimum Ambrosianorum Hymnorum Testimonium perhibet nobis Concilium Turonense his verbis -- Licet Hymnos Ambrosianos habeamus in Canone, tamen quoniam reliquorum sunt aliqui, qui digni sunt forma cantari, volumus libenter amplecti eos, praeter ea, quorum Auctorum nomina non fuerint in limine praenotata.

Praeter allegatos Auctores à Gavanto tum Græcos, tum Latinos, sunt & alii, qui Hymnos scripserunt, nimirum Synesius, Cosmas Hierosolymitanus, Johannes Damascenus, Theophanes, Theosterictus, Theoleptus, Metrophanes Smyrnaeus, Prudentius, Beda, Sedu-

Sedulius, Paulinus, Venantius Fortunatus, Fulbertus Carnotensis, Paulus Diaconus, Thomas de Aquino, Johannes Geometra, Maximus Margunius, quos congerit Card. Bona *cit. lib. cap. 16.* quibus addi possent Gregorius Nazianzenus inter Græcos, Clemens Alexandrinus, qui Hymnum composuisse creditur, & habetur ad calcem Pædagogii; & ex Latinis Gelafius, necnon Gregorius Magnus, Romani Pontifices, si vera sunt, quæ tradunt Walfridus, Clithovæus, & Timotheus allegati à Gavanto. Hymnos autem authenticos, qui in antiquis Hymnariis reperiuntur, nominatim congerit Radulphus Tungrensis *proposi. 13.* eosdemque collegit, & Scholiis illustravit Jodocus Clithovæus in suo Elucidario Ecclesiastico.

Huc spectat mentionem facere de Hymnario, seu Hymnorum libro, quem edidit noster Thomafius, in tres partes divisum; quarum prima eos Hymnos continet, qui per Anni circulum, ab Antiquis; à Modernis verò de Tempore appellantur. Secunda de Natalitiis Sanctorum. Tertia de quotidianis, ac diversis causis. Prædictum Thomafianum Hymnarium confectum est ex vetustissimis Codicibus MSS. Bibliothecæ Vaticanæ, & Vallicellanae, tum ex Hymnis excusis variis in locis, & præsertim ex Breviario Mozarabico, cæterisque Breviariis antiquioribus, quibus ex Codicibus magno adjuvamento fuit magnus ille Codex Psalterii Reginae Sveciæ, cujus sæpius mentionem fecit idem Thomafius, in quo, ait, quod pauciores quidem habentur Hymni, sed vetustiores; & ii ferme, de quibus extat mentio in præcis Ecclesiæ monumentis; quos inter cum genuinos Hymnos S. Ambrosii invenisset; reliquos in eo contentos eidem S. Doctori adscribere non dubitavit; solos enim Ambrosianos Hymnos in eo exhiberi pro certo habuit. Cæterum, ut eâ, qua decebat, fide, ageret, Hymnos eosdem sæpius mendis resperfos, sublatis tantummodo manifestioribus erratis; reliquis verò retentis, integros,

Gavanti, Rubr. Brev.

prout in Codicibus reperiuntur, in lucem emisit. Progreditur idem Thomafius in ejusdem Hymnarii Præfatione ad allegandos Auctores, apud quos fit mentio prædictorum Hymnorum, necnon eorundem commendatio.

Alium pariter Hymnorum librum edidit Carolus Guyetus, qui reperitur in calce sui præclarissimi operis inscripti: *Heoribologia, seu de Festis propriis Sanctorum.* In eo Hymnario collegit omnes, quotquot ex variis Gallia Breviariis, Sanctorumve propriis reperire potuit Hymnos, eosque triplici serie disposuit; ut primùm descripti habeantur, qui pertinent ad Officium de Tempore, deinde qui de Sanctis communi ubique locorum usu cultis, tum denique alii singularis cujusque Ecclesiæ proprii, eosque ita dispositos evulgavit. Cuilibet Hymno ab Urbano VIII. emendato præfixit ejusdem Hymni initium, quale erat ante emendationem, ut, cui libuerit, in promptu sit utrumque comparare: indicavit veterum testimonia, ex quibus rescitur verus aliquorum antiquorum Hymnorum Auctor, & addidit Radulphi Tungrensis, Dionysii Carthusiani, & Clithovæi nomina, quando in eorum serie, aut Commentariis habetur ille Hymnus, quem exhibet. Denique citat Breviaria, seu Dioceses, aut Ecclesias, apud quas prædicti Hymni sunt in usu.

Aliam Hymnorum collectionem, juxta veram metri, & latinitatis normam ediderat olim Romæ Zacharias Ferrerius, approbatam, ut ait, à Clemente VII. ut ex Brevi ejusdem Pontificis operi præfixo apparet; sed nemo, quod sciam, ea facultate usus est. Hymnos, & Preces Latinæ Ecclesiæ collegit etiam Georgius Cassander, quæ unâ cum ejusdem in Hymnos notis, tum seorsim Colonia 1556. tum inter ejus opera Parisiis 1616. excusa leguntur. Post ipsum Elias Ehingerus Hymnos Ecclesiasticos Hilarii, Ambrosii, Augustini, Gregorii Magni, Theo-

U

dul-

dulphi, Fulberti, aliorumque Francofurti in lucem emisit Anno 1578.

Plures etiam ex recentioribus præter jam laudatos commentaria in Sacros Hymnos ediderunt, celebriores sunt Donatus Marra, qui enarrationes evulgavit in Hymnos omnes, qui cantantur in Ecclesia per Annum, & secundum morem Religiosorum Ordinum SS. Augustini, Benedicti, Dominici, & Carmelitarum; Jacobus Wimpfelingius, qui edidit Argentina Anno 1513. Hymnos de Tempore, & de Sanctis emendatos, & interpretatos, Henricus Bebelius, qui librum Hymnorum cum expositione vulgavit Hagen. Anno 1517. Pater Gregorius Valentinianus Siculus à Marfalia Ordinis Cappuccinorum, qui scripsit Hymnodiam Sanctorum Patrum, quæ à S. R. E. per Annum decantari solet Commentariis uberrimis explicatam Venetiis impressam An. 1640. Johannes Baptista Possévinus, qui Romani Breviarii Hymnos Italica lingua donavit addita singulis morali explicatione. Sanctorius Victorinus, qui Hymnos Sacros, & novos composuit, ediditque Parisiis Anno 1689. & excerptos ex Breviario Parisiensi, & Cluniacensi illustravit. Andreas Wilckius, qui Anno 1610. prelis dedit *ἱεραγωγῶν*, opus in duas partes divisum, in quibus continentur Commentarii in Hymnos veterum, recentiumque Poëtarum: advertendum tamen, inter hos Poëtas nonnullos hæreticos reperiri. De hac materia videri etiam possunt Cardinalis Bona de Divina Psalmodia cap. 16. § 9. Cardinalis Thomafius in Præfatione ad Hymnarium. Johannes Hoornbeckius lib. 1. *Miscell Sac. or. cap. 11.* Jo. Filescus lib. 2. *Electorum pag. 195.* Balthasar Bebelius tom. 2. *sect. 4. Antiq. Eccles.* Nicolaus Le Nourry in Apparatu ad Bibliothecam Patrum, Conradus Samuel Schurtzfleischius in *dissert. de Hymn's veteris Ecclesie.* Witembergæ Anno 1681. & Joseph Binghamus tom. 6. *Originum Ecclesiasticarum cap. 1. & 2.*

III. Gavant, pag. 51. col. 2. n. 3. -- Cantandos autem in Ecclesia Romana composuit quoque Gelasius &c.) Docet hic Gavantus, ex Walfridi. de Reb. Eccles. cap. 25. aliquos Hymnos in Ecclesia Romana cantandos à Gelasio compositos fuisse. Adnotare tamen debemus, quòd allegatus Walfridus Strabo hæc tantum dicit: *De Gelasio Papa scribitur, quòd tractatus, & Hymni in morem B. Ambrosii composuerit.* Non verò addit, quòd Hymnos concinnaverit, ut in Ecclesia Romana decantarentur. Et equidem Romæ non ab antiquo tempore, sed terò Hymni cani cœperunt; neque enim in ullis Romanis Ordinibus, & ne in illo quidem, quem Benedictus Canonicus S. Petri tribuit Guidoni de Castello, qui postea Anno 1143. Pontifex Romanus fuit, & Cælestinus II. appellatus, mentio aliqua sit Hymnorum recitandorum in Officiis, quæ describit. Hinc, & ex aliis conjecturis infert Grancolas lib. 1. cap. 23. post XII. dumtaxat Sæculum Romæ Breviario Hymnos insertos fuisse. Radulphus Tugrensis, plerisque eorum, qui sua ætate dicebantur; recenset, & sunt ferè iidem cum illis, qui hodie recitantur; ita ut nemo negare possit, per ea tempora, XIV. scilicet Sæculo, Hymnos in Breviario contentos fuisse. Conjicit tamen Grancolas, id ab Haimone, Franciscanorum Generali, præstitum fuisse, cum Romanum Officium, Gregorio IX. jubente, Anno 1240. recognovit, & concludit, quòd etiam si prioribus Sæculis aliqui Hymni inserti fuerint Breviario Romano, certissimum tamen esse, quòd XII. Sæculo in Ecclesia S. Petri nulli recitati fuere; & cum Udalricus in Consuetudinibus Cluniacensibus Hymnorum Romana Ecclesie mentionem facit, de singularium aliquarum Ecclesiarum Hymnis loqui voluisse. Nulli quoque Hymni apud Græcos extant, neque apud veteres Orientis Monachos, cum Cassianus eorum non meminerit sicut etiam nullam mentionem Hymnorum faciunt in Occidente Regula S. Columbani, S. Ili-

S. Isidori, S. Fructuosi, Magistri, & Donati. Primam illarum mentionem faciunt in Gallia Regulæ S. Casarii, & S. Aureliani, in Italia verò Regula S. Benedicti, de qua supra satis locuti sumus.

IV. Gavant. eod. n. 3. -- *Approbavit Concilium Turonense cap. 23. Toletanum 4. Can. 12. &c.*) Ante Concilia allegata à Gavanto, Concilium Bracarense primum An. 553. *Can. 32.* Hymnorum usum vetat in Horis Canonicis, jubetque, ne publicis precibus inferantur, nisi Hymni illi, qui ex Scripturis desumpti sunt. Jubet pariter eadem Synodus, ut poetica omnia, & quæcunque humana elucubrati excludantur: *Ut extra Psalmos, vel Canonicarum Scripturarum veteris, & novi Testamenti nihil poetice compositum in Ecclesia psallatur, sicut & Sancti præcipiunt Canones.* Verùm Sæculo sequenti Concilium Toletanum quartum, Hymnos cani in Ecclesia concessit, dummodò ab Auctoribus insignioribus essent compositi, & Concilium Toletanum VIII. Anno 653. *Can. 8.* vetat Clericum ordinari, qui Psalterium, Cantica, & quotidianos Hymnos ignorat.

V. Gavant. pag. 54. col. 2. n. 9. -- *Prædictos Hymnos emendavit Urbanus VIII. &c.*) Exhibuit Gavantus num. 5. Catalogum, & initia Hymnorum, quos olim decantabat Romana Ecclesia, & omnem diligentiam adhibuit in enunciandis Auctoribus illis, qui prædictos Hymnos composuerunt; adnotat pariter monumenta, & alios Auctores, ex quibus notitias suas desumpsit: sed hoc loco indicat, prædictos Hymnos, à se relatos, tandem Urbani VIII. jussu, necnon sapientia, emendatos fuisse. Ad præfatos Hymnos recitandos, & corrigendos adhibuit præfatus Pontifex tres lectissimos Societatis JESU viros, ac politiorum literarum bene peritos, & hi fuerunt Famianus Strada, Tarquinius Gallucius, & Hieronymus Petruccius; quorum laborem magni omnino faciendum esse, adstruit clarissimus vir Theophilus Raynau-

us tom. XI. punct. 1. pag. 12. Hanc Urbani VIII. correctionem commendat pariter Carolus Guyetus *lb. 3. cap. 5. quest. 2.* & asserit, quòd qui hanc emendationem respuunt, quibuscunque ducti rationibus, parum se Ecclesiæ decorem diligere probant. Henricus tamen Valesius acerrimam censuram ferre ausus fuit contra præfatam Hymnorum emendationem, eosque malè compositos, atque adversus communem hominum sensum, depravatos existimat; sed hujusce Auctoris censuræ nimis severæ aurem præstare non possumus. Similiter contra variationem literæ in Hymno Ecclesiastico de Spiritu Sancto, in quo vox *Paracletus* per *i*, aut *e* Latinum productum juxta aliquorum opinionem per *i* latinum correptum nunc effertur, scripsit eruditam disceptationem Benignus Sanctey in tractatione de *Recta pronuntiatione vocis Paracletus*, cui assentiri videtur Theophilus Raynaudus *loc. supracit.* ubi ait, potuisse non mutari *n* in *i*, vel *e*, ne genuinus sensus vocis *Paracletus*, vel *n* latinè producto *Paracletus*, ea unius literæ mutatione convellatur. Videnda tamen est erudita Dissertatio elucubrata à Johanne Baptista Thiers, in qua sustinet, quòd Ecclesiasticis libris retinenda sit vox *Paracletus* penultima correpta, suamque opinionem validis comprobatur argumentis.

VI. Gavant. pag. 55. col. 1. n. 9. -- *Index ergo deinceps hic erit: &c.*) Adnectit denique Gavantus hoc loco in secunda editione sui Thesauri Indicem Hymnorum emendatorum ab Urbano VIII. quibus usque modò utitur Romana Ecclesia, Indici tamen à Gavanto evulgato addendi sunt pauci alii, qui post ipsum Breviario Romano inserti fuerunt, & dicendi in Festis Sanctissimi nominis JESU, S. Martinæ, S. Joseph, Septem Dolorum B. M. V. Sancti Ermenegildi, S. Venantii, S. Elisabeth. Portugalliæ Reginæ, & S. Theresiæ, quorum Hymnorum initia inharendo vestigiis Gavanti hic exhibemus juxta ordinem alphabeticum.

Athleta Christi nobilis:  
 Cœlitum Joseph decus, atque nostra,  
 Domare cordis impetus Elisabeth.  
 Dum nocte pulla Lucifer.  
 Jesu, dulcis memoria.  
 Jesu, Rex admirabilis.  
 Jesu, decus Angelorum.  
 Ilte, quem lati colimus fideles.  
 Martinæ celebri plaudite nomini.  
 Martyr Dei Venantiûs,  
 Non illam crucians ungula, non feræ.  
 Nullis te genitor blanditiis trahit.  
 Opes, decusque Regium reliqueras,  
 Regis superni Nuncia.  
 Regali solio fortis Hiberiæ.

Stabat Mater dolorosa,  
 Te Joseph celebrent agmina cœlitum.  
 Tu Natale solum protege, tu bona.  
 Antequàm hîc nostris Additionibus pos-  
 tremam manum imponamus, lubet animad-  
 vertere, quòd si Lector suæ curiositati cir-  
 ca hanc Hymnorum materiam satisfacere  
 cupit, legere poterit ea, quæ tradunt suprà  
 allegati Auctores, nimirum Cardinalis Bona,  
 Grancolas, Anacletus Siccus in suo libro in-  
 scripto *De Ecclesiastica Hymnologia*, & Carolus  
 Guyetus, qui *cit. loc. cap. 5.* satis doctè more  
 suo pertractat, quòd metri genus Hymni  
 conveniat, quæ sint Hymni partes, seu qua-  
 lis structura, quæ Hymnorum conclusio sit  
 immutabilis, & alias similes quaestiones.

## De Antiphonis, XXI.

### RUBRICA.

- 1 **A**d omnes Horas Nocturnas & Diurnas semper cum Psalmis dicuntur Antiphona, vel una vel plures, pro diversitate Officii & Horarum.
- 2 Si de Tempore fiat Officium, id est, de Dominica aut Feria, dicuntur Antiphona ut in Psalterio, quæ cum Psalmis posita in Vesperis Dominica & Feriarum, in Completorio & in Nocturnis (etiam quando sit Officium de Festo trium Lectionum, id est, Simpliciter) nunquam mutantur, nisi tempore Paschali, in quo dicitur una tantum Antiphona, Alleluja: excepto etiam tempore Adventûs, in quo ad Vesperas & Nocturnos Dominica ponuntur Antiphona propria. In Laudibus, & aliis Horis mutantur pro diversitate temporum, ut in proprio de Tempore habentur: cum verò non assignantur propria, semper dicuntur, quæ posita sunt in Psalterio.
- 3 Antiphona, quæ in Proprio de Tempore in Sabbatis ponuntur ad Magnificat pro prima Dominica alicujus mensis, sumenda sunt ex ea Dominica, quæ est proximior Kalendis, vel est in Kalendis illius mensis; ut dictum est suprà in Rubrica de Dominicis, ac etiam in Rubrica mensis Augusti: & semper in Sabbato ponitur Antiphona ad Magnificat, quæ contigua est libro Scripturæ in Dominica ponendo.
- 4 In Festis novem Lectionum ad Vesperas dicuntur Antiphona de Laudibus, nisi propria in Vesperis assignentur. Ad Horas similiter tam in Officio de Tempore, quàm de Sanctis, quando habentur propria in Laudibus, & alia propria non fuerint ad Horas, sumuntur ex Laudibus, quarta prætermissa, hoc ordine: ad Primam, prima: Ad Tertiam, secunda: Ad Sextam, tertia: Ad Nonam, quinta.

- 5 In Feriis Adventus, quæ non habent in Laudibus Antiphonas proprias, sumuntur ad Horas ex Laudibus Dominica præcedentis; ubi verò in Laudibus Feriarum fuerint propria, sumuntur ex ipsis Laudibus.
- 6 Tempore Paschali, in Officio tam novem quàm trium Lectionum, Psalmi cuiuslibet Nocturni dicuntur sub unica Antiphona, quæ Officio convenit, ut suis locis ponitur; & in fine omnium Antiphonarum additur Alleluja, quando in illis non habetur. A Septuagesima usque ad Pascha, ubi habetur Alleluja, tacetur; neque aliud eius loco dicitur.
- 7 In Duplicibus ad Vesperas, Matutinum, & Laudes tantum, Antiphona dicuntur ante Psalmos vel Cantica integra, & post Psalmos vel Cantica integra repetuntur: in aliis Horis, & in Officio non Duplici, in principio Psalmi vel Cantici inchoatur tantum Antiphona, deinde in fine integra dicitur. Et quando Antiphona sumitur ex principio Psalmi vel Cantici, & incipit sicut Psalmus vel Canticum, post Antiphonam non repetitur principium Psalmi vel Cantici; sed continuatur, quod sequitur in Psalmo vel Cantico, ab eo loco, ubi secundum ritum diei desinit Antiphona; nisi discontinuetur per Alleluja.
- 8 Antiphonis propriis, tam in Officio de Tempore, quàm de Sanctis, semper cedunt, quæ habentur in Psalterio, & in Communi Sanctorum.
- 9 Quando fit aliqua Commemoratio, semper dicitur Antiphona ante Orationem cum Versu: quæ sumitur ex Officio, quod convenit ei, de quo fit Commemoratio; ita ut in Vesperis sumatur Antiphona, quæ assignatur ad Magnificat: in Laudibus, quæ ad Benedictus, cum Versibus, qui habentur post Hymnum.
- 10 Antiphonæ S. Mariæ posite in fine Completorii, dicuntur, ut inferius in propria Rubrica disponitur.

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Cap. VII. De Antiphonis.

I. Gavant. pag. 57. col. 1. n. 1. -- Antiphona idem est, ac vox opposita &c.) Optimè docet Gavantus, quòd Antiphona idem significat, ac vox opposita, seu contrasonans; Antiphona enim Græcum est vocabulum ex præpositione, ac nomine conflatum. *Phone* namque vocem; præpositio autem *Anti* oppositionem, & vicissitudinem significat. Hinc Antiphona vox intelligitur reciproca; sic cum montium concava vocem aliquam resonant ab aliquo prius editam, Græcè *Antiphonazim*, sive, ut ita dicam, *Antiphonare* dicuntur.

Quamvis, vocabuli notione inspecta, vox *Antiphona* vocum oppositionem importare videatur, apud Ecclesiasticos tamen Scriptores pro ea tantum vocum reciproca-tione accipitur, qua bini Cantorum Chori cantum alternant; ita ut Chorus Choro respondeat; cum in Responsorio cantu Chorus plurium uni tantum Cantori respondeat; pro certo enim habeo, Antiphonam ad initium Psalmi, vel Cantici, sive ante suos Versus, non semel tantum, verum & bis olim consuevisse cantari; hoc etiam sibi persuadet eruditissimus noster Thomasmus Ieco in-

frā citando; aut certè in ea decantanda ante Psalmum ab uno Choro priorem mediam Antiphonæ partem cani, postremamque ejusdem Antiphonæ partem ab altero Choro perfici consuevissè, arbitratur omnino mox laudatus Thomafius. Quod Antiphonæ olim semel ab uno, & iterum ab alio Choro dice-rentur ante Psalmum, probari potest ex supradicto discrimine inter Antiphonas, & Responforia assignato ab Antiquis, juxta quos Antiphonæ à Responforiis non differebant, nisi in modo cantandi; germana porro Responforia modulandi ratio postulat, ut bis dicatur *R.* ante *ψ.* semel ab uno Cantore, & iterum à Choro toto; pari itaque modo Antiphonarum germanus Ritus exigit, ut bis à duobus Choris alterne decantetur eo modo, quo ex parte retinemus in Invitatorio hunc morem geminatæ Antiphonæ ante Psalmum. Admittà hac Antiphonæ congeminatone ante Psalmum, ita ut saltem ejusdem pars ab uno, altera verò ab altero Choro dicatur, verificantur optimè verba Amalarii dicentis *lib. 4. cap. 7. Ipsa Antiphona conjunguntur simul duo Chori . . . duobus Choris alternatur Antiphona: quoniam non potest minus esse charita, quam inter duos . . . hec duo Choros d. signaverunt penna animalium invicem porrecte, quas vidit Ezechiel . . . conjunctio duarum penarum Antiphona est, que vicem tenet Charitatis.* Hanc responsionem utriusque Chori in una eademque Antiphona retinebant Clerici Romani in sollempnioribus Festis Saeculo XII. sicut in Antiphonario Vaticano, edito à suprà memorato Cardinali Thomasio Anno 1686. pag. 51. in Epiphania habetur, & ideam repetit hic Auctor in sua Præfatione præfixa libro à se evulgato sub hoc titulo: *Responforia, & Antiphonaria Romane Ecclesie* pag. 32. pag. verò 39. ostendit, in Breviario Mozarabico esse quid dissimile in Antiphona ad Primam, quæ dicitur per totum Annum. Denique probari id adhuc potest ex his, quæ infrà cum eodem Thomasio dicemus de usu antiquo repetendi Antiphonam ad singulos

Psalmorum versus. His omnibus prænotatis citatus Thomafius pag. 24. Antiphonam sequenti modo definit.

Antiphona est versus aliquis, sive sententia intercalaris, quæ unà cum Psalmi, Canticive versibus, sive aliquo, sive omnino omnibus; decantatur intercalari concantu eodem prorsus ordine, quo Ecclesiastica Responforia cantantur; cum ea ratione à Responforio Antiphona differat, quòd in *R.* Chorus uni Cantori respondeat; in Antiphonis verò Chorus unus alteri Choro succinat; & in Responforio quidem unus Cantor versus intercinat, intercalante semper Choro, Responforium; in Antiphona verò Chorus alter concinat versus, altero Choro Antiphonam reciprocante.

Verùm quia præsentium temporum mores ab Antiquis plurimum discrepant, in præsentiarum secundum Psalmodiæ hodiernam Rubricam, nomine Antiphonæ venit sententia illa, quæ inchoatur ab uno unius Chori, complectiturque à Choro, quando Officium est Duplex, & ad ejus Symphoniam Psalmus cantatur.

Antiphonarum autem in prædicto sensu acceptarum triplex est genus; Scripturalium, Historicarum, & ex utrisque mixtarum. Scripturales sunt, quæ ex libris Sacræ Scripturæ tum veteris, tum novi Testamenti depromptæ sunt, sic Antiphonæ ad *Magnificat*, ut bene notat Gavantus num 10. in primis Vesperis Dominicarum, ut plurimum sumuntur ex S. Scriptura veteris Testamenti, legenda in Matutino ejusdem Dominicæ. In secundis autem Vesperis sumuntur ex Evangelio, quod in eadem Dominica legitur, sicut etiam ad *Benedictos*. In Nocturnis verò Dominicæ, & Feriarum, necnon in Vesperis, plerumque sumuntur Antiphonæ ex Psalmis, quæ idcirco dicuntur Psalteriales, sed semper reducuntur ad Scripturales. Historicae sunt illæ, quæ ex Historia Mysterii, seu Sancti, cujus Festum est, carptim delibatae per singulos Psalmos, seu Cantica distribuuntur;

tur;

tur; cuiusmodi sunt Festorum Christi Domini, SS. Petri, & Pauli, Stephani, Laurentii, Clementis, & SS. Agathæ, Cæciliæ, Luciæ, & aliæ omnes Officiorum propriorum. Ad has reducuntur etiam aliæ, quæ ad Mysterium, seu Sanctum pertinent, licet ex Historia non sint depromptæ, ut sunt Antiphonæ Festi Circumcisionis, *O admirabile commercium &c.* & aliæ huiusmodi. Mixtæ denique dicuntur illæ, quæ vel ex Psalmis, vel ex alio Scripturæ libro depromptæ paucis verbis additis, vel mutatis, vel transpositis ad rem Mysterii, seu Sancti traduntur, quales sunt Antiphonæ Vesperarum diei Nativitatis Domini: *Tecum principium &c.* Antiphona tertia Laudum S. Stephani, & S. Laurentii: *Adhæsit anima mea post te.* Inter prædictas Antiphonas hoc discrimen intervenit, quod Psalteriales, & Mixtæ cum illis non sunt idoneæ, nisi ad eos Psalmos, ex quibus erutæ sunt, aliæ verò Antiphonæ, sive Historicæ, sive Scripturales, quæ ex Psalmis non sunt desumptæ, ad quoscunque Psalmos præmitti possunt.

II. Gavant. pag. 57. col. 1. n. 2. - - *Auctor Antiphonarum servit Ignatius Antiochenus &c.* Non solum Canticum aliquod contractius, breviusque, sive verborum iusta complexio; seu intercalaris sententia, quam Chorus Choro alteri psallenti respondens intercinat, & quæ Psalmum semper præcedit, sed ipsi quoque Psalmi cum à pluribus alternatim recitantur, Antiphonæ dici possunt, juxta interpretationem vocis græcæ ἀντιφώνη, ut asserit etiam Cardinalis Bona de *Divina Psalmodia* cap. 16. §. 10. quia scilicet duo Chori ad statum Antiphonæ symphoniam alterna modulatione sibi mutuo respondent. Hanc autem consuetudinem alternatim psallendi ab antiquissimis Sæculis habet Orthodoxa Ecclesia, juxta nonnullos, qui hunc morem S. Ignatio, Antiochiæ Antistiti tertio post Apostolum Petrum, referunt: verum quamvis prædictum Ignatium Antiphonarum au-

ctorem asserat quoque Gavantus noster, quatenus ille primum præscripserit alternum cantum in Ecclesia Antiochena, post illam visionem, quam insinuat idem Gavantus; nihilominus nondum fatetur, eundem Ignatium esse primum auctorem canendi alternatim Psalmos in Choro; ponderanda enim sunt nostri Auctoris verba illa *non dico Psalmorum*, de quibus agit in Capite sequenti num. 15. cum quo ibidem agemus & nos. Interea tamen asserere cogimur, apud Christianos alternum Psalmorum cantum per duos Choros servit esse introductum; antiquissimis namque temporibus, ut ex Eusebio lib. 2. cap. 17. Historiæ apparet, usus erat illis frequentior Psalmos Responsorios canere, Choro scilicet respondentem uni præceptori. Primi, qui Psalmos binis Choris concinnandos instituere, fuerunt Flavianus, & Diodorus, Monachi Antiocheni, Divo Athanasio æquales. *Isti namque primi*, (ut scribit Theodoretus, Episcopus Cyri, lib. 2. cap. 29) *in duas partes Choros psallentium dividentes, ex successione Davidicam melodiam cantare doverunt; & hoc in Antiochia primitus fieri cepit, & dispersum ad terminos totius Orbis usque pervenit.* Vide etiam S. Basilium Epist. ad Clericos Neocesarienses, Sydonium lib. 5. epist. 17. Cassiodorum in *Psalmum* 33. vers. 3. & alios passim. Sed de hac re vide denique, quæ nos trademus infra in nostris Observationibus ad Cap. VIII. sub num. 10. Sub alterni cantus genere, ut optimè ponderat supramemoratus Thomasius pag. 22. is, maximè Ecclesiastico Ritu comprehenditur, quo alternant quidem Chori melodiam, non unum tamen, eandemque Psalmum, vel canticum alternatim ex successione concinunt, sed unus quidem Chorus Psalmi alicujus versus modulatur, alter verò aliquid aliud præter ipsum Psalmum, vel Canticum per versus singulos intercinat. Hoc porro aliud, quod sæpius repetitur ab altero Choro, generali usu Ecclesiæ, *Antiphona* apud Latinos; apud Græcos autem *Troparium Antiphoni* appellatur:

tur: in qua significatione *Antiphona* est illud Canticum contractius, seu intercalaris sententia, ut inuimus supra, quam Chorus Choro alteri psallenti intercinat. De hoc autem genere Antiphonarum loquitur Socrates *lib. 6. cap. 8.* non de Psalmorum alterno concentu, quem Flavianus, & Diodorus primi instituerunt, ut tradidit Theodoretus, necnon Suidas, qui facillimè Socrati conciliantur prædicta ratione: quam sibi conciliationem expetebat afferri (ut ait Thomafius) doctus vir Petrus Guffanvillæus Presbyter in Præfatione ad Antiphonarium S. Gregorii. Sic autem scribit Socrates ex veteri interpretatione Epiphani Scholastici Historia tripartita *lib. 10. cap. 9.* -- Dicendum tamen est, unde sumptit initium, ut in Ecclesia Antiphonæ decantentur. Ignatius, Antiochiæ Syriæ tertius post Apostolum Petrum Episcopus, qui etiam cum ipsis degebat Apostolis, vidit Angelorum visionem, quomodo Antiphonas S. Trinitati dicebant Hymnos. Isq; modum visionis, Antiochenæ tradidisse probatur Ecclesiæ; & ex hoc ad cunctas transfudit Ecclesias -- Socratem autem Antiphonæ appellatione Hymnum aliquem compositum alternè resonantem intellexisse, argumento esse potest, quod quæ de S. Ignatio narrat, ejus fuisse generis indicet, ac cæterarum Antiphonarum ab Arianis primùm Constantinopoli usurpatarum, & à S. Johanne Chrysofomo vicissim postea inter Catholicos institutarum, quæ etiam Hymni appellati sunt, ut nos quoque adnotavimus in Cap. præcedenti. Vide *cap. 10. Historia tripartita.* Hæc, quæ ex Thomasio nostro deprompsimus, diligentissimo Ecclesiasticarum antiquitatum indagatore, optimè conciliant supramemoratos Auctores, qui oppositi videntur circa primos Institutores cantus alternativi.

III. Gavant. eod. n. 2. -- *Primus inter Latino Ambrosius Antiphonarum est Auctor &c.* S. Ambrosius, Mediolanensis Antistes, primus fuit, qui Græcorum imitatus exemplum,

hunc canendi modum per Antiphonas in sua Ecclesia Mediolanensi instituit, ut narrat Paulinus in ejus Vita his verbis -- Hoc in tempore primò Antiphonæ, Hymni, & Vigiliae in Ecclesia Mediolanensi celebrari ceperunt, cujus celebritatis devotio usque in hodiernum diem, non solum in eadem Ecclesia, verum per omnes pene Provincias Occidentis manet -- Idem S. Augustinus à Gavanto cit. confirmat *lib. 9. Confessionum cap. 7.* ubi loquens de persecutione, quam à Justina, Valentiniani Regis Pueri Matre, Ambrosius patiebatur, ait -- Excubabat pia plebs in Ecclesia mori parata, cum Episcopo seruo tuo; tunc Hymni, & Psalmi, ut canerentur secundum morem Orientalium partium, ne Populus incroris tædio contabesceret, institutum est, ut ex illo in hodiernum retentum, multis jam, ac pene omnibus gregibus tuis &c. -- Ex præfatis Paulini, & Augustini verbis colligit Thomafius, non solum Psalmos, verum & Hymnos, scilicet Eclogas aliquot Sacrarum Canticorum alterno concentu adhibitas fuisse. Nam Hymni eo loco non veniunt ea Sacra Carmina, quibus Auctore præcipue Ambrosio, ut diximus in Capite præcedenti, hodie utimur; eorum enim usus nullus est apud Orientales eo modo, quo usurpantur à nostris Occidentalibus; quare Hymnorum nomine censet Thomafius accipiendas esse Sacras illas Cantunculas, quas Paulinus antea Antiphonas appellaverat; ita ut priori vocabulo canendi modum, posteriori verò id, quod cantabatur, explicaverit.

IV. Gavant eod. n. 2. -- *Sub Damaso, non sub Siricio &c.* Ex quo usus Antiphonarum in Ecclesia Occidentali sub Damaso Papa inceperit, nonnulli inferunt, etiam in Ecclesia Romana sub eodem Pontifice talem usum inventum fuisse, & huic opinioni præsertim adherent illi, qui adstruunt, præfatum Pontificem suo Decreto Ambrosianum Antiphonarum ritum firmasse, de quo tamen nihil certi habemus. Antiphonarum igitur usum

usum Ecclesia Romana non Damaso, sed Cælestino Papæ acceptum refert, ut ex Antiquis Scriptoribus colligitur. Super hac materia adeat Lector eruditissimum Henscheinium in actis Sanctorum Tom. 1. Aprilis die 6. pag. 544. Consulat etiam notas Francisci Dominici Bencini, & Francisci Blanchini in Tom. 3. Anastasii, semel autem acceptum constanter retinuit hunc ritum, ut ex Libro Diurno Romanorum Pontificum Titulo 7. & Antiphonariis S. Gregorii tum Missæ, tum Officiorum planè docemur. De Antiphonarum usu apud ceteras Occidentis Ecclesias consulenda sunt variarum Concilia vetera Nationum, necnon Constitutiones, seu Regulae antiquæ Monachorum.

V. Gavant. pag. 57. col. 1. n. 4. -- Dupli-  
cantur in Duplicibus &c.) Juxta præsentem ritum Antiphonæ in Festis Duplicibus duplicantur, ita ut ante Psalmi initium ab uno ex Choro imponatur, & deinde à Choro compleatur, & iterum terminato Psalmo tota integra repetatur Antiphona, ita duplicantur Antiphonæ ad Vesperas, Matutinum, & Laude; quando Officium celebratur sub Ritu Duplici, non verò ad alias Horas minores, in quibus nunquam dicuntur integræ, nisi in fine Psalmorum, & ita pariter quando Officium celebratur sub Ritu Semiduplici, vel Feriali &c. etiam ad Vesperas, Matutinum, & Laudes non dicuntur integræ Antiphonæ nisi in fine Psalmorum.

Antequàm tamen discrimen Officii Duplicis, vel Semiduplicis fuisset inventum, inter Officia Sollemnia, vel Ferialia nulla erat diversitas in concinendis Antiphonis; indiscriminatim etenim integræ præmittebantur Antiphonæ Psalmis; nec uspiam invenitur in præcis Ritualibus, ut sola Antiphonarum exordia Psalmos præcedant, ut fit nunc in Festis Semiduplicibus, & diebus Ferialibus. Quòd si quis contendat, haud rarò in vetustioribus scriptis occurrere, ut ante Psalmum Cantor imponat Antiphonam; id nihil officere dicimus, quia etiam favere,

Gavant. Rubr. Brev.

Si enim Cantor Antiphonam imponebat, eam utique Chorus illico perficiebat, eodem modo, quo nunc eam perficit in Officiis Duplicibus; sic Amalarius cap. 1. de ordine Antiphonali dicit, Cantorem inchoare Antiphonam invitatoriam, quæ tamen omnium Ecclesiarum usu adhuc retento integra dicitur ante Psalmum Venite. Rursus ex eodem Amalario magis comprobatur hæc veritas, nam lib. 4. cap. 7. ait: Antiphona inchoatur ab uno unius Chori, & ad ejus Symphoniam Psalmus cantatur per duos Choros; quibus in verbis satis indicatur, integram concinendam esse Antiphonam ante Psalmum; Symphonia enim est plurium concertus; itaque ob Antiphonam ab uno Cantore tantummodo inchoatam, non potuisset rectè dici, ad Antiphonæ Symphoniam Psalmum decantari. Accedit, quòd cum Psalmus decantari debeat ad tonum Antiphonæ, quoniam pacto ad Antiphonæ tonum potuisset cantari Psalmus, si ipsamet Antiphona tota in suo perfectè modulata tono non præcessisset? Quin è contrario si Psalmum Antiphona tantum consecuta fuisset, dici potius debuisset, ad tonum Psalmi Antiphonam decantari.

Hæc Argumentis optimè comprobatur Cardinalis Thomasius cit. loc. pag. 27. præscum Ecclesiæ Ritum concinendi integram Antiphonam ante Psalmum, subdens, quòd in antiquioribus Ecclesiasticis Libris nullum elucet argumentum, quo exordium duntaxat Antiphonæ ante Psalmos pronunciatum fuisse arbitremur. Et quòd nec minimum extat apud veteres vestigium ejus discriminis, ut diebus celebrioribus integræ Antiphonæ dicantur ante Psalmos, secus verò quotidianis.

Idem Auctor in citata Præfatione pag. 30. alio etiam argumento utitur ad confirmandum hoc assumptum, idque desumit ex repetitione Antiphonæ, quæ ad singulos Psalmorum Versus fiebat ab uno Choro, ut diximus etiam supra; concinnitè enim fiet, ait ipse, hæc repetitio ab eodem semper

X.

Cho-

Choro; si Chorus idem integram iteravit Antiphonam ante Psalmum; nempe ut totum id repetat ad singulos Versus, quod à principio totum, & non ex parte tantum postrema dixerat. Id quod subiecto exemplo explanatum vult.

Primus Chorus Ant. *Dominus dixit ad me. Filius meus es tu. Ego hodie genui te.*

Secundus Chorus Ant. *Dominus dixit ad me. Filius meus &c.*

Primus Chorus Psalm. *Quare fremuerunt . . . . inania.*

Secundus Chorus Ant. *Dominus dixit ad me. Filius meus &c.*

Primus Chorus Psalm. *Ast terunt Reges terra . . . . . Christum ejus.*

Secundus Chorus Ant. *Dominus dixit ad me. Filius meus &c.*

Sicque deinceps usque ad finem; ubi pulcherrima ipsa ratio in alternando Antiphonam perfectè servatur: Dum Chorus secundus ita integram sæpe repetit Antiphonam inter Versus, ut integram antea repetierat in principio.

Thomasius prædicto hic videtur germanus modus Antiphonæ respondendæ, sive repetendæ ante Versus, vel Psalmum; & adstruit, quod ex græcis libris Orientalium Ecclesiarum colligitur, quod semper bis dicunt primam Antiphonæ periodum, sive Versiculum. Idque pariter confirmat pag. 36. auctoritate Amalarii, clarissimis verbis attestantis hanc veritatem cap. 3. ubi loquitur de Nocturnis Feriarum: *Ex senis Antiphonis, quas vicissim Chori per singulos Versus repetunt &c.*

Idem Thomasius pag. 41. duplicem apprehendit modum Antiphoni concinendi ritu Græcorum; eorum alter est, cum Versus, sive sententia, quæ à nostratibus Antiphona appellatur, eadem intercalata constanter repetitur ad singulos Psalmi versus. Alter verò, cum haud una, eademque semper

sententia intercalatur; sed plures, diversæque concinuntur breves periodi, quæ à Græcis *Troparia* appellantur, à conversione, vel immutatione; plures namque sunt, quæ in uno eodemque Antiphono commutantur, novæ sententiæ, quæ ut singillatim ab uno Choro canuntur, ita singillatim ab altero Choro iterantur: & ibidem Thomasius subijcit exempla utriusque modi repetendi Antiphonam apud Græcos, quorum primum est desumptum ex Typico S. Sabæ in Nativitate Domini, secundum verò ex Triodio Græcorum in Vigiliis Dominicæ Passionis.

Græcorum morem, quo diversarum sententiarum Cantus in uno Antiphono adhibebatur, aliquo pacto imitata est Ecclesia Romana; id significat vetus Ordo Romanus MS. relatus à Thomasio in sua appendice pag. 404. col. 2. agens de duabus Antiphonis die, & de Natalitiis Sanctorum ad idem Canticum concinendis. Sed clarius extat exemplum, quod in sua Præfatione pag. 43. describit ex Membranaceo Antiphonario Missæ ad usum Scholæ Cantorum Scripto Seculo XI. servatoque in Bibliotheca Angelica apud S. Augustinum hujus Alinæ Urbis; cujus exempli initium nos quoque hic dabimus, reliqua enim videri possunt apud eundem Thomasium.

*Sabbato Sancto ad Vigiliis post Communionem in Missa. In Evange.*

*Ant.* Vespere autem Sabbati, quæ lucefcit in prima Sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum, omnia *E v o v a e.*

*Psalm.* Magnificat &c.

*Ant.* Et ecce Terræmotus factus est magnus: Angelus autem Domini descendit de Cælo. Alleluja. omnia *E v o v a e.*

*Ant.* Angelus autem Domini descendit de Cælo, & ascendens revolvit lapidem, & sedebat super eum, Alleluja, Alleluja. *E v o v a e.*

*Psalm.*

*Pſalm.* Quia respexit &c.

*Ant.* Erat autem aspectus ejus sicut fulgur, & vestimenta ejus sicut nix, Alleluja, Alleluja. omnia *E v o r a e.*

*Pſalm.* Quia fecit mihi &c. *usque ad finem; ut videre est apud eundem Thomam; & Edmundum Martene, qui extensè hoc refert.*

Cæterùm, antiquissimam Antiphonarum repetitionem ad omnes Pſalmorum versus attingit videtur Anonymus, Author Opusculi de *Benedictione Dei*, in Præfatione ad Bathericum, Episcopum Ratisbonensem, qui sedem illam obtinuit Anno 814. cujus verba refert Thomasius in sua sæpius allegata Præfatione pag. 37 ex quibus quidem verbis colligitur, quod jam tum temporis cæperat in Ecclesiis Germaniæ Antiphonarum repetitio intermitteri; immò ipsamet etiam Antiphonas omitti brevilitatis gratia; quæ quidem omisio satis demonstrat, quod plurimum temporis postularet ex antiquo more Antiphonarum concentus, quàm quod flagitat mos hodiernus, cum semel tantùm, vel bis Antiphonam canimus; malebant idcirco Ecclesiastici illi ipsas Antiphonas omnino prætermittere, quàm eas responsionibus truncatas, præter authenticum Ordinem utcumque concinere.

Decimo tamen Seculo occurrit in Ecclesia Occidentali repetendæ Antiphonæ ad singulos Pſalmorum versus Testimonium gravissimum, quod habetur in vita S. Odonis, Abbatís Cluniacensis, Auctore Johanne, ejusdem Discipulo, inter Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti Seculo V. Dicitur enim lib. 1. num. 10. *Quia ejusdem Officii Antiphona (Vigiliarum scilicet S. Martini) uti omnibus patet, breves sunt, & ejus temporis longiores noctes, volentes Officium ad lucem usque protendere, unamquamque Antiphonam per singulos Pſalmorum versus repetendo canebant &c.* Hinc germanam elicit rationem Thomasius, quamobrem contractiores sunt Antiphonæ, quæ

cum Pſalmis, vel Canticis canuntur in Ecclesiasticis Curſibus, quàm quæ in Miſſa cantantur ad Introitum, Offertorium, & Communionem; nimirum quia illæ quàm frequentissimè repetebantur post singulos omnes Pſalmorum omnium Versus, hæc verò, post singulos quidem, sed paucos tantùm Versus, vel proprios, vel Pſalmi, respondebantur.

In præſentiarum priscum illum repetendi Antiphonam ritum ad unumquemque Pſalmi Versum, non servamus, nisi in Pſalmo Invitatorio, in quo bis ad initium Antiphonam dicimus, & repetimus modò integram, modò ex parte ad ejusdem Pſalmi Versus. Quod si mores nostros ad antiquiores revocaremus, nolentes tamen ad singulos Pſalmorum Versus Antiphonas repetere; certè post Pſalmos ante *Gloria Patri*, itemque post *Ps. Gloria Patri*, & post *Ps. Sicut erat*, omnino Antiphonam repetere deberemus. Et hunc ritum Seculo XII. retinebant Romani saltem in præcipuis aliquot Officiis Natalis Domini, Epiphaniæ, & Nat. S. Petri, ut videre licet in Antiphonario Vaticano pag. 38. 51. & 148. quin & in Romano Breviario Venetiis edito 1489. præscribitur hic Ordo, ut si Festum S. Thomæ Apostoli in Dominicam inciderit, Antiphona *Nolite timere* dicatur primò ante Canticum *Benedictus*, tum post *Gloria*, demum post *Sicut erat*, sed ex Vaticano (ut diximus) Antiphonario, etiam ante *Ps. Gloria Patri* post Pſalmos dici debet. Hæc pariter omnia deprompta sunt ex his, quæ tradit pluries citatus Thomasius pag. 38.

Supereſt nunc, ut cum eodem, nec non cum Grancolasio lib. *supracit. cap. 10.* animadvertamus, Antiphonarum inchoationem, sive, ut Antiqui loquebantur, impositionem, ad Clericos cantores semper pertinere, ad illos scilicet, qui majores sunt in Scholâ Cantorum, qui septem olim erant, in Ecclesia Romana, non Presbyteri, nec Diaconi, sed tantummodò Subdiaconi, qui justum puero-

rum Paraphonistarum numerum sibi ad Cantus adjumentum adlicebant. II Cantores Ordine suo inchoabant Antiphonas, ut primam Primicerius, secundam Secundicerius, & sic reliqui reliquas imponerent, ad nutum tamen Archidiaconi, exceptis aliquibus Antiphonis ad Evangelium in Paschate, quarum impositio Diaconis tribuebatur, ut videre est in appendice vulgata à Thomasio p. g. 89. & sequentibus. Caterum nusquam invenitur in antiquioribus ritibus, ut Pontifex, vel Presbyter in Divinis Officiis Antiphonam incipiat; id enim vel maxime solemnioribus diebus praestitissent; cum iisdem tamen diebus in prisca Codicibus id constanter occurrat, ut Cantor, vel Primicerius Antiphonam incipiat; generatim namque totum Ecclesiasticam Cantilenam Officium ad Subdiaconos, & inferiorum graduum Clericos olim pertinebat, ut S. Gregorius Magnus decrevit, cujus statutum refertur in cap. In sancta Romana Ecclesia dist. 91. Sermo nunc est de Ritibus servatis ab Ecclesia Romana; praetermittimus enim afferre, quid apud alias Ecclesias in usu fuerit. Praefatus mos antiquus servatur in Officiis celebratis coram Romano Pontifice, in quibus (nisi ipsemet celebraturus sit Missarum sollemnia in crastinum) Antiphonas, neque ipse, neque Cardinales, sed soli Cantores, imponunt. Quando autem Pontifex intonat Antiphonam, post *Gloria Patri*, Subdiaconus eidem Papae stando, capite inclinato, submissa voce, praintonat Antiphonam, v. g. *Rex pacifcus*, & postea flectit genua ante eum, & iterum Papa reincipit Antiphonam, qua dicta, sedet, statimque Chorus incipit . . . . . secundam Antiphonam incipit Diaconus, qui stat à dexteris: tertiam incipit Episcopus Cardinalis, qui servit in Officio Presbyteri: quartam incipit prior Presbyterorum Cardinalium: quintam Diaconus Cardinalis, qui stat à sinistris, & iste ordo observatur, quandoque Vesperae sunt Papales. Et haec

traduntur in Ordine Romano XV. Auctore P. Amelio num. 6.

In aliis autem Ecclesiis tum Cathedralibus, tum Collegiatis, necnon in nonnullis Regularium solent etiam Presbyteri in Choro interessentibus Antiphonas imponere, servato hoc Ritu, ut quando Officia sollempniter celebrantur, Antiphonae ab aliquo Cantore praintonentur, live annuncientur illi, qui debet Antiphonam imponere. Hinc in Ceremoniali Monastico lib. 2. cap. 6. §. 1. in quo agitur de munere Cantorum in Vesperis sollempnibus, describitur, quomodo praedicti Cantores indui debeant Albis, & Pluvialibus, & quomodo se gerere, cum pervenerint ad Altare, & prope sedem Celebrantis &c. Denique num. 4. praescribitur, quod primus Cantor ad initium Versiculi *Sicut erat* se inclinabit aliquantulum aliis Cantoribus, qui & ipsi vicissim facient minimam inclinationem, & statim descendet à sedili suo; tum ante Analogium stans, profundè se inclinabit Altari, & manibus junctis (si non utatur Baculo) accedet ad Celebrantem, cui primam Antiphonam praecinet, inclinans se debite prius, & post; ac eadem viâ revertetur ad sedem suam, sicque alii Cantores ordine suo senioribus aliis reliquas praecinent Antiphonas. Advertitur praeterea in dicto Ceremoniali, quod quando aliquis Cantor accedit propius ad sedem Celebrantis, ut ille, qui proximus est ei, praecinet Antiphonam, debet praecentor inclinari profundè Celebranti, si sit Superior, ac deinde mediocriter ad eum, cui secundam Antiphonam praecinit. Aliae sunt ceremoniae praestandae ab eisdem Cantoribus, quae diversa sunt, juxta diversarum Ecclesiarum consuetudines, & ceremonialia. Sed de praetintatione Antiphonarum alibi etiam sermonem habebimus, & quomodo facienda sit in Cathedralibus, vide in Ceremoniali Episc. lib. 2. cap. 1.

Congruam nunc videtur exhibere sequentia Decreta, utpote ad presentem materiam spectantia.

Magister Ceremoniarum non potest alterare, seu mutare consuetudinem circa præintonationem Antiphonarum ad Vesperas. S. R. C. 28. Aprilis 1607. in *Suessarien.* & hoc Decretum datur in nostro Indice sub num. 25.

Antiphona in Choro Cathedralis postquam primo loco data fuerit Celebranti à cornu Epistolæ, danda est secundo loco primæ Dignitati, sive à cornu Evangelii, sive à cornu Epistolæ existenti, & sive interveniat, sive non, prima Dignitas, quæ sedet à dextra parte Evangelii, non obstante allegata consuetudine. S. R. C. 21. Martii 1665. in *Senogallien.* & datur in nostro Indice sub num. 90.

Antiphonas primas recipere in Choro & Spiritum Sanctum invocare in Capitulo, spectat ad primum Canonicum Metropolitanæ, seu Cathedralis Ecclesiæ, quando tamen talis Canonicus sit constitutus in Ordine Episcopali, non autem spectat tunc ad primam Dignitatem primas Antiphonas recipere, Sac. Rit. Congr. 17. Novemb. 1674. in *Neapolitana*, & datur in nostro Indice sub num. 99.

Locus concinendarum Antiphonarum est Chorus, qui olim tabulis marmoreis circumcinctus in Ecclesiæ sinu ante Sanctuarium, sive Presbyterium situs erat, extatque etiam nunc vetus hujusmodi Chorus in Titulo S. Clementis in Urbe: ibi enim bifariam dispersi Clerici Cantores consistebant ad cantandum, & ex binis Classibus duo Chori resultabant; sicque Chorus Choro, ut voce, ita & loco, correspondebat. Et sicut in Antiphonis concinendis, suisque Psalmis, vel Versibus Chorus Choro correspondebat alternis; ita in earum impositione Antiphonarum ordo servabatur alternus, ut una quidem Antiphona ab uno Cantore unius Chori

inchoaretur, alia ab alio alterius Chori; sicque deinceps semper alternè. Amalarius lib. 4. cap. 7. hæc testatur dicens: *hanc vicissitudinem Charitatis significant Cantores, qui alternatim ex utraque parte Antiphonas levant, id est, incipiunt.*

In Antiphonis inchoandis exordium sumebatur ab antiquioribus Cantoribus ad inferiores usque descendendo; discrimen tamen erat inter binos ipsos Choros hebdomadatim sibi adscribentes Officiorum exordia, per unam scilicet hebdomadam in uno Choro inchoabatur prima Antiphona cujusque Officii, & per hebdomadam aliam in Choro altero. Diebus autem sollempnibus in Schola Cantorum Ecclesiæ Romanæ ad Primicerium, ut diximus, pertinebat primam Antiphonam exordiri; porro Primicerii locum in dextera Chori parte fuisse, & Secundicerii in sinistra, Thomæ pro certo habet; ea autem censetur Chori pars dextera, non quæ ad dexteram erat ingredientium Ecclesiæ, sed ea, quæ ad dexteram erat Sacerdotis ad Altare stantis, hoc est ad Austrum, quo etiam viri confluebant, mulieribus ad Aquilonem consistentibus, ad sinistram scilicet Sacerdotis ad Altare stantis. Ita pro varia Ecclesiarum structura, & aspectu ad diversam Cæli plagam Ecclesiæ dexteram, vel sinistram partem accipiebant Antiqui. Quare in Basilica Lateranensi, Vaticana S. Petri, Exquilina S. Mariæ Majoris, ac Titulis S. Clementis, Sancti Marci, aliisque quàm pluribus Ecclesiis Urbis, quarum prospectus anterior Orientem spectat, ac Sacerdos ad Altare stans respicit Populum, & Templi fores, ea censenda est pars Ecclesiæ dextera, quæ ad sinistram occurrit eadem Ecclesiæ ingredientibus, quæ videlicet ad Austrum est, in qua & Ambo Evangelii, & Senatorium erat, sicut adhuc videtur in Ecclesia S. Clementis. Cantores in binas Classes dispersi in Antiphonarum cantu, Psalmorumque, & Canticorum, quæ cum Antiphonis decantabantur, neque Altare,

neque Orientem, sed se invicem è regione aspiciabant; nec sedentes, sed consistentes hinc, illincque alternè caneabant; id testante Duran. *lib. 5. cap. 2. nu. 30.* ubi ait: Clerici Antiphonas cantantes non vertunt vultus ad Altare, sed se invicem versis vultibus respiciunt. De corporis statu erecto in Antiphonarum cantu meminit Johannes Cassianus de *Institut. Renunciatorum lib. 3. cap. 8.* ita scribens: *Cum stantes Antiphonas tres concinuerunt &c.* Hæc pariter placuit ex Thomasio depromere pro exacta noticia antiquorum Rituum canendi Antiphonas.

Pro Coronide tamen hujusce Capituli, & hujusce materiæ, seu Antiphonarum concinendarum Rituum, meminisse opus est, Divum Gregorium Papam prædictis Antiphonis, atque earum Cantui instituendo operam dedisse, librumque componi curasse, Antiphonarium appellatum. Præfatus enim Pontifex, sicut vetustum Codicem Sacramentorum (quem Gelasianum postea appellaverunt) in unum librum abbreviavit, ad usum præcipuè publicarum Stationum Ecclesiæ Romanæ, qui Sacramentarium Gregorianum passim est vocatus; ita & libros Antiphonarios, necnon Responsoriales recensuit, ac ordine meliori disposuit; id quod in pluribus MSS. Antiphonariis Monasterii Sancti Galli in Helvetiis, Versiculi præpositi ostendunt, dum dicunt: *Hoc quoque Gregorius, Patres de more sequutus, instauravit opus.* Ob eam itaque recensionem, aptioremque dispositionem S. Gregorio Magno Responsoriales libri, & Antiphonales veteres adscribunt, quorum testimonia videri possunt apud probatos Auctores, ut sunt Monachus Engolismensis in *Vita Caroli Magni cap. 8. tom. 2. Histor. Fran. orum Duchesne*, Johannes Diaconus in *Vita ejusdem S. Gregorii lib. 2. cap. 6. & seqq.* Micrologus *cap. 25.* Eanehardus Junior in *Vita B. Norckerii Balbuli cap. 2.* in actis Sanctorum eruditissimorum Heuschienii, & Papebrochii die 6. Aprilis, & alii. Hujusmodi Antiphonarii Gregoriani

Codices varii reperiuntur, sed diversi inter se, testante Amalario, aliter se habere Antiphonarium Corbejense (quod Romanum appellare solet, quia à Gregorio IV. Walla, Abbas Corbejenis, acceperat) atque aliter Metense, quod Româ sub Carolo Magno deportatum Metis est collocatum. Romanum Antiphonarium postquam in Gallias devectum est, complures à Gallicanis Magistris accessiones habuit; id quod disertis verbis testatur Walfridus Strabo, qui IX. Seculo floruit, *lib. de Reb. Eccles. cap. 25.*

Diligentissimo nostro Thomasio animus fuerat, pura, ac germana S. Gregorii Antiphonaria è tenebris proferre, sed cum ea nancisci nequiverit, vetustiora saltem, quæ habere potuit, edere curavit, quia quo antiquiores sunt Codices Rerum Ecclesiasticarum, eò propius accedunt ad priscos fontes, unde derivantur, minusque recentiorum additamentis sunt infarciti. Quamobrem duo Antiphonaria in sua collectione evulgavit, quæ etsi germanam illam, puramque S. Gregorii institutionem illibatam haud exhibeant, utriusque tamen Codicis mutua collatione id fieri posse arbitratur, ut ferme deprehendantur, quæ ex Sancti Gregorii institutione, vel subsequenti antiquorum temporum usu sunt profecta. Ex prædictis duobus Antiphonariis à clarissimo Thomasio editis, primum est Vaticanæ Basilicæ membranaceum, notis musicis, non iis, quæ hodie sunt in usu, connotatum. Hoc Antiphonarium exhibet, Rituum solitos usurpari in Ecclesiâ Romana Seculo XII. ut unusquisque facile agnoscat, qui illud contulerit cum Rituali Benedicti Canonici scripto ad Guidonem de Castello, qui postea Summus Pontifex fuit, & Cælestinus II. appellatus. Alterum Antiphonarium ab eodem Thomasio evulgatum, quod S. Gregorium institutorem perhibet in versiculis initio præfixis, membranaceum est, notisque musicis antiquis condistinctum, servaturque in Bibliotheca Monasterii S. Galli in Helvetiis, cujus exemplar, ut & alia quam-

quamplura, quæ ex eodem Monasterio protulit laudatus Thomafius in appendice sui voluminis, cuncta peramanter descripta se recepisse fatetur à viro claro D. Hermanno Shenk, illius Cœnobii Bibliothecario. Prædictum Codicem refert Thomafius ad X. vel XI. Seculum ob Officium præsertim SS. Trinitatis in eo contentum, quod ignotum erat Seculis prioribus. Post Johannis Diaconi ætatem omnino conscriptum fuisse, satis demonstrant Antiphonæ in Festo Beati Grego-

rii ab ejusdem Sancti Vita, quam Johannes ille texuit, excerptæ. Antiquiorem demum Alexandro II. hunc Codicem deprehendit Thomafius ob id maxime, quod in Dominica Septuagesimæ nocturna, & matutina Officia Allelujatica contineat; Alexander enim II. sua sanctione prætermitti jussit *Alleluja* pridie illius Dominicæ; cum antea ipsamet Dominica post Matutinum tantummodo omitteretur.

## De Psalmis. XXII.

## RUBRICA.

- 1 **P**salmi in Officio de Tempore per omnes Horas in Dominicis, & Feriis dicuntur eo modo, quo distributi sunt in Psalterio; nisi aliter in Proprio de Tempore signentur. In Festis autem dicuntur, ut in propriis locis signantur: alioquin, ut in Communi Sanctorum.
- 2 Psalmi ad Laudes de Dominica, cum Cantico, Benedicite, dicuntur in omnibus Festis per Annum, & in Feriis temporis Paschalis.
- 3 Psalmus, Confitemini, dicitur ad Primam cum aliis Psalmis in Psalterio assignatis, in omnibus Dominicis (quando Officium sit de Dominica, ut in Psalterio, etiam in Dominicis, quæ occurrunt infra Octavas Sanctorum) à tertia Dominica post Pentecosten inclusivè, usque ad Nativitatem Domini exclusivè: & à secunda Dominica post Epiphaniam inclusivè, usque ad Septuagesimam exclusivè: à Septuagesima autem usque ad Pascha, ejus loco dicitur Psalmus, Dominus regnavit, quia Psalmus, Confitemini, tunc dicitur ad Laudes post Psalmum, Miserere, ut suo loco ponitur. In Dominicis verò temporis Paschalis à Dominica in Albis inclusivè, usque ad Ascensionem exclusivè, dicuntur tantum tres Psalmi sicut in Festis, addito Symbolo S. Athanasii. Alii Psalmi per singulas Ferias distributi ad Primam, dicuntur singuli loco Psalmi, Confitemini, in Feriali tantum Officio, quando de Feria agitur extra tempus Paschale. In Feriis verò temporis Paschalis, in Festis per annum, & in Sabbato, sive de S. Maria, sive de Feria fiat Officium, dicuntur tantum tres Psalmi, scilicet, Deus in nomine tuo, Beati immaculati, & Retribue, etiamsi Festum Duplex celebretur in Dominica.
- 4 In Dominicis autem, quando Officium sit de Dominica, ut in Psalterio, post Psalmos additur semper Symbolum S. Athanasii, Quicumque, ut infra in propria Rubrica dicitur.
- 5 Psalmi Horarum, scilicet ad Tertiam, Sextam, & Nonam, & ad Completorium, nunquam mutantur, ut in Psalterio, sive de Sanctis, sive de Tempore fiat Officium.

6 Psal-

- 6 *Psalmi de Dominica ad Vesperas, ut plurimum dicuntur in Vesperis Fectorum, excepto ultimo, qui mutatur; cum vero aliter fieri debet, suis locis notatur. In Vesperis infra Octavam dicuntur Psalmi, ut in secundis Vesperis Festi; sed in primis Vesperis diei Octava dicuntur, ut in primis Vesperis Festi, nisi aliter notetur.*
- 7 *In fine Psalmorum semper dicitur, Gloria Patri, praterquam in Psalmo, Deus Deus meus, ad te de luce vigilo, & in Psalmo, Laudate Dominum de Caelis, qui conjunguntur cum aliis Psalmis, & in fine ultimi tantum dicitur Gloria, in suis locis notatur. Praterquam non dicitur in triduo majoris hebdomada ante Pascha, nec in Officio Defunctorum, cujus loco pro Defunctis dicitur, Requiem aeternam dona eis Domine, etiamsi fiat Officium pro uno tantum.*
- 8 *Ut sacra vulgata editionis puritas inconfusa, & illibata servetur, etiam quoad interpunctiones, & distinctiones in Sacris Bibliis appetitas, additus est Asteriscus, ut sit nota musicae partitionis in medio versu.*

## Novæ Observationes & Additiones ad Gavanti

### Cap. VIII. De Psalmis.

I. Gavant, pag. 58. col. 1. n. 1. -- *Si Psalterium Sacerdos ignoret &c.*) Quanti momenti esset apud veterem Ecclesiam hæc disciplina, ut Clerici Psalterium totum animo perciperent, & memoria custodirent, præter August. testimonium, hic à Gavanto nostro laudatum, illud etiam præclare demonstrat, quod legimus de Gregorio Magno, qui Episcopam ordinare recusavit Johannem Presbyterum, utpotè Psalmorum nescium, & id habetur in ejusdem Pontificis Epistola 44. lib. 4. Idem Sanctissimus Pontifex antequam quempiam ordinaret Episcopum, inquirebat, an Psalmos memoriter teneret, nec ne, ut colligitur ex Epistola 34. lib. 8. ad Episcopum Clulinum de Johanne Diacono promovendo in Episcopatum Balneoregientem, ubi hæc scribit: *Requirendum quoque est, si in opere Dei studium habuit, vel Psalmos novit.* Et in Epistola 6. libri 12. habetur, quod ab eodem Pontifice repulsus fuit ab Episcopatu Anconitano, ad quem erat electus Rusticus Diaconus, qui Psalmorum ignarus repertus fuit. Hunc eundem morem in ordinandis primi Ordinis Sacerdoti-

bus reintegravit Oecumenica Synodus Nicæna II. his verbis: *quoniam Psallentes Deo spondemus: in justificationibus tuis meditabor; non obliviscar sermones tuos: omnes quidem Christianos salutare est hoc servare; eos autem præcipuè, qui Sacerdotalem Dignitatem obtinent; quamobrem decernimus, quemlibet, qui ad Episcopalem gradum est provehendus, Psalterium omnino nosse: ut ex eo omnem quoque suum Clericum ita institui moneat.* Concilium pariter Toletanum VIII. Anno Domini 653. coactum, hunc justissimum Canonem edidit, ut videre est Tom. 2. Collectionis maximæ Conciliorum Hispaniæ factæ à Sapientissimo Cardinali Josepho Saenz de Auguirre pag. 566. -- *Solicite constituitur, atque decernitur, ut nullus cujuscunque dignitatis Eccl. si. st. ca. deinceps percipiat gradum, qui non totum Psalterium, vel Canticorum usualium, & Hymnorum, sive baptizandi perfecte noverit supplementum* -- Hujus Canonis memores PP. Concilii Coyacensis in Diœcesi Ovetensi Anno 1050. decreverunt, *ut Archidiaconi tales Clericos, constitutis quatuor temporibus, ad ordines ducant, qui perfecte totum Psalterium, Hymnos, & Cantica,*

ica, Epistolas, Evangelia, & Orationes sciant. Hoc idem antiquæ Disciplinæ caput Anno 889. suis Presbyteris commendat Riculphus, Sueffionum Episcopus, cum in sua ad illos Constitutione scripsit. *Monemus, ut unusquisque vestrum Psalmos, & Sermonem Fidei Catholicæ, cuius initium, Quicumque vult salvus esse, & Canonem Missæ, ac Cantum, vel computum memoriter, & veraciter, ac correctè tenere studeat.* In Ecclesia etiam Constantinopolitana inter veteris suæ disciplinæ Officia id fuit, ut Clerici Psalmos omnes memoriter complecterentur: hinc Gennadius, ejusdem Sedis Antistes, is, qui Anatolio successit, non diu post Chalcedonense Concilium noluit ordinare Sacerdotem Diaconum illum, qui prius Psalterium ledulo in ore non habuisset: Ita Nicephorus *lib. 5. Histor. cap. 27.* & Theodorus Lector in *Collectan.* narrat, Archiepiscopum Leonem in more habuisse, ut neminem Sacris Ordinibus initiaret, qui Psalterium nesciret. Cæterum Psalmos memoriter, & sine libro cantandi mos diu viguit, ejusdemque moris adhuc in quibusdam locis remanserunt vestigia, ut de Ecclesia Lugdunensi, & Rhotomagensi &c. nec non de Carthusianis asseverat Gullanvileus in notis suis eruditissimis ad suprâ memoratam Epistolam 45. Divi Gregorii. Immo hanc esse disciplinam PP. Benedictinorum præscriptam à S. P. Benedicto, infert Hæphtenus *lib. 7. tract. 4. disquisit. 2.* ex verbis suæ Regulæ, quæ habentur *cap. 9.* & hanc esse antiquam veterum Monachorum consuetudinem, Psalterium, aliosque Sacræ Scripturæ libros memoræ commendandi, pluribus auctoritatibus ostendit Edmundus Martene in suo eruditissimo Commentario ad prædictum *cap. 9.* Regulæ S. Benedicti.

II. Gavant. pag. 58. col. 2. n. 2. -- *Unde ferè idem est Psalmus, quod Hymnus &c.* Psalmos Davidicos, Hymnos quoque, & appellatos fuisse, & bene appellari posse, nos pariter suprâ insinuavimus, agentes de Sacris Gavant. Rubr. Brev.

Hymnis. Quapropter licet ex usu Ecclesiæ Hymnus strictè acceptus distinguatur à Psalmis, ut innotescat discrimen inter Laudes Divinas à Davide factas, & alias Laudes à Catholicis Doctoribus compositas, nihilominus si vera significatio attendatur, idem omnino sunt Hymnus, & Psalmus, utraque enim vox explicat Laudem Dei cum metro, & utraque exigit cantum ad sui perfectionem; idcirco qui à nobis dicitur *Liber Psalmorum*, ab Hebræis dicitur *Liber Hymnorum*, & Philo *lib. de Mundo* loquens de Davide, Psalmorum Auctore, vocat eum nomine Hymnographi. Has, & alias rationes in hujusce veritatis comprobationem adducit P. Anacletus Siccus in præfatione præfixa suo erudito libro inscripto *de Ecclesiastica Hymnodia*, in quo agit de Divina Psalmodia, quæ quidem liber prius ex Italico prælo in lucem emissus, paucos post annos Antverpiæ Typis Plantinianis fuit recusatus.

III. Gavant. pag. 58. col. 2. n. 3. -- *Psalterium, quo Romana Ecclesia utitur &c.* Primam Latinam Scripturæ Versionem Romæ factam fuisse, verisimile est, statim enim ut Romani Christianam Religionem amplexi sunt, Sacra Scriptura ex Græco, in ipsorum idioma translata fuit, & equidem tanta est hujusce Versionis antiquitas, ut translatoris nomen ignoretur; Itala tamen appellata est hæc Versio, & usque modò hoc nomen retinet, & est communis sententia, quòd ex veteri illa Græca LXX. Interpretum expressa fuerit. Aliæ postea pariter ex Græco textu LXX. & non ex Hebræis fontibus Latinæ Versiones prodierunt, quia, ut scribit S. Augustinus *libro 2. de Doctrina Christiana cap. 11.* quicumque sibi videbatur utramque linguam, Græcam, & Latinam aliquantulum callere, ausus est novam Sacrorum Bibliorum exarare interpretationem. Sed inter omnes illa ubique recepta fuit, quæ Itala dicebatur, ipso Augustino testante *lib. cit. cap. 15.* his verbis: *In ipsis interpretationibus*

Y

Itala

*Itala ceteris praeferatur, nam est verborum tenacior cum perspicuitate Sententia.*

Hæc versio Romana pariter appellata fuit, quia illam ab initio recepit Romana Ecclesia, & quia forsitan, ut mox dixi, hæc versio Romæ ex Græco Textu fuit expressa ab aliquo Apostolorum Discipulo, & à primis Ecclesiae Fundatoribus visa, & approbata, atque ab his simul cum fidei depositio successoribus concredita. Hac versione non solum Sedes Apostolica, sed & reliquæ Occidentales Ecclesiae utebantur; quamvis in eam temporis progressu aliqua mutationes irreperint, vel Scriptorum audacia, sive oscitantia, vel Episcoporum licentia, qui vel verba, vel sententias ad suæ Regionis idiotismos accommodarunt. Porro integrum hujus versionis corpus nullibi extare autumat Cardinalis Bona lib. 1. de Rebus Liturgicis cap. 3. cum enim Hieronymi versio tanquam Hebraicis exemplaribus magis respondens cœperit in Ecclesiis legi, citari à Conciliis, & à Scriptoribus exponi; vetus illa negligi cœpit, donec tandem omnino periit, quod ducentis, & amplius Annis post Hieronymum contigisse putat idem doctissimus Cardinalis; solum autem Psalterium remansit, quia, cum illud Fideles adhiberent in Divinis Officiis, ipsumque memoriae diligenter mandassent, adduci non potuerunt, ut novam editionem Hieronymianam ediscerent. Ex hoc Psalterio S. Gregorius Introitus Missarum, & reliqua excerpit, quæ in suo Antiphonario continentur. Hujus Italicae versionis præcipuos errores Romæ circa Annum 382. jussu Damasi Papæ correxit S. Hieronymus ad Fidem editionis LXX. à qua Italica versio non semel discrepabat. Correxit, inquam, vir Sanctus editionem illam Latinam, sed tumultuario opere, ut ipse testatur in Epist. ad Paulam, & Eustochium: *sicut cursim magna illud ex parte correxi.* Eo Psalterio, ita ab Hieronymo correcto, usæ est primæ Ecclesiae Romanae, deinde ad alias Ecclesias, sed minori successu, delatum est; Populi enim

antiquæ assueti versioni, S. Doctoris correctiones negligebant, ita ut non multo post tempore totum opus mendis fœdaturum fuerit: *Quod quia rursus vide: i* (ita Hieronymus ad Paulam, & Eustochium) *Scriptorum vitio depravatum, plusquam antiquum errorem, quam novam emendationem valere me cogitis &c.* Quapropter duabus prædictis Matronis instantibus circa Annum 384. novam ipsæ veram versionem Latinam, cum Bethlehem versaretur, à Textu LXX. expressam suscepit; quæ non fuit pura correctio, ut prima Romæ facta, sed vera nova versio, & quidem accuratissima, atque omnino emendata, & de hac sua editione scribit ille ad Sophronium dicens: *Quoniam (LXX) translationem diligentissime emendatam olim mea lingue hominibus dedi.* Psalterium hoc Bethlehem ab Hieronymo secundò emendatum, illud idem est, quo nunc in Breviariis utitur Romana Ecclesia, & quod in corpore Sacrorum Bibliorum reperitur; & quod etiam Gallicanum est appellatum. Prima autem editio Psalterii etiam juxta Hieronymi correctionem Romana dicta fuit, & ad illam veterem Latinam interpretationem pertinere non levi conjectura creditur, quam Divus Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 11. Italiam appellat. Primi, qui ab hac Itala veteri Psalmorum editione discessere, fuerunt Galli; hi etenim alteram B. Hieronymi veram versionem, & correctionem diligentissimam Bethlehem factam, obelis, & asteriscis, additionibusque ex Theotione desumptis condistinctam, priori prætulerunt, post S. Gregorium Turonensem Episcopum, qui illam, ut scribit Wulfridus Strabo de Reb. Eccles. cap. 25. à Partibus Romanis mutuatam, in Galliarum dicitur Ecclesiam transtulisse, unde & Gallica dici cœpit. Ex Galliis mox in Germaniam facilè commigravit, ipsomet Wulfrido scribente - Galli, & Germanorum aliqui secundum emendationem, quam Hieronymus Pater de LXX. editione composuit, Psalterium cantant. - Eruditif-

ditissimus tamen Mabillon in sua *Disquisitione de Cursu Gallicano* num. 22. demonstrare contendit, eo tempore, quo Gregorius Turonensis Antistes Historiam suam scribebat, Psalterium ab Hieronymo emendatum, quod Gallicanum vocatur, nondum in Gallia receptum fuisse, sed admissum putat tale Psalterium medio Gregorium inter, & Walfredum intervallo, opera fortasse S. Bonifacii Moguntini Pontificis, qui illud Gallicanis, Germanisque Ecclesiis probabiliter tradidit.

IV. Gavant. eod. n. 3. -- *Quod adhibetur Roma in ade Vaticana S. Petri &c.* Prima, seu Romana Psalmorum editio nonnisi post X. Christi Seculum in Italia ipsa sensim commutari cepit, nam cum S. Franciscus suis Fratribus praeceperit, ut secundum Riturum Ecclesiae Romanae Divina peragerent, excepto Psalterio Romano; hinc discimus, per id tempus in Umbria Romanam Psalterii editionem obsolevisse, & Psalterium juxta Divi Hieronymi interpretationem in usu fuisse. Res inde eò deducta est, ut sub Sixto IV. Roma tantum, ejusque districtus (continentia scilicet Urbis, quaquaversum ad XL. lapidem protensa) priscam Romanam editionem retinuerint. Et eundem in Archivo Canoniceorum Basilicae Liberianae S. Mariae ad Praesepe, extat Psalterium Romanae editionis hac inscriptione praenotatum -- Ad honorem omnipotentis Dei, & gloriosissimae Virginis Mariae, Matris ejus, incipit Psalterium ad usum Venerabilium Dominorum Canoniceorum Venerabilis Basilicae, & Ecclesiae S. Mariae Majoris de Urbe, secundum consuetudinem Clericorum Romanae Urbis, ejusque districtus &c. -- Quodque Psalterium scriptum, & illuminatum fuit sumptibus, & expensis nobilissimae Dominae, Donnae Caredonnae de Annibalis de Urbe, tempore Archipresbyteratus Reverendissimi Domini, Domini Guillelmi de Estoutevilla, Episcopi Ostiensis, Cardinalis Rothomagensis, ac SS. D. N. Sixti P. IV. Camerarii di-

gnissimi, sub A. D. 1480. tempore SS. Domini, Domini Sixti PP. IV. Anno verò ejus nono.

Hispaniam autem quod attinet, ad S. usq; Gregorium VII. Romana Psalterii editione usam fuisse, indubitanter creditur, nam ad id usque temporis proprium Riturum constanter tenuit, quem Mozarabicum dicunt, in quo Psalmi ex prima Romana editione continentur; quin etiam nunc, ubi Ritus ille adhuc in Hispania viget, juxta eandem editionem psallitur. Tandem inharendo Decreto Concilii Tridentini, S. Pius V. Pontifex Maximus Breviarium Romanum in meliorem formam redegit, & ad communem ferè omnium Ecclesiarum usum restituit, ejusque jussu tunc ubique recepta est Vulgata, seu Gallicana Psalmorum editio, praeterquam in sola Basilica Vaticana, in qua nunc etiam vetus Psalterium juxta antiquam, & Italicam dictam editionem religiosissime recitatur, & accuratè sublatis mendis, quae irreperant, pristinae integritati restitutum, quod notat etiam Cardinalis Bona *loc. supra cit. num. 4.* Eadem versione extra Urbem utitur etiam hodie vetusto more Ecclesia Ambrosiana, necnon Ducalis Basilica S. Marci apud Venetias, & in Hispania, ut dixi, utuntur eodem Psalterio antiquo Romano omnes Clerici illi, qui ex institutione Francisci Ximenes, Archiepiscopi Toletani, psallunt juxta Riturum Mozarabicum. Reliquae autem omnes Occidentales Ecclesiae unicum tantum Psalmum, nempe XCIV. qui Invitatorius dicitur, quotidie juxta Italiam editionem recitant, & solum in sollemni Festo Epiphaniae ferè ab omnibus recitatur idem Psalmus juxta editionem Vulgatam, & Gallicanam.

Præfati utriusque Psalterii Codices tam Romani veteris, quam Gallicani exactissimis exemplaribus respondentes in lucem emisit saepe laudatus Card. Thomasius Romae Anno 1683. Typis Tinassii, præmissâ juxta morem suam eruditissima Praefatione.

Recentissime autem in Tom. 4. Anastasii, Bibliothecarii Salvionianæ & Vaticanae editionis, insertum reperitur Psalterium cum Canticis juxta Vulgatam antiquam Latinam, & Italiam Versionem, Veribus prisco more distinctum, quod in Romana Ecclesia ab Apostolico ferè ævo usu receptum; postmodum verò à Divo Hieronymo recognitum, & emendatum; nunc etiam intactum ex parte, ac ferè primævum (in aliquibus enim ad laudatam Divi Hieronymi Versionem castigatum, atque compositum est) in Sacrosancta Vaticana Basilica obtinet, ut dixi, caniturque vicissim in Divina Psalmodia. Prædictum Psalterium è tenebris Archivi Cathedralis Ecclesiæ Veronensis, recens in lucem emissum fuit ex Codice Græco-Latino miræ, ac plusquam millenariæ antiquitatis, uncialibus characteribus exarato, summa fide, ac diligentia, in omnibus ferè locis, in quibus ab Editione Vulgata, Clementis VIII. jussu recognita, discrepat, & cum veteribus Psalteriis collatum, opera, & studio Josephi Blanchini, præstantissimi Viri, Veronensis Congr. Oratorii Presbyteri de Urbe.

Antequam postremam manum nostris hæc Observationibus imponam, meminisse lubet, quod Divus Hieronymus in Correctione, & Versione Psalmorum ter laboravit. Primò Romæ, quando jussu Damasi Pape Italiam Psalmorum Versionem, ex Translatione LXX. Interpretum expressam, à nonnullis mendis expurgavit, quæ Versio ita emendata, statim à Romana Ecclesia recepta fuit. Secundò in Psalmorum versione, & correctione laboravit Hieronymus, quando Bethlehem degens instantibus Paula, & Eustochio admiscuit editioni LXX. editionem Theodotionis, obelis, & asteriscis notatam, de qua versione jam satis supra. Tertio denique aliam versionem Psalterii adornavit S. Doctor, & est illud Psalterium, quod Hebraicum nominatur, quia nimirum petente Sophronio vertit immediatè ex Hebraicis

Fontibus, quæ versio extat inter opera ejus, & quia ex Hebraico Textu immediatè translata fuit, ab aliis duabus suis Editionibus, Græco Textui LXX. consonis, plurimum discrepat, tam in verbis, quam in sententiis, ut quisque potest ex utriusque collatione prospicere. Hæc autem ideò recepta non fuit, quia duæ Priores quotidiano usu in Ecclesiis frequentatæ, sine magna Divini Officii perturbatione, abrogari non poterant. Adlaboravit etiam super Davidicum Psalterium maximus hic Ecclesiæ Doctor, quando diligenter adnotavit discrepantias inter Psalterium Græcum, & Latinum, admonendo, quodnam Hebræo magis congrueret, ut colligitur ex ejusdem Epistola 135. quæ est ad Suniam, & Fretellam.

V. Gavant. pag. 58. col. 2. n. 4. -- *Communior est sententia, esse omnes unius Davidis &c.*) Agit hoc loco Gavantus de Psalmorum Auctore; circa quam quæstionem non una est, sed varia Patrum Sententia, ut etiam Gavantus fateatur, alii enim omnes Psalmos uni Davidi tribuunt, alii verò aliquos Psalmos alijs Auctoribus adscribunt. S. Chrysostomus in *Psalmum* 50. S. Ambrosius *Præfat. in Psalm.* S. Augustinus de *Civitate Dei* lib. 17. cap. 14. Theodoretus *Præfat. in Psalmos*, Calliodorus *Prolegom. in Psalmos*. Euthymius *Præfat. in Psalmos*, Philastrius *heresi* 79. priorem amplectuntur sententiam, quam Gavantus communem appellat. Oppositam tamen opinionem tuentur S. Hilarius *Prolegomen. in Psalmis*. Vulgatus Athanasius in *Synopsi*, S. Hieronymus *Epist. ad Sophronium*, & *Epist. ad Cyprianum*, aliique sexcenti, ut asseverat Celebris Vir Augustinus Calwet in sua eruditissima Dissertatione super hac materia, in qua utriusque opinionis rationes diligenter discutit, nec non allegatorum Auctorum monumenta, & concludit, tantam esse Turbam Scriptorum ex utraque parte, oppositam Sententiam sustententium, ut si auctoritate res agenda esset, ancipites versaremur; & cum

Textus

Textus Scripturæ, Patrum Testimonia, & Ecclesiæ Traditio nihil in ea re satis certi habeant, ideo post sedulam discussionem, quæ magis probatur sententiam tenere, singulis permillum esse arbitrat.

VI. Gavant, pag. 59. col. 1. n. 6. -- *Ordo Historiæ ut difficillimè haberi potest &c.*) Triplicem Ordinem Psalmorum Gavantus num. 5. proponit, nempe Biblicum, Historicum, & Ecclesiasticum; hoc numero verò 6. agens de Ordine Historico, quo scilicet tempore quisque Psalmus fuerit compositus, adstruit, quod difficillimè haberi potest; hanc tamen chronologicam Psalmorum seriem supralaudatus Calmet diligentissime tradit post Dissertationem, quam exaravit in quindecim Psalmos Graduales.

VII. Gavant, pag. 59. col. 2. n. 8. -- *Ut ipse Damasus faceret in Epistola ad Hieronymum in Tom. 1. Conciliorum &c.*) Nullo modo admitti potest, quod ante Damasi Pontificatum nullus ferè recitaretur Psalmus in Ecclesia Romana, constat siquidem ex dictis suprâ, quod Hieronymus iussu Damasi Psalterium recensuerit, & correxerit errores, qui in illud irreplerant, quod quidem Psalterium profecto usurpatum fuit ab Apostolico avo. Epistolam autem Damasi ad Hieronymum, cui assertum Gavanti innititur, supposititiam esse unâ cum Hieronymi responsione ad Damasum, eruditi omnes affirmant, & præclare demonstrat Emmanuel à Schelestrate in secunda parte Antiquitatis illustratæ. Vide etiam, quæ diximus suprâ in Observationibus ad Caput 4. num. 3. de Epistola supposititia Hieronymi ad Damasum.

VIII. Gavant, pag. 60. col. 1. n. 11. -- *Ex Institutione Damasi &c.*) Allert hoc loco Gavantus, in fine cuiusque Psalmi additum esse *Gloria Patri, & Filio* ex Institutione Damasi; verum videnda sunt ea, quæ diximus suprâ in nostris Observationibus ad Caput 4. n. 3. à quibus repetendis hæc abstinemus.

IX. Gavant, pag. 60. col. 2. n. 14. -- *Renovaverunt hæc Cantum Clerici Regulares &c.*) Mentionem hic facit Gavantus nostræ Congregationis, cui tribuitur, quod Cantum primitivæ Ecclesiæ renovaverit, nempe modico flexu vocis Psalmos canendo. Hanc simplicem cantionem ab Apostolis derivatam esse, colligitur ex S. Isidoro lib. 5. cap. 1. ubi ait: *Primitiva Ecclesia ita psallit, ut modico flexu vocis faceret Psalmum in resonantia, ita ut pronuncianti vicinior esset, quam canenti.* Apostolos imitati sunt primi illi Ægypti Patres, de quibus Cassianus Insti. ut. lib. 2. cap. 5. ait: *Ab Angelo edoctus fama est, ut a decem Psalmos parili pronuntiatione, & simplici voce tenore deinceps, ut ipse cecinerat, canerent.* Divus Augustinus postquam in vita Christiana magnos progressus fecerat, illam modulationis suavitate, quæ tantopere ipsi placuerat, simplici Psalmorum prolatione, cum gravitate factæ, postponebat. Ita enim loquitur in lib. 10. Confess. cap. 33. *Sed valde interdum, ut melos omne Carilænarum suavitium, quibus Davidicum Psalterium frequentatur, ab auribus meis removeri velim, atque ipsius Ecclesiæ: tutius quæ mihi videtur, quod de Alexandrino Episcopo Anastasio saepe mihi dictum comminor, qui tam modico flexu vocis faciebat sonare Lectorem Psalmi, ut pronuncianti vicinior esset, quam canenti.* Hæc ille; ex cuius verbis evincitur, quod in Monasteriis non modò, sed etiam in Cathedralibus Ægypti Basilicis mos ille vigeat, æquabili vocis tenore Psalmos recitandi. Eundem servasse canendi ritum Ecclesias Africanas, significat idem S. Augustinus Epist. 55. juxta novam editionem num. 34. ubi ait: *De hac re (nempe de Hymnis & Psalmis canendis) varia consuetudo est, & pleraque in Africa Ecclesia membra periora sunt: ita, ut Donatistæ nos reprehendant, quod sobrie psallimus in Ecclesia Divina Carmina prophetarum.* Denique simplicem, sobriamque hujusmodi cantionem Auctor responsionum ad Orthodoxos quest. 107. quæ Justino Martyri tribuuntur,

& S. Johannes Chryostomus *Homilia de Monachatu Tom. 5. & Homilia 14. in Epist. 1. ad Timotheum* approbant, & collaudant.

X. Gavant. pag. 60. col. 2. n. 15. -- *De aeterno Cantu est magna questio, quis fuerit Auctor &c.* De hac re loquuti sumus supra cap. 7. num. 11. ubi egimus de Auctore Antiphonarum; iis tamen, quae ibidem diximus, addimus hoc loco, quod, quamvis Henricus Valesius in suis eruditissimis Annotationibus ad Socratis Historiam, asseruerit, primos omnium Flavianum, ac Diodorum Regnante Constantio Psallentium Choros Antiochiam bifarie divisisse, & Psalmos Davidicos alternis canendos eis tradidisse, eamque rem primò in Antiochia institutam, postea ad reliquas totius orbis Ecclesias dimanasse, testante hoc Theodoro in *lib. 2. Historia cap. 24.* & ante illum Theodoro Mopsuesteno, nihilominus Valesius idem eam Psalmodiae speciem jam ante Flavianum, atque Diodorum à Syris fuisse usurpatam, colligit ex laudati Theodori Mopsuesteni fragmento, quod refert Nicetas in *Thesaurò Orthodoxae Fidei lib. 5. cap. 13.* idque magis firmatur, ex quo praedictos Monachos Flavianum, & Diodorum Theodoritus *cit. loc.* ut adstruit Gavantus, alterni Cantus potius Instauratores vocat, quam Institutores. Quidquid autem sit de Auctore hujusce ritus; alternum Cantum tempore Gregorii Nazianzeni in Monasteriis utriusque sexus jam receptissimum fuisse, manifestum est ex jambico ejus carmine de virtute sub finem; idque omnibus notissimum esse dicit. Eorum Chorum Angelicum vocat, qui nunc simul, nunc vicibus alternis canit: quapropter saltem inde colligitur, quod uno ferme ante Cassianum Seculo alternatim canendi ritus apud Orientales inolevit, qui sensim inde manavit ad Occidentales, ut optimè notat Mabillon. in *Disquisit. Censuræ Calligani n. 7.* erga finem. De hac re legendus est etiam eruditissimus Thomassinus in *lib. 1. Disciplina Ecclesiastica capp. 34. & 35.*

Ceterum praefatum alternatim psallentium Ritum à Lege veteri derivasse, videtur non dubitandum; in veteri enim Testamento ex Davidica institutione, Levitae in tres Choros distributi canebant coram Tabernaculo Testimonii; stabant autem juxta ordinem suum in Ministerio. Chorus medius Levitarum erat Caathitarum sub Cantore Herman; Chorus dexter Levitarum Gersonitarum, sub Cantore Asaph; Chorus verò sinister Levitarum Meraritarum sub Cantore Ethan. Primo *Paralipom. c. 6.* Eos autem per Choros decantasse, ac sibi invicem respondisse, nulli dubium esse potest, ait noster Thomassinus in *sua Praefat. ad Antiphon. Rom. Ecclesia.*

XI. Gavant. pag. 61. col. 1. n. 18. -- *Statutum esse ad Psalmos, quod hodie observant Clerici Regulares &c.* Etiam hoc loco nostrae Congregationis Ritum allegat Gavantus, quem observamus in Cantu Psalmorum. Castaldus noster in *Ceremoniali lib. 2. cap. 3. num. 3.* de Corporis habitu in canendis Psalmis juxta nostri Ordinis morem à S. P. nostro Cajetano acceptum ita decernit: *Cum Psalmi cantantur, regulariter omnes stare oportet, quod si ob Corporis imbecillitatem alicui stare non possit; arbitrio Superiori juxta ex causa concedendum relinquitur.* Idem Castaldus in *sua Praxi lib. 2. sect. 3. cap. 2. num. 2.* ait: *factis laudabilis est Religiosorum consuetudo, apud quos maxima Ecclesiastica viget observantia, Psalmos stantes praecantandi.* Sed quod magis est, talis disciplina discrete praescribitur in nostris Constitutionibus *part. 1. ca. 1. n. 10.* ubi habetur. *Psalmos Penitentiales genibus flexis, Graduales, & pro Defunctis sedentes, reliquos stantes in Choro recitent.* Quem quidem nostri Ordinis Ritum cum in citato Constitutionum loco Johannes Lorinus, Soc. Jesu praeclarus Theologus, & Psalmorum eruditissimus Interpres, advertisset, in Prolegomenis ad suos Commentarios *cap. 14.* singularitatis notam nostris impingens scripsit haec praecisa verba: *mirum est, praeter unum*

num aliquem Ordinem (nos Clericos Regulares intelligens, ut liquet ex illius contextu) nullum hodie extare, qui eo situ Corporis, aliterve, quam sedendo Psalmos in Choro decantet. Quocirca Antonium Caracciolum, eruditissimum plane Virum, & nostrarum Constitutionum eximium Interpretem & acerrimum hujus Ritus defensorem, severa nimis manu perstringit. Veram fœdè labitur Vir ille doctissimus, mos enim concinendi Psalmos, non sedendo, sed stando adhuc juxta priscam disciplinam servatur non solum à nobis, sed etiam ab aliis Regularium Ordinibus, & equidem in Rituali Cisterciensi ex Libro Usuum, definitionibus Ordinis &c. collecto, & Parisiis impresso Anno 1721. cap. 8. num. 3. legitur: *Stamus adhuc in stallis, sed vu'tibus ad invicem versis, seu Chorus ad Chororum &c. ad Psalmos, Hymnos, Cantica, & Antiphonas Communes.* Petrus Bohërius exponens verba illa; *sedentibus omnibus in scamnis*, quæ leguntur in cap. 9. Regulæ S. Benedicti; dicit: in hac Regula expressè non contineri, num standum, an sedendum sit; quando Psalmi canuntur; Menardus tamen ex iis S. Benedicti verbis satis apposite intulit, ut observat Martene ibidem in Commentario instituti sui, inter psallendum Monachos stare debere, qui enim jubentur sedere, dum leguntur Lektionen, prius stitisse psallendo necesse est, id quod aliis etiam argumentis probat Menardus, & hanc fuisse veterum Monachorum praxim, asserit, quam videre est apud S. Athanasium in libro de *Virginitate*, ubi ait: *Media nocte surgio & Psalmos dico, quantum potes, stans.* Rursus idem colligitur ex S. Johanne Chryostomo de vita Monachorum sui temporis, ita scribente *Homil. 14. in prima Timoth.* Cum ante lucem gallus emittit vocem; omnes cum reverentia discusso sopore consurgunt à suo excitati Prælato; adstantque Sacro Choro, protinus expansis manibus Sanctos concinunt Hymnos. Suprà allegatus Bohërius, quamvis dixerit, ex verbis Regulæ S. Benedicti

colligi non posse, utrum standum, vel sedendum sit, quando Psalmi canuntur; fatetur tamen, in magnis Monasteriis Sublacensi & Specus, ubi S. Benedictus primò pœnitentiam egit, Fratres in Psalmis omnino non sedisse. Quod de Sublacensi Bohërius, hoc de Cassinensi asserit Bernardus Cassinensis: *usque hodie, inquit, in Psalmis canendis non sedent Fratres in Monasterio Cassinensi, licet alibi videam sedentes alternatim per vices, quod & ego non vitupero: istud tamen, utpote magis consonum intentioni S. P. N. Benedicti, magis laudo.* Idem Bohërius, cujus verba refert Edmundus Martene *cit. loc.* adstruit pariter, in magnis Gallie Cœnobiis advertisse Fratres sedere, dum Psalmi explentur, interdum tamen Fratrum medietatem in uno Psalmo sedisse, aliam alternatim in alio. Inter prædicta magna illa Monasteria recenseret Cluniacense, in quo *si quis sedere voluerit inter psalmodiam*, inquit Udalricus *lib. 2. cap. 7. observat, ne sedeat juxta alium sedentem, & ita, ut unus stet, & sedeat alter, & invicem exhibere debent occasionem sedendi.* Divionense S. Benigni, cujus antiquæ Consuetudines MSS. eandem cum Udalrico præscribunt, addunt, *quod unus post duos Psalmos sedeat, & alter stet.* Bursfeldenses etiam ad Psalmos alternatim sedent. Nos verò, ait laudatus Martene, ad omnes Horas Diurnas semper stamus. Non solum prædicti Cœnobia, sed etiam alii Religiosi Psalmos stando decantant, ut Cappuccini, ita enim præscribitur in eorum Ceremoniali *part. 1. cap. 14.* item Clerici Regulares Minores, ut ex illorum pariter Cerem. *part. 1. cap. 10.* constat, & alii etiam Regulares. Antiquissimum autem esse hunc ritum, ut Psalmi à stantibus cantentur, eruditissime probant supracitatus Antonius Caracciolus in 2. editione sui Commentarii ad prædictum nostrarum Constitutionum locum, nec non Franciscus Maggius *disquisit. 5. & seqq. de Divino Officio, & Choro*; qui ita convellunt Lorini censuram, ut mirum sit, tantum Au-

cto-

ctorem id asserere potuisse. Quæ verò ex Cassiano in sui confirmationem adduxit Lorinus, illi potiùs adversantur; cum ex ipso Cassiani Textu Alardus Gazæus in suis Commentariis ad ea, ut §. 1 b. 2. evidenter ostendat, Monachos quidem, qui alios psallentes audiebant sedisse, eos verò, qui psallerent, stetisse. Quòd si quis opponat ex eodem loco, & cap. 12. Monachos illos non stantes, sed sedentes Psalmodiam celebrasse, responsio ex eodem in promptu est, Monachos illos non recitasse quidem Psalmos, sed solummodò unicum Psallentem auscultasse,

& ut in Textu dicti Capituli §. habetur: In Psalleris verba omni cordis intentione defixis stetisse; ita ex hoc Textu utrunque habetur, & Psallentem stetisse, & non psallentes confedisse. Ex hoc ritu autumat idem Gazæus ortam esse consuetudinem, ut qui legit Sacram Scripturam, Sanctorum Vitas, Martyrologium, Capitula, aut Collectas, & alia hujusmodi, ipse quidem Lector stando legat, ceteri sedentes auscultent. De non sedendo ad opus Dei integram edidit Petrus Damiani opusculum, quod curiosus Lector consulere poterit.

## De Canticis, XXIII.

### RUBRICA.

- 1 **C**antica dicuntur in Officio de Tempore, tam de Dominicis, quàm Feriis, ad Laudes, Vesperas, & Completorium ut in Psalterio distribuuntur.
- 2 In Festis & Tempore Paschali, ad Laudes semper dicitur Canticum Benedicite, ut in Dominica; & in fine ejus non dicitur Gloria Patri, sicut in aliis Canticis dicitur, nec respondetur, Amen. Alia Cantica serialia; ut in Psalterio, ad Laudes non dicuntur, nisi quando fit Officium de Feria extra tempus Paschale.
- 3 Canticum Benedictus, Magnificat, & Nunc dimittis, semper dicuntur suo loco, ut in Psalterio.

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Cap. IX. De Canticis.

I. Gavant. pag. 61. col. 2. n. 1. -- *Canticum est vox musica cum harmonia ore solo prolata &c.* Orthodoxi Patres Hilarius, Chrysostomus, & Euthymius in præfat. Psalmorum, necnon Basilii in Psalm. 29. Cantica distinguunt à Psalmis, per hoc, quòd Psalmus sermo musicus quidem sit, qui secundùm harmoniæ rationem ad Organum pulsari, & simul cantari solet. Canticum verò est, cum Cantorum Chorus libertate sua utens, nec in consonum Organi adstrictus obsequium solius vocis modulatione exultat. Quando autem cum Organo præ-

cinente Cantoris vox instrumenti æmulatrix subsequitur, Canticum Psalmi nuncupatur. Cùm autem humana voce incipiente Organi sonus pari suavitate vocis modulos imitatur, Psalmus Cantici vocari consuevit, ita Cardinalis Bona de Divina Psalmodia cap. 16. §. 12.

II. Gavant. eod. n. 1. -- *Canticum gratiarum actonem significat &c.* Omnia Cantica composita fuisse ad persolvendas Deo grates pro insigni aliquo, & speciali beneficio, affirmant Riccardus Victorinus lib. 4. in Apo alypsim cap. 6. Rupertus in Prolog. Can-

*Canticorum.* Verùm alii Auctores observant, multiplicem fuisse Canticorum materiam. Aliquando fuit gratulatoria, ut in Cantico Moylis post transitum Maris Rubri, in Cantico Deborah post interfectum Sisaram, in Cantico Judith post necem Holofernis, & in Cantico, quod tres Pueri liberati ab incendio fornacis Babylonicæ cecinerunt; hujusmodi tamen Cantica Eucharistica etiam dici possunt. Rursus materia Canticorum fuit etiam prophetica, ut in Canticis Isaia, & Habacuc; fuit item investiva, ut in Cantico, quod cecinit Moyfes coram filiis Israël, quando invocavit contra ipsos Cælum, & Terram. Hæc omnia confirmat Card. Bona loc. cit. auctoritate Ambrosii lib. 6. in *Lucan.*

III. Gavant. pag. 61. col. 2. n. 2. -- *Septem Cantica ex Sacris Literis habentur in Breviario Romano &c.* Quamvis multa sint Cantica, quæ in Sacris paginis leguntur, Ecclesia tamen Romana plura non admittit in suo Breviario, quàm septem ex veteri,

& alia tria ex novo Testamento, allegata à Gavanto hoc loco.

Cantica, quæ psallit Ecclesia Romana, secundum utramque editionem, & veterem ex LXX. Interpretibus, & vulgatam ex B. Hieronymo Presbytero, edidit Cardinalis Thomasius simul cum Psalterio Anno 1697. doctoque Commentario illustravit. Idem Auctor jam evulgaverat Anno 1683. Canticorum Codices ex duplici item editione simul cum Psalterio, ad veterem Ecclesiasticam formam, ex antiquis MSS. exemplaribus digestos, de qua editione supra mentionem fecimus. Celeberrimum trium Puerorum Canticum, quod *Benedictiones* nostri appellavere Majores, evulgavit præfato Anno 1683. juxta exemplar vetustissimi Psalterii quadratis literis supra nongentos Annos (ut arbitratur) scripti, quod servabatur in Bibliotheca Reginae Sveciæ, ex quo etiam deprompsit, & typis commisit antiquam editionem Canticorum Ezechia, & Anna.

## De Versibus. XXIV.

## RUBRICA.

- 1 **V**ersus semper dicantur ad Matutinum post ultimum Psalmum, & Antiphonam Nocturnorum; sive in Officio dicantur tres Nocturni, sive unus. Ad Laudes, & Vesperas Versus dicitur post Hymnum: ad Horas dicitur in Responsorio brevi post repetitionem partis Responsorii, dicto Gloria Patri.
- 2 In Pascha Resurrectionis, & per Octavam usque ad Vesperas Sabbati in Albis exclusivè, in Nocturno tantum dicitur Versus, in aliis Horis non dicitur, ut ibidem.
- 3 Quando fit aliqua Commemoratio, semper post Antiphonam ejus, de quo fit Commemoratio, dicitur Versus, qui in ejus Officio ponitur post Hymnum, Vesperarum, & Laudum, nisi aliter notetur.
- 4 Versibus prædictis, tempore Paschali semper additur, Alleluja; non autem Versibus Precum, nec in: Pretiosa: ad Primam, neque in Versibus Responsoriorum Matutini.
- 5 In Officio Festi trium Lectionum, post omnes Psalmos FERIALES cum Antiphonis, dicitur Versus de Communi Sanctorum, hoc ordine: Feria ij. & v. v. primi Nocturni: Feria iij. & vj. v. secundi Nocturni: Feria iv. v. tertii Nocturni.

GAVANT. Rubr. Brev.

Z

6 Ver-

6 *Versus positi in Psalterio ad Laudes, & Vesperas, semper dicuntur, quando alii proprii non assignantur in Proprio de Tempore.*

## Novæ Observationes & Additiones ad Gavanti

### Cap. X. De Versibus.

Gavant. pag. 62. col. 2. n. 1. -- *Vertebant se cantantes Versus ad Orientem, vel ad Altare &c.* Versus à vertendo dicitur, vel quia ab Officio Psalmorum ad Lectiones vertimur, vel quia, quando Versum audimus, faciem illico vertimus ad Altare, ut omnis cogitatio, quæ foras exivit per vagationem, revertatur ad Deum per devotam introversionem, ut loquitur Cardinalis Bona de Divina Psalmodia cap. 16. §. 13. Canitur autem Versus clara, & accita voce, inquit præfatus Cardinalis, ut eo audito excitentur pigri, & revertantur ad cor. Rursus cani-

tur Versus ab uno, vel duobus Cantoribus, juxta qualitatem Ritus, sub quo celebratur Officium, duplicis, vel semiduplicis, & canitur nomine totius cætus; Chorus deinde junctis omnium vocibus respondet. Amalarius lib. 4. cap. 4. testatur, pluribus locis Versiculos post Lectiones fuisse decantatos, quod Responsoriorum loco essent, sicut in minoribus Horis Versiculus post brevem Lectionem dicitur; postquam verò Versus præfatus fuere Lectionibus, Responsoriorum composita sunt.

## De Absolutionibus, & Benedictionibus ante Lectiones, XXV.

### RUBRICA.

- 1 **A**bsolutiones, & Benedictiones dicuntur per ordinem in Officio novem Lectionum ante Lectiones, ut in prima Dominica de Adventu ponuntur, scilicet: Post Versum, dicto Pater noster, Et ne nos, dicitur Absolutio, & Benedictiones, ut ibi præterquam in Matutinis tenebrarum majoris hebdomada, & in Officio Defunctorum, in quibus Absolutio, & Benedictiones non dicuntur.
- 2 Si fiat Officium trium Lectionum, & sit de Feria, in qua singula tres Lectiones sunt de Scriptura, Absolutio, & Benedictiones sumuntur ex prima Dominica de Adventu, hoc ordine. Feria ij. & v. dicuntur Absolutio, & Benedictiones primi Nocturni: Feria iij. & vj. secundi Nocturni: Feria iv. & Sabbato tertii Nocturni.
- 3 Si autem singula tres Lectiones sint de Homilia super Evangelium, Absolutio dicitur secundum Ferias, ut supra; Benedictiones verò semper dicuntur ut in iij. Nocturno, scilicet, prima Benedictio erit: Evangelica lectio: secunda: Divinum auxilium: tertia: Ad societatem. Si sit de Sancto trium Lectionum, Absolutio dicitur secundum Ferias, ut supra; Benedictiones verò semper dicuntur ut in tertio Nocturno, hoc modo. Prima: Ille nos benedicat: secunda: Cujus, vel Quorum, vel, Quarum Festum colimus: tertia: Ad societatem.
- 4 Quando sit Officium S. Mariae in Sabbato, Absolutio, & Benedictiones dicuntur, ut habentur in ejus Officio parvo circa finem Breviarii.

Novæ

## Novæ Observationes, &amp; Additiones ad Gavanti

## Cap. XI. De Absolutionibus &amp; Benedictionibus.

I. Gavant. pag. 63. col. 1. n. 1. -- *Vel quia simul cum Oratione Dominica petimus &c.*) Dicto Versu, ejusque Responsorio ab universo cœtu, intonatur ab Hebdomadario *Pater noster*, quod ab eodem secreto dicitur usque ad  $\psi$ . *Et ne nos inducas in tentationem*, cui totus Chorus respondet alta voce: *Sed libera nos à malo*; deinde Hebdomadarius procedit ad dicendam Absolutionem, & Benedictiones, prout suo loco in Breviario describitur.

Olim nihil horum recitari solebat, ut colligitur ex Regula S. Benedicti, ait Grancolas lib. 1. cap. 31. verum in Regula S. Benedicti cap. 9. diferte præscribitur, quod ante Lectionem à Lectore dicendam, statim, dicto Versu, Abbas benedicat; & explicando hanc Benedictionem ab Abbate impertendam, ait Smaragdus, id est, post  $\psi$ . à Cantante dictum, dicat Abbas: *Precibus omnium Sanctorum suorum salvet, & benedicat nos Dominus*. Hæc est, ait Martene, brevis illa precatio, quam Absolutionem vocamus, & præcedit Oratio Dominica, sequiturque Benedictionis petitio à Lectore, quæ omnia sub Benedictionis nomine complecti videtur Bernardus Cassinensis in hunc locum Regule Benedictinæ sic scribens: *nam Abbas antequam legantur Lectiones, Dominicam præmittit Orationem. Postmodum aliquam aliam Orationem præmittit, videlicet: A vinculis peccatorum &c. Lectore verò Benedictionem postulante per illud, scilicet: Jube Domine benedicere, tunc dat Benedictionem Abbas*. Hæc laudatus Bernardus Cassinensis, quæ quidem omnia minutatim (subnectit Martene dicta verba referens) S. Benedictus haud exposuit, quia ex usu satis nota esse existimavit; si tamen usus fuerit S. Benedicti tempore Lectionibus præmittere Orationem Dominicam,

quam Boherius, uti & Absolutionem, præter Regulæ præscriptum additas esse censuit. Et equidem Cistercienses utramque omitunt, ut tradit Bona lib. supracit. cap. 18. §. 4. Videtur tamen usus ille antiquissimus, ad quem fortè, ut ait Martene, respexit Capitulum V. Monachorum Sangallensium decernens - Ut dictis sex Psalmis primis ad Nocturnum, genua non inflectant, sed stantes orent - - Prædicti Ritus antiquitas colligitur etiam ex Divo Ambrosio in Ecclesia Mediolanensi, qui lib. 3. de Virgin. ait: *Volo post Psalmos cum Oratione Dominica frequenti contextas voce*; eadem Oratio claudebat Nocturnum. Præmonstratenses quoque post quodlibet Nocturnum dicunt quidem *Pater*, sed nullam habent Absolutionem, & in Carthusianorum Breviario hodierno habetur, *Pater, & Ave Maria*, post quæ dicitur, *Et ne nos &c.* . . . atque inde Absolutio. In Defunctorum Officio Versiculus tantum est, & *Pater*, sicut etiam in Officio trium dierum ante Pascha. In Ecclesia tamen Romana Ritus dicendi Orationem Dominicam post Psalmos Nocturnales non est profectò antiquus, nam Amalarius, qui floruit Seculo IX. lib. 3. cap. 6. testatur, Romæ sua ætate nondum *Pater* ad Psalmorum finem, ut in Gallia, recitatum fuisse: *Quod nos Galli finitis Psalmis Nocturnalibus, solemus cantare Orationem Dominicam, Romana Ecclesia præmittit*.

II. Gavant. pag. 63. col. 1. n. 2. -- *Versum appellat ipsammet quoque Absolutionem &c.*) Absolutio, quæ profertur ab Hebdomadario, & quæ sequitur post prædictam Orationem Dominicam, est alia brevis Oratio, quæ pro quolibet Nocturno describitur in Breviario, & ita dicitur, nimirum Absolutio, *ab absoluta prece*, vel dicendum cum Gavanto, triplicem

plicem illam Orationem, Absolutiones appellari, sumpta denominatione à nobiliori, quæ dicitur post recitatos Psalmos tertii Nocturni, in qua continentur ea verba: *A vinculis peccatorum nostrorum absolvat nos &c.*

III. Gavant. pag. 63. col. 1. n. 3. -- *Lector petii Benedictionem &c.*) Juxta veterem disciplinam Lector destinatus ad legendam Lectionem, antequàm inciperet, ab Abbate Benedictionem petebat verbis istis: *Benedic Pater*; ut colligitur ex initio Sermonum S. Ephrem. Refert S. Gregorius Turonensis de *Miraculis S. Marti*. lib. 3. S. Ambrosium Lectiones incipi noluisse, nisi Lectori prius ipse signum daret: *Cui celebranti ita erat consuetudo, ut veniens Lector, non ante legere presumeret, quàm Sanctus ei jussisset.* Cum autem die quadam Sanctus iste obdormivisset, Lectorque ad legendum paratus esset, *jubeat*, inquit, *Dominus Lectori Lectionem legere.* Ex quo loco patet origo hujusce Ritus, nempe petendi Benedictionem his verbis: *Jube Domine benedici*: cujus antiquitatem ostendit Gretserus tom. 2. de *Cruce in Orat.* De hac petenda Benedictionis formula ita scribit Petrus Damiani lib. de *Dominus vobiscum* cap. 2. -- Lecturus magnæ humilitatis gratia non à Sacerdote, sed ab eo, cui Sacerdos jussit, se postulat benedici, dicens: *Jube Domine benedicere*, Sacerdos autem, ut tantæ humilitatis vicem reddat, non subiecto cuiquam benedicendi delegat Officium, non per semetipsum Benedictionem dare præsumit, sed prius, ut à Deo, qui est super omnia benedictus, erogetur, exposcit.

IV. Gavant. pag. 63. col. 2. n. 4. -- *Quid ille, qui solus Officium recitat, debet dicere Jube Domine, &c.*) Juxta Rubricas Lector dicere debet *Jube Domine*, non *Jube Domine*, quia hic Dei Titulus est, ille autem Hominis præclari; & solus Episcopus dicit *Jube Domine benedicere*, & non *Domine*, cui absolute respondetur per Chorum, *Amen.* Si verò adesset Legatus, aut aliquis Prælat

major, tunc Episcopus versus ad illum peteret Benedictionem, ille verò stans in loco suo responderet: *Ad societatem Civium &c.* vel *Per Evangelica dicta &c.* Factis tamen prius mutuis reverentiis inter Episcopum, & Legatum, seu alium Prælatum majorem Episcopo: ita Ceremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 5. n. 9. Oritur tamen dubium, utrum, qui recitat solus Officium, dicere debeat *Jube Domine &c.* sicut dicit Sacerdos hoc idem in Missa privata ante Evangelium, & verè par est ratio, ait Gavantus, usus tamen non est idem. Petrus Damiani lib. 3. de *Virgin.* agit de nonnullis Eremiculis dubitantibus, an cum soli Officium recitarent, benedictionem pro Lectionibus petere deberent, atque dicere *Jube Domine*, vel ante Orationem *Dominus vobiscum*; ad quem enim, aiebant illi, verba ista dirigenimus; hinc ad lapides, atque Tabulas istas Cella nostræ? Alii verò ne adversus Regulæ mores peccarent, timebant. Idem Petrus Damiani libellum conscripsit, quo prædictorum dubitationem resolvit, dicendo: Officium cum singillatim dicitur, eodem semper pacto recitandum esse, ac si in communi orantes psallent. Ille enim, inquit ipse, qui Officium Canonicum recitat, totius Ecclesiæ nomine orat, atque loquitur, eamque representat, aliàs omnia, quæ plurali numero pronunciantur, essent ressecanda, veluti Invitatorium: *Penite, exultemus*, atque etiam *Oremus*; & Ecclesiæ Doctores aliud Officium pro singularibus hominibus, aliud pro eorundem cœtibus, seu Conventibus instituisent, quod cum non fecerint, eodem semper modo recitandum sanè est Divinum Officium.

Circa modum petendi præfatam benedictionem præscribit Ceremoniale Clericorum Regularium S. Pauli lib. 1. cap. 10. Tit. De Lectoribus, quod illi, qui destinati sunt ad legendas Lectiones, tempore debito à suo loco discedant, manibus, non quidem junctis, sed tamen ante pectus ritè compositis;

ad

ad Lectorile autem appropinquantes, versus Sanctissimum Sacramentum genuflectant, & postquam surrexerint (dicentes: *Jube Domine benedicere*.) manibus junctis vertent se ad Hebdomadariū, sed non toto Corpore, ita ut terga non vertant Altari, & Sacerdotes quidem se tantum inclinabunt, alii autem genuflectent; ita autem manebunt inclinati, seu genuflexi respectivè, donec Hebdomadarius stans omnia Benedictionis verba protulerit, imò non incipiant etiam Lectionem, antequam omnes confederint.

Ad Lectorile recitabunt Lectiones, manibus hinc inde super Librum positis, etiam cum Evangelii Textum legunt, sed si legerint nocturnis horis, lumen ipsi manu dextra tenebunt, & sinistra supra librum posita, cum dicunt in fine: *Tu autem &c.* Caput inclinabunt versus Altare. Redituri ad locum suum, prius genuflectent, postea ad Superiorem se inclinabunt, id quod præstare debent etiam antequam accedant ad Lectorile infra gradus sedilium.

Juxta tamen dispositionem Castaldi in nostro Ceremoniali *lib. 1. cap. 34. num. 2. & 3.* semper Lector etiam si Clericus sit, non genuflexus, sed inclinatus tantum versus Celebrantem manet proferendo illa verba: *Jube Domine benedicere*, & sic perseverat, donec ab illo stante proferatur benedictio. Et in fine cujuscunque Lectionis, cum dicturus est, *Tu autem Domine &c.* genuflectit versus Altare: tum surgens, legit ibidem versus, qui sunt post Responsoria. Verum hujus Castaldi præscriptum apud nos plerumque non observatur, hoc est, non ad finem cujuscunque Lectionis à Lectore genu deponitur, sed in ultima tantum Lectione deflectitur, quando plures ab eodem Lectore recitantur; si enim à singulis Clericis, & Sacerdotibus decantantur, dubium non est, quin quoties singulae Lectiones sollempnibus Festis à singulis Clericis, & Sacerdotibus decantantur in cujuscunque Lectionis fine, toties genuflectendum sit. Præfatus ritus

præscribitur etiam in *Cerem. Minor. Convent. part. 3. cap. 7. num. 4.* ubi sic habetur. Si unus legat tantum unam Lectionem semper in fine, si autem tres legat solum in fine ultimæ, cum dicturus est, *Tu autem Domine*, genuflectit. Idem præscribunt Cerem. Observantium, nec non Camaldulensium, & ipsemet Castaldus noster in *praxi lib. 1. sect. 6. cap. 3. num. 2.* ubi ait: *In fine cujuscunque Lectionis, cum dicturus est, Tu autem Domine &c. si recedendum erit, genuflectit. Cum verò leguntur plures, videlicet ab eodem Lectore, tunc tanquam profunde se inclinatur, & in fine discessurus genuflectit.* Hæc Castaldus *cit. loc.* ubi mutavit sententiam, & est illa, quam nos sequimur in praxi. Franciscus tamen Maggius de Officio Chori *opus. 2. disquisit. 43.* censet, nostrates hæc in re primam Castaldi dispositionem sequi debere, non verò secundam, & praxim nostram; cum, ut ait ipse, & ritus Romanus sit, & communius observetur ab omnibus post quamcunque Lectionem, ad *Tu autem Domine &c.* genuflecti, & ibidem affert auctoritates nonnullorum Ceremonialium, necnon Gavanti *sect. 10. cap. 2. num. 8.* Corfetti *tract. 1. cap. 19. num. 2.* & denique Bauldry *part. 2. cap. 15. num. 3.* dicentis: *Genuflectendum à Lectore in fine Lectionis dicente Tu autem Domine &c. ad quascunque Lectiones, excepto Celebrante parato.*

Advertendum igitur est ab omnibus, ait citatus Maggius, genuflexionem, finita Lectione, non fieri ob Sanctissimum Sacramentum, quòd Lector à Legili tunc discedat, sed quòd verba ipsa, quæ tunc in fine pronunciantur, eam demissionem deposcant, ut colligitur ex *Cerem. Episc. lib. 2. cap. 6.* ubi sic ait: *Lector cum dicit Tu autem Domine, in fine Lectionis genuflectit, si non est Canonicus, & factis debitis reverentiis illi, qui in Choro existunt, discedit.* Cæterum quia Ceremoniale Episcoporum supponit Canonicum, vel Beneficiatum recitare tantum unam Lectionem, & non tres; ideò in tali casu

inclinacionem, seu genuflexionem fieri post recitatam, sive decantatam Lectionem disponit; Quando verò unus dicit tres Lectiones, ad duas primas debet profundè inclinare caput; ad ultimam tamen quia debet discedere, si non est Canonicus, debet genuflectere, si verò est Canonicus, debet tantùm se profundè inclinare, supponitur enim, non adesse Sanctissimum Sacramentum, aliàs etiam Canonici deberent genuflectere.

Super hac re iterum Sermonem habebimus in suo proprio loco, nimirum in nostris Observationibus ad sequens Caput nostri Gavanti sub num. XIII.

V. Gavant. pag. 63. col. 2. n. 6. -- *Absolutionibus concordant Benedictiones, nisi Lectiones sint de Homilia, vel de Sancto &c.* Quænam Benedictiones impertiendæ sint diebus Ferialibus ab Hebdomadario, seu Celebrante, & in Festis Sanctorum, iis, qui recitare debent Lectiones, satis liquet ex Rubricis Breviario Romano præfixis: superest solum, ut hic exhibeamus aliqua S. R. C. Decreta pertinentia ad hanc rem.

In Officiis Sanctorum concessis Regularibus infra annum, putà Conceptionis, S. Francisci &c. sicut etiam in Officiis Translationum, Octava Benedictio erit: *Cujus Festum colimus &c.* ita S. R. C. 23. Septembris 1665. & datur in nostro Indice sub num. 91. cum alio ibi indicato.

Decretum simile huic affertur à Pitono, & à Fagioli emanatum die 13. Febr. 1666. quo sancitum fuit, ut ad Octavam Benedictionem in Festo Conversionis S. Pauli Apostoli, non dicatur: *Cujus Conversionem, sed, cujus Festum colimus.* Sed hoc Decretum in Regestis non reperitur, verum quidem est, quòd ex anteriori Decreto hoc pariter inferri potest.

Ex quibus S. C. Statutis patet, quid faciendum sit in Officiis Translationis, Apparitionis, Ordinationis, Inventionis, & similibus: & hoc etiam observatur in Rubricis Breviarii Minorum Conventualium, nec non Cappucinatorum.

Denique sub die 13. Septembris 1692. emanavit sequens Decretum positum in nostro Indice sub num. 173. nimirum. Ubi celebratur Festum S. Raphaëlis Archangeli, ad Octavam Benedictionem dicatur: *Cujus Festum colimus*, non verò: *Quorum Festum colimus.* Et ita etiam habetur in fine Breviarii Romani inter Festa aliquibus locis concessa. Ratio hujus Decreti est, quia in Officio S. Raphaëlis, (sicut etiam in Officio S. Gabrielis) imploratur, & invocatur ejus solius auxilium, sed quia in Festo S. Michaëlis imploratur Patrocinium omnium Angelorum, idcirco ad Octavam Benedictionem tunc dicitur: *quorum Festum colimus &c.*

## De Lectionibus. XXVI.

### RUBRICA.

- 1 **L**ectiones leguntur ad Matutinum dictis Psalmis Nocturnorum cum Antiphonis Versibus, Absolutionibus quoque, & Benedictionibus, ut supra. In Duplicibus & Semiduplicibus dicuntur novem Lectiones, id est, in quolibet Nocturno tres: in Feriis, & Festis simplicibus leguntur tantùm tres Lectiones.
- 2 In Officio novem Lectionum dicuntur hoc modo. In primo Nocturno semper leguntur tres Lectiones de Scriptura, quæ, quando suis locis propria, aut de Comuni Sanctorum, non assignantur, semper leguntur ut in Officio de Tempore, quæ sua quaque die occurrunt legenda. In secundo Nocturno, si sit de Sancto, tres Le-

ctio-

- ctiones leguntur de vita Sancti, vel de aliquo Sermone aut Tractatu, qui ei convenit; quæ si non adsint propria, leguntur ex Communi Sanctorum. Ex quo etiam Communi completur numerus trium Lectionum, quando Officium sit novem Lectionum de aliquo Sancto, qui habet tantum unam, vel duas Lectiones proprias. Si sit de Dominica, vel de alio Officio novem Lectionum per annum, etiam de Octava, leguntur tres Lectiones de Sermone aut Tractatu, qui in illis ponitur. In tertio Nocturno semper leguntur tres Lectiones de Homilia in Evangelium, posita in Proprio, aut ex Communi assignata; et prima Lectioni de Homilia semper præponitur principium Evangelii, de quo est Homilia, etiam infra Octavas. Excipiuntur ab hoc ordinario Lectionum, Matutina tenebrarum ante Pascha, et Defunctorum, ut in suis Officiis ponitur.
- 3 Si in Officio novem Lectionum, in quo non dicitur novum Responsorium, contingat fieri Commemorationem de aliquo Sancto, qui propriam habet Lectionem, nona Lectione legitur de Sancto: si habuerit duas Lectiones, ex duabus fiat una Lectione, ommissa nona Lectione in dicto Officio novem Lectionum; vel Octava Lectioni adjuncta. Quod si eodem die occurrat Dominica vel Feria, quæ habeat Homiliam, nona Lectione Sancti omittitur, et ejus loco legitur Homilia Dominica vel Feria, scilicet, vel prima Lectione de Homilia, vel tres simul in unam Lectionem conjunctæ.
- 4 In Officio trium Lectionum, si sit de Feria, tres Lectiones dicuntur de Scriptura; nisi tres sint de Homilia, quia tunc omissis Lectionibus de Scriptura, leguntur de Homilia. Si sit de Sancto, qui habeat duas Lectiones, prima tantum erit de Scriptura, ut vel legatur una, vel ex tribus simul junctis fiat una: secunda et tertia de Sancto. Si unam tantum habuerit vel propriam, vel ex Communi assignatam, prima et secunda erunt de Scriptura, tertia de Sancto: quod etiam servatur in Officio Beate Mariæ in Sabbato.
- 5 Lectiones autem de Scriptura in Officio de Tempore sic distributa sunt per annum, ut quotidie aliquid ex ea legatur, etiam in Officio de Sanctis, quando alia (ut dictum est) non assignantur.
- 6 Initia librorum sacra Scriptura (qui ferè semper in Dominicis inchoantur) eo die ponuntur, quo notata sunt, etiam si fiat Officium de Sancto; nisi in Festo alia propria Lectiones Scriptura vel de Communi assignentur: tunc enim initium Lectionis de Scriptura transfertur in sequentem diem similiter non impeditam: et Lectiones illi diei de eadem Scriptura assignata, vel cum superioribus Lectionibus legantur, vel omittantur: ita ut non oporteat eas amplius in alio sequenti die resumere, sed illæ legantur, quæ sua quaque die occurrunt, aut cum eisdem jungantur, quod semper servetur, quando Lectiones occurrentes de Scriptura aliquo die omittuntur.
- 7 Cum autem initium alicujus Epistolæ catholice tempore Paschali, aut alicujus Prophetæ minoris mense Novemb. infra Hebdomadam illorum temporum impeditur ali.

aliquo Festo novem Lectionum habente proprias Lectiones de Scriptura, dictum initium Epistola & Propheta, quoad commodè fieri poterit, ponatur in sequenti Feria, alio simili initio Scripturae ponendo, vel Festo non impedita; alioquin in precedenti similiter non impedita, ita ut aliquo modo ponatur, etiamsi plura initia eodem die poni oporteat.

- 8 De Scriptura quoque tantum est positum, quantum satis videtur pro numero Hebdomadarum, quae esse possunt & inter Epiphaniam, & Septuagesimam, & inter Pentecosten & Adventum. Ubi verò contingit minui numerum Dominicarum & Hebdomadarum post Epiphaniam, adveniente Dominica Septuagesima, quod superest de Epistolis Beati Pauli, quae distributa sunt pro numero dictarum Dominicarum & Hebdomadarum, eo anno omittitur, quamvis de aliquibus Epistolis nihil sit lectum. Quod etiam fit de Scriptura ex libris Regum (de quibus legitur ab Octava Pentecosten usque ad Dominicam primam Augusti) cum non expletur numerus Dominicarum post Pentecosten de eis libris annotatus usque ad mensem Augusti: quia tunc Lectionibus de his libris omissis, legitur de Scriptura, quae ponitur mense Augusti. Quod si fiat de aliqua Dominica post Epiphaniam anticipatè in Feria, eo modo, quo dictum est de Dominicis num. 4. & 5. tunc post Officium Dominicae anticipatae in sequentibus diebus legatur de Epistolis S. Pauli assignatis Dominica anticipatae & sequentibus Feriis, omissis aliis, quae sunt assignatae precedenti Hebdomada. Quid autem observandum sit, cum mensis, cui quinque Dominicae assignantur, non habuerit nisi quatuor, in propriis locis notatur.
- 9 Lectiones de Scriptura posita in Communi Sanctorum, leguntur in Festis, ubi assignantur in Proprio Sanctorum per annum: Rursus quando aliquod Festum in Propria Ecclesia sollempniter celebratur: Item quando aliquod Festum novem Lectionum occurrit in Quadragesima & Quatuor temporibus, in secunda Feria Rogationum, & in Vigilia Ascensionis; in quibus Feriis in Officio de Tempore non assignantur Lectiones de Scriptura, sed de Homilia: tunc enim in Festis recurrendum est ad Lectiones de Scriptura positas in Communi Sanctorum. Quod si in aliquibus ex supradictis Feriis occurrat dies Octava alicujus Festi habentis Octavam, tunc in primo Nocturno diei Octava repetantur Lectiones, quae in primo Nocturno Festi lectae fuerunt; si verò occurrat dies infra Octavam, tunc sumantur de Communi. Aliae Lectiones ij. & iij. Nocturni posita in Communi Sanctorum similiter leguntur, quando in proprio Sanctorum assignantur, & quando in aliqua Ecclesia aliquod Festum celebratur cum novem Lectionibus, quia in ea est sollempne, aut consuetum in ea celebrari, quod proprias & approbatas de Festo Lectiones non habuerit.
- 10 Lectiones primi Nocturni leguntur cum titulo libri, ex quo sumuntur, nisi aliter in propriis locis notetur. Lectiones etiam ii. Nocturni, quando sunt ex aliquo Sermone vel tractatu, leguntur cum titulo & nomine auctoris; alias mini-

minimè. Et similiter in iii. Nocturno praponitur titulus auctoris, cujus est Homilia.

¶ In fine cujusque Lectionis dicitur: Tu autem Domine miserere nobis; & respondetur: Deo gratias: quod etiam fit in Lectionibus brevibus in principio Completorii, & in fine Primæ post Pretiosa, præterquam in triduo majoris Hebdomadæ ante Pascha, & in Officio Defunctorum, ut suis locis ponitur.

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Cap. XII. De Lectionibus.

I. Gavant, pag. 64. col. 1. n. 3. -- In Concilio Laodicensi decreta sunt Lectiones post Psalmos &c.) Quamvis in Laodicensi Concilio Anno 320. celebrato decretum fuerit, ut Psalmorum recitationem sequeretur Lectiones, incertum tamen est, utrum Romæ olim sollemne fuerit, in noctis Officio fieri Lectiones, sicut certum est, solitas fieri in Missa; Theodemarus siquidem, Abbas Cassinensis, seu Paulus Diaconus ejus nomine in Epistola ad Carolum Magnum quæstionè proposita, cur S. Benedictus unam tantum in Æstate Lectionem dici præceperit, hanc affert causam: quia necdum eo tempore in Romana Ecclesia, sicut nunc leguntur, Sacras Scripturas legi mos fuerit; sed post aliquot tempora hoc institutum, sive à B. Papa Gregorio, sive, ut ab aliis affirmatur, ab Honorio. Qua de re, addit Theodemarus, nostri Majores instituerunt, ut in hoc sacro nostro Cœnobio tres quotidianis diebus æstivo tempore ex veteri Testamento Lectiones legantur, ne à Sancta Romana Ecclesia discrepare viderentur. Verùm de Theodemari priori sententia, scilicet Sacras Scripturas in Romana Ecclesia tempore S. Benedicti lectas non fuisse, legitima dubitandi ratio est, ut ait Johannes Mabillon in *disquisit. de cursu Gallicani* num. 9. non enim verisimile est, aut nullas tunc in Divinis Officiis Lectiones, aut si aliquæ ex aliis, non etiam ex Sacra Scriptura institutas fuisse: Gelasius enim Papa I. definiens in Concilio Romano, qui libri legendi essent, quive non legendi, id de Lectione eorum publica in Ecclesia decre-

Gavanti. Rubr. Brev.

vissè videtur; accedit, quòd Gregorius Magnus in Synodo Romana statutum edidit, ne impostero Diaconi Cantorum Officio fungerentur, solumque Evangelium in Missa cantarent, reliquæ verò Lectiones à Subdiaconis persolverentur. Qua de re, inquit, presenti Decreto constituo, ut in sede hac Sacri Altaris Ministri cantare non debeant, solumque Evangelica Lectionis Officium inter Missarum sollemnia exsolvant, Psalmos verò, ac reliquas Lectiones censeo per Subdiaconos, vel, si necessitas exigit, per minores ordines exhiberi. Legitur hoc Decretum lib. 4. epist. 44. Quare cum Gregorius prohibeat Diaconos, ne impostero Lectiones canant, & ab usum super hac re introductum arguat, manifestum est, Lectiones jam ante Gregorii tempora in Ecclesia Romana usitatas fuisse. Cum autem Romæ hæc consuetudo cœpit, servatus fuit supra allegati Laodicensis Concilii Can. 17. præscribens fieri Lectionem per singulos Psalmos, quòd in Conventu Fidelium nequaquam Psalmos coninuare conveniat, sed per intervallum, id est, per Psalmos singulos recenseri debeant Lectiones; ita Canonem vertit Dionysius exiguus. Hinc est, quòd Romæ Festis illis, quæ in Matutinis novem Psalmos habent, novem quoque Lectiones assignatae sint; Lectiones autem istæ legebantur, donec qui Choro præsidebat, signum daret terminandi. Juxta Ritum verò, seu Regulam S. Benedicti Lectiones à Monachis per vices, & alternatim recitabantur, id est, nunc iste, nunc ille, ut notat Smaragdus

A a

in

in cap. 9. Regulae praedictae, vel alternati-  
ve sibi succedendo, ut ait Bernardus Cassi-  
nensis ibidem, ita ut nunquam duas unus,  
& idem diceret Lectiones. Unde, & ad sin-  
gulas petitur Benedictio, quam iterare ne-  
cesse non esset, si unus, & idem plures con-  
sequenter recitare deberet Lectiones; ita  
ponderat Martene in suo Commentario ad  
eundem locum, ubi subnequit, & certe id  
postulabat summa S. Patris discretio, ne forte,  
nimium laborarent in legendo, maxime cum pro-  
xiores tunc essent Lectiones, nec ita facile es-  
set legere in Codicibus MSS. Curiosus Lector  
consultare potest etiam ea, quae idem Mar-  
tene tradit lib. 2. de antiq. Monach. Rit.  
cap. 1.

Superest advertendum hoc loco, non sub-  
sistere rationem adductam à Theodemaro,  
propter quam S. Benedictus unam tantum  
praescripserit Lectionem à Paschate usque ad  
Kalendas Novembris legendam in Officio  
nocturno: S. enim Patriarcha Benedictus  
usus est hac Indulgentia propter solam bre-  
vitatem noctium, ut ait ipse in sua Regula  
cap. 10. non ergo quia nondum vigeat mos  
in Ecclesia Romana legendi Lectiones in  
Officio, ut censuit Theodemarus; voluit S.  
Benedictus, ut praedicto tempore pro tribus  
Lectionibus una tantum de veteri Testamen-  
to memoriter diceretur. Haec Lectio, quam  
pueri apud Cluniacenses legebant ex Udal-  
rico lib. 3. cap. 8. apud Carthusienses Can-  
tor Hebdomadarius ex nova collectione Sta-  
tutorum part. 1. cap. 16. ex Regulae praescri-  
pto memoriter recitanda est, adeoque bre-  
vis esse debet, ita etiam in citata Regula S.  
Benedicti praescribitur, ut illa unica Lectio  
ex corde, seu memoriter dicatur, & mini-  
me legatur, adeoque debebat esse brevis.  
Quaestionem movet Hildemarus, & post eum  
Bernardus Cassinensis, Boërius, & Turre-  
cremata, cur nimirum laudatus Patriarcha  
Benedictus unicam dumtaxat Lectionem  
Mensibus Septembri, & Octobri praescripse-  
rit, qui tamen aequales cum Martio, &

Aprili, in quibus tres instituit Lectiones,  
habent noctes: & dicunt, hoc potissimum  
factum esse ad sublevandos Fratres ab illis  
magnis laboribus, quos in colligendis fru-  
gibus, & vindemiis subire cogebantur.

II. Gavant. pag. 64. col. 1. n. 4. -- Nu-  
merus vero Lectionum nec fuit major novem,  
nec minor tribus &c.) Verissimum est, quod  
juxta morem antiquum in Breviario Ro-  
mano numerus Lectionum non fuerit major  
novem, nec minor tribus Lectionibus, ut  
docet noster Gavantus ex Amalario; sed ve-  
rum pariter est, quod antiquitus varius fuit  
Lectionum numerus. In veteri siquidem  
quodam Ordine Romano à Codice manu ex-  
arato Sangallensis Monasterii descripto, at-  
que à nostro Thomasio Romae edito Anno  
1686. pag. 404. habetur -- Lectiones vero  
aut tres, aut quinque, aut septem, aut no-  
vem in Vigilia Sanctorum, aut ubilibet con-  
tingerit, leguntur. Nam quatuor, aut sex,  
vel octo nullo modo; quia antiquitus talis  
consuetudo non fuit. Ex quibus verbis  
postremis loc. cit. deducit Grancolas, quod  
olim nulla Lectiones dici solebant, quando  
revera ex praedicti Ordinis verbis nihil aliud  
inferri potest, nisi quod antiquitus non fue-  
rit consuetudo legendi Lectiones numero pa-  
res, nimirum quatuor, aut sex, vel octo,  
Pag. autem 405. ejusdem Ordinis legitur --  
Qui voluerint novem Lectiones facere, no-  
vem Psalmos decantent. Qui vero septem,  
cantent sex. Qui vero quinque, similiter  
sex. -- En igitur numerum Lectionum an-  
tiquitus varium fuisse, quando juxta recen-  
tem morem semper constituitur, vel ex no-  
vem, vel ex tribus Lectionibus tantum; nun-  
quam vero ex quinque, vel septem; quae  
de Romano ritu intelligenda sunt. Ritus  
namque Monasticus modo duodecim; modo  
tres, aliquando unam Lectionem tantum ad-  
mittit.

III. Gavant. pag. 64. col. 1. n. 5. -- Ex  
utroque Testamento desumi Lectiones Officii Di-  
vini &c.) Quando Romae Lectiones Noctur-

no Officio inseri ceperunt, illæ ex Sacra Scriptura tantum desumi solebant, qui mos servatur in Feriali Officio usque ad præsentem diem; postquam verò plures Nocturni instituti fuerunt, ordo ille servatus est, qui adhuc servari solet tribus ante Pascha diebus, nimirum PP. quoque sermones inserti fuerunt, & ad tertium Nocturnum, ex novo quidem Testamento, peti solebant Lectiones, non legebatur tamen adhuc Evangelium, quia hoc Missæ Lectioni destinatum erat.

IV. Gavant. pag. 64. col. 1. n. 6. -- *Verum, quo ordine distribuuntur Lectiones primi Nocturni per annum? &c.*) Gavantus ab hoc numero sexto usque ad numerum 15. inclusivè optimè describit ordinem Lectionum Sacræ Scripturæ, quæ in primo Nocturno per annum legi solent juxta Ritus Breviarii Romani, & num. 8. ait, prædictum ordinem referri à Gratiano in cap. Sancta Romana dist. 15. quod quidem Decretum quamvis nonnulli Gelasio Papæ abjudicent, nihilominus à Sapientioribus Criticis eidem Pontifici tribuitur, ut videbimus infra; sed ea Decreti pars, quæ recenset Scripturas in Divino Officio legendas, Gelasium profectò non habet Auctorem, cum in nullo ex Decreti Gelasiani antiquioribus Codicibus MSS. reperiat. Deest etiam in Collectionibus Conciliorum Regia Labbeana, & Biniana; quapropter nonnulli opinantur, illam Decreti partem à S. Gregorio hujus nominis VII. esse editam, qui morem Ecclesiæ Romanæ, longè ante sua tempora servatum, confirmare tantum voluit.

V. Gavant. pag. 64. col. 2. n. 7. -- *Historicus est &c.*) Historicus Sacrorum Bibliorum Ordo, quem ex Annalibus sui Augustini Tornielli hoc loco Gavantus descripsit, non satis convenit cum Chronologia, quam modò eruditiores Sacrarum Literarum Interpretes amplectuntur, inter hos præcipuè elucet Antonius Vittré, Augustinus Calmet, Jacobus Usserius, & alii, quos curiosus Le-

ctor adire poterit, si diligentiore examine cujuscunque libri Canonici, qui in Breviario legitur, si non veram, saltem probabiliorem Chronologiam assequi exoptat.

VI. Gavant. pag. 66. col. 1. num. 12. -- *Etiamsi plura Prophetarum initia uno die sint legenda &c.*) Ad hoc Gavanti Commentarium spectant tria Decreta edita à S. R. C. die 5. Julii 1698. in *Collen.* & data in nostro Indice sub num. 202. 203. & 204. in quibus sancitum est, quòd, quando in mense Novembris sunt eadem die ponenda plura initia Prophetarum, dicenda est tantum unica Lectio, & quòd non possunt poni plura tribus initiis Prophetarum unica die, & denique, quòd, ubi sunt plura Officia habentia primas Lectiones proprias, possunt omitti aliqua ex dictis initiis Prophetarum, occurrente legitima causa. Vide etiam Decretum editum die 12. Julii 1664. datum in nostro Indice sub num. 89.

VII. Gavant. eod. num. 12. -- *Ea enim omnes simul constituunt unum Librum &c.*) Docet hìc Gavantus, Epistolas B. Pauli, quæ leguntur post nativitatem Domini, unum dumtaxat librum constituere, cujus libri initium sufficienter positum censet per inchoationem primæ Epistolæ, nempe ad Romanos, ita ut sequentium Epistolarum initia, si diebus, quibus posita sunt, impediuntur, non sit opus resumere. Et idem allerit pari jure de Epistolis Catholicis secunda Petri, secunda, & tertia Johannis infra Octavam Ascensionis *Sectione 6. cap. 7. num. 3.* Huic Gavanti opinioni favere videtur Textus Rubricæ suprà à nobis positæ num. 7. ubi recensitis Epistolis Catholicis tempore Paschali, & Prophetis minoribus mense Novembri, quorum initia resumenda sunt, nihil ejusmodi præscribitur de Pauli Epistolis post Domini Nativitatem legendis, Gavanti sententiam amplectuntur etiam Lohner *instruct. pract. 2. part. 2. Tit. 1. §. 9. num. 5.* aliique plures, teste Claudio La Croix *lib. 4. qu. st. 207. De Horis Canonicis num. 1285.* quia

sibi Suffragari existimant super Rubr. n. 8. Nihilominus ab hac Gavanti, & allegatorum Auctorum sententia recedunt nonnulli in re Rubricistica versatissimi viri apud laudatum La Croix, nec non Halden *part. 1. Tit. 5. & Tit. 28.* & doctissimus Guyetus *lib. 4. cap. 16. quest. 2.* Validis permotus rationibus, quibus adducor ego quoque ad dicendum, quod si sermo sit de initiis Epistolarum, quæ omittuntur ratione alicujus impedimenti intervenientis (v. g. quia celebrantur Officia aliorum Sanctorum, quæ habent Lectiones proprias in primo Nocturno) eo tempore, quo perseverat Lectio dictarum Epistolarum, nempe à Nativitate Domini usque ad Septuagesimam, tunc crederem debere resummi Epistolarum Paulinarum initia, si locus adsit ad ea initia resumenda; non ita discurrendum est, si omittantur eadem initia ratione cessationis, nempe quia supervenit Dominica Septuagesimæ, qua adveniente, quæcumque superfluit de Epistolis B. Pauli, omittuntur, ut dicitur, per cessationem, licet una tantum, aut altera ex dictis Epistolis lecta fuerit, sicut adveniente prima Dominica Augusti, omittitur non per aliquod impedimentum, sed per cessationem quidquid superest de libris Regum, & tunc initia Epistolarum, quæ omittuntur, profectò resumenda non sunt, nisi in casu, quem proponit Gavantus *num. 13.* & super quo ait, ita decretum fuisse in postrema recognitione Breviarii, de quo Decreto sola Gavanti auctoritate innixi non dubitamus, quidquid in contrarium asserat Guyetus *lib. supra. it. quest. 5.*

VIII. Gavant. pag. 67. col. 1. n. 16. -- *Pro secundo Nocturno Gelasius, decernit loc. cit. hac Opuscula legi posse in Officio Divino &c.* Verum est, Gelasium in suo Decreto (quod ipse verè esse validis argumentis comprobant contra Pearsonium, aliosque tum Hæreticos, tum Catholicos, Pagius in Critica Annalium Baronii, Cardinalis Norisius Difertat. secunda de Cenotaphiis Pisani, Justus

Fontaniani, Archiepiscopus Ancyranus, *lib. 2. de Antiquit. Orta*) Verum, inquam, est, Gelasium in suo Decreto statuere, legenda Opuscula SS. PP. hoc loco à Gavanto citata, sicut etiam alia ab eo omissa; attamen ne verbum quidem habet de Opusculorum Lectione in secundo Nocturno, quamquam negare non ausim, quòd Gelasii Decretum intelligi debeat de Lectione publica in Ecclesia, quæ fuit etiam Mabillonii sententia in *Disquisit. de Cursu Gallicano*, cui pariter mox laudatus Julius Fontanini adhæsit. Porro errat Gavantus asserens, inter Patres à Gelasiano Decreto laudatos Isidorum connumerari, nam Isidorus multis post Gelasium annis floruit; quocirca ab eo commendari non potuit. Grancolas integrum hunc Gavanti locum exscribens *lib. 1. cap. 32.* in eundem errorem impegit. Cæterum in prefato Gelasii Decreto, & si gesta Sanctorum Martyrum suscipiantur, nihilominus eorum acta non probantur ad publicam Lectionem. *Sed idèò secundum antiquam consuetudinem*, inquit Gelasius, *singulari cautela in Sancta Romana Ecclesia non leguntur, quia & eorum, qui conscripserunt, nomina penitus ignorantur; & ab Infidelibus, aut idiotis superstia, aut minus apta, quam rei ordo fuerit, scripta esse putantur.* Ex ejusdem tamen Gelasii Decreto actus B. Silvestri, licet ejus, qui conscripsit nomen, ignoretur, à multis in Urb. Catholis legebantur; & pro antiquo usu multa hæc imitabantur Ecclesia; unde apparet, ut notat Mabillon *loc. cit. num. 10* non in tota Romana Ecclesia, sed plurimum in Lateranensi ejusmodi acta, quæ Auctoris nomine destituta erant, lecta minimè fuisse, alia verò, quæ probabiles Auctores habebant, seculo octavo in Ecclesia Romana legebantur, cujus rei testem habemus Hadriani Papæ I, Epistolam tertiam. *Vita Patrum sine probabilibus Auctoribus minimè in Ecclesia leguntur, nam ab orthodoxis titulata, & suscipiuntur, & leguntur.* De Actis Martyrum in Officio legendis mox iterum numero sequenti erit sermo.

IX. Gavant, eod. num. 16. -- *Prima hystoria de Sanctis in Officio Divino habuerunt Auctorem Paulum Diaconum &c.*) Fidem plus æquo præstitit Gavantus Auctori ligni vitæ, & ideò in hoc suo placito veritatem minimè est allecutus; Paulus enim Diaconus neque historias de Sanctis contexit, neque Divino Officio eas inseruit, sed solummodò Homilias, & Sermones SS. PP. collegit, immò collectas jam ab Alcuino, ut dicemus infra, elimavit; sed quidquid sit de hac quæstione, certum tamen est ex iis, quæ paulò antè diximus, etiam in Ecclesia Romana seculo octavo morem inolevisse legendi Acta Sanctorum, quæ probabiles habebant Auctores; vitas quoque Confessorum solitas fuisse tunc recitari in Ecclesia Romana, probat Johannes Diaconus in præfatione ad vitam Gregorii Magni, in qua Johannem Papam VIII. Sic alloquitur -- *nuper ad vigilias B. Gregorii Romani Pontificis, Anglorum scilicet gentis Apostoli, Lectione de Paulino, Civitatis Nolana Presule, consuetudinaliter personante, visus es à Venerabilibus Episcopis, divino quodam instinctu commotus, requirere, cur tantus Pontifex, qui multorum Sanctorum vitas texerat, gestis propriis in propria dumtaxat Ecclesia caruisset.* Hinc etiam patet, tractatus Patrum defectu propriarum Lectionum in eadem Ecclesia receptos fuisse, quorum delectus erat in arbitrio Episcopi tempore Gregorii Magni, ut constat ex lib. 10. *Epist.* 22. ad Johannem Subdiaconum Ravennatem, in qua non probat, quod Marianus, ejusdem Urbis Episcopus, Commenta Beati Job, publicè ad vigilias legi præcepisset his verbis -- *Illud, quod ad me quorundam relatione perlatum est, quia Reverendissimus Frater, & Coepiscopus meus Marianus legi Commenta B. Job publicè ad vigilias faciat, non græte suscepi; quia non est illud opus populare, & rudibus auditoribus impedimentum magis, quam proventus generat. Sed dic ei, ut Commenta Psalmodum legi ad vigilias faciat, qua mentes Secularium ad bonos mores præci-*

*pue informent. Neque enim volo, dum in hac carne sum, si qua dixisse me contigit, ea facile omnibus innotescere.* Ita Pontifex Maximus sapientissimus, sed modestissimus. Ex hac S. Gregorii Epistola colligitur, nondum in Ecclesia ordinata fuisse Lectionaria, ut vocant ex Sanctorum Patrum Sermonibus, & Homiliis compilata; sed in arbitrio Episcoporum, & Prælatorum fuisse assignare libros, unde exciperentur Lectiones. Primus id feliciter aggressus esse videtur Carolus Magnus Imperator, qui per manum Pauli Diaconi Cassinensis duo volumina ex Sanctorum Patrum Homiliis, & Sermonibus per anni circulum legenda confecit prænotata hoc titulo -- *Opus præclarum omnium Homiliarum, & postillarum Venerabilium, ac egregiorum Doctorum Gregorii, Augustini, Hieronymi, Ambrosii, Bedæ, Erici, Leonis, Maximi, Johannis Episcopi, atque Origenis integraliter de tempore, & de Sanctis per totius anni circulum, cum quibusdam eorum sparsim interpositis Sermonibus hinc inde suis locis collectis, coaptis temporibus in partem hyemalem, ac æstivam divisum.* -- Quod quidem opus ab Alcuino adornatum Paulus Diaconus jussu Caroli Magni elimavit. Extat ea de re Epistola Caroli Magni Religiosis Lectoribus suæ ditioni subjectis directæ, quam Edmundus Martene asserit evulgatam fuisse in suo Commentario ad *caput 9. Regulæ S. Benedicti à Mabillonio in tom. 1. Annal. Benedict.* Sed eandem Epistolam Caroli Magni multo tempore ante Mabillonium publicè juris fecerat Laurentius Surius Carthusianus Anno 1576. eamque præfixit operi ab eodem prænotato hoc titulo -- *Homiliae, sive Conciones præstantissimorum Ecclesie Catholicae Doctorum ab Albino Flacco, seu Alcuino jussu Caroli Magni primùm acri judicio collectæ, & subinde ab aliis non parum auctæ.* Quibus accessere in totius æquæ anni Epistolas Conciones exegeticae -- In quo quidem opere laudatus Surius recognovit jam antiquam

collectionem Alcuini & à pluribus mendis vendicavit, & aliquot locis adauxit. In prælaudata autem Epistola Caroli Magni ab eodem Suario evulgata hæc præcisè verba leguntur. - Denique quia ad Nocturnale Officium copulatas quorundam casu labore, licet recto intuitu, minus tamen idoneo, reperimus Lectiones, quippe quæ & sine Auctorum suorum vocabulis essent positæ, & infinitis vitiorum anfractibus scaterent: non sumus passî, nostris in diebus in Divinis Lectionibus inter Sacra Officia, inconfonantes perstreperè &c.

De Passionibus verò SS. Martyrum legendis publice in Ecclesia antiquior fuit usus. Hujus rei præclarum perhibet testimonium S. Augustinus in Sermon. 2. de S. Stephano, ubi sic loquitur: *Cum alio un Martyrum vix gesti inventamus, quæ in Sollemnitatibus eorum recitari possimus, hujus passio in Canonico libro est*: Et in Concilio Carthaginensi tertio sub finem Seculi IV. celebrato permillum fuerat legi passiones Martyrum, cum Anniversarii dies eorum celebrantur. Concilium etiam Milevetanum *Can. 12.* concessit legi Passiones Martyrum in eorundem Anniversario, sive die Festo. Trullana verò Synodus *an. 63.* passia Martyrum, aliorumque Sanctorum Acta legi vetat; sed ex hac prohibitione colligi potest, genuinas Martyrum historias solitas fuisse legi. In Regula etiam S. Casarii ad Virgines apud Bollandum Januarii *12. num. 69.* decernitur, ut - *Quando Festivitates Martyrum celebrantur, prima Missa de Evangelio legatur*, (nomine Missæ non solum Casarius, sed etiam Aurelianus in suis Regulis, ut notat Mabillon *in disquisit. de C. vsu Callicano num. 34.* Lectiones intelligunt) *religiosa de Passionibus Martyrum*. - Idem habetur in Regula S. Aureliani, & in Ordine psallendi, & in Regula Ferreoli *cap. 18.* Unde gravis erroris postulatur Agobardus Episcopus Lugdunensis, qui in Opusculo *De veteri ritu canendi Psalmos, & de correctione Antiphonarum*, nihil Divinis in Offi-

ciis audiri debere propugnat, nisi Sacram Scripturam; ne, inquit, ignem alienum offeramus Deo. Agobardo occasionem errandi præbere potuit Concilium Laodicenum *Canon 59.* quo prohibetur legi alios, quam Sacros Canonicos libros, quos singillatim recenset. Hæc, & alia, quæ adduci possent, testimonia comprobant antiquum morem legendi in Officio SS. Martyrum Acta. Veram in Romana Ecclesia ut ex veteri Ordine Romano Sangallenti à Cardinali Thomasio edito, & supra à nobis citato habetur. *Passiones Sanctorum, vel gesta ipsorum, usque Hadriani tempore, tantummodo ibi legebantur, ubi Ecclesia ipsius Sancti, vel Titulus erat. Ipse verò (nempe Hadrianus) à tempore suo recitari iussit, & in Ecclesia S. Petri legendas esse constituit.* Ita præfatus Ordo *pag. 405.*

Prætereundum non est, quòd Martyrum Actorum Lectio ad Missam fiebat ante Epistolam, & Evangelium, & hinc est, quòd eadem acta quibusdam Missalibus, & Sacramentariis inserta fuerunt. Mos iste servatus fuit in Gallia ad IX. usque Seculum, in Hispania verò ultra X. ut ex Liturgia Gallicana eruitur. Eadem acta sub Missæ medium explicabantur ab Episcopo, & hinc originem suam traxerunt Homiliæ, sive Sermones, quos PP. in Martyrum laudem pronuntiabant. Lectiones istas Martyrum Romana Ecclesia suo Missali inferi nunquam permisit, ut videre est ex Codicibus Sacramentorum, seu Missalibus Gelasiano, & Gregoriano, quæ tamen in ipsis Præfationibus, Martyrum, eorumque tormentorum genera paucis verbis meminerunt, sed ita cautè, ut falsitatis nota inuri non possent. Ex quo autem in Liturgia Romana Martyrum Acta non legerentur, inferri legitimè potest, quòd, quando in Ordinibus Romanis præscribitur eorundem Actorum Lectio, intelligi debet de Lectionibus in Officio faciendis, vel eosdem Ordines ad alias Ecclesias pertinere.

Nicolaus de Clemangis relatus à Grancolas *loc. supracit.* in Tractatu de Festorum imminutione improbat usum inventum in plebrique Ecclesiis nulla ferè recitandi Officia de Tempore, cum ex hoc ortus fuerit abusus vix amplius Divinam Scripturam in Officio legendi, sed tantum Sanctorum historias, ita ut alicubi nihil ferè aliud ad primum, & secundum Nocturnum legeretur, atque aliquoties omnes novem ipsæ Lectiones, è vita Sancti, cujus Officium celebrabatur, petita essent, imò duodecim etiam Lectiones de vita, & transitu S. Benedicti in Nocturnis ejus Festi legebantur à Monachis, ejusdem Alumnis, ut habetur in Consuetudinibus Dionysianis Codicis Colbertini relati à Martene *lib. 4. de antiq. Monach. Rit. cap. 4. num. 9.* Ab iisdem Dionysianis legebantur pariter duodecim Lectiones de Passione S. Hyppoliti in ejus Festo, ut testatur idem Martene eodem *lib. 4. cap. 7. n. 18.* Rursus in Ordine Tullensi ad Nocturnos in Festo S. Martini duodecim erant Lectiones de vita ejusdem Sancti, ut idem Martene refert eodem *lib. 4. cap. 9. num. 14.* & in Officio S. Francisci apud Minores erant novem Lectiones ex legenda S. Bonaventuræ per totam Octavam, quæ methodus circa Lectiones novem de vita alicujus Sancti passim in eorum antiquis Breviariis tenebatur. Verum hæc disciplina penitus abrogata est, cum in omnibus Ecclesiis, nonnulli tres habeantur Lectiones in Nocturnis, eruta ex vita illius Sancti, cujus Festum recolitur.

X. Gavant. eod. num. 16. -- *Ea fuerunt à Cardinalibus Bellarmino, & Baronio recognita &c.*) Narrat Gavantus, testis oculatus, secundas Lectiones ex Historiis Sanctorum, quas nunc habemus, recognitas fuisse à Cardinalibus Bellarmino, & Baronio, qui rejecerunt ea omnia, quæ jure merito in dubium revocari poterant. Hæc tamen Gavanti assertio Jacobo Laderchio, Annalium Baronii continuatori, non placet, & Gavantum audet perstringere in opere, cui titulus

*Acta Sanctorum Martyrum vindicata ab Odoacre Ibachio.* Ita in prædicto suo opere hoc aliud larvatum, & insolitum Laderchius nomen assumpsit, forsitan, ut pueris metum incuteret. Ejus censura non satis videtur æqua; quamvis etenim verum sit, non omnia à Breviario expuncta fuisse, quæ Viri illi doctissimi expungenda putaverant, verum tamen semper est, secundas Lectiones historicas Sanctorum, quorum gesta referuntur, & quæ modò in Breviario habentur, ab illis recognitas fuisse, & rejecta, quæ jure merito revocari poterant in dubium. Imò ipsemet Gavantus fatetur, quòd aliqua, quæ controversa erant, utpote alicujus gravis Auctoris testimonio suffulta, cum aliquam haberent probabilitatem, idè rejecta non fuerunt, sed retenta eo modo, quo erant, falsitatis siquidem argui non possunt, quamvis fortasse opposita sententia sit à pluribus recepta.

XI. Gavant. pag. 67. col. 2. n. 17. -- *Pro tertio Nocturno Evangelium cum sua Homilia legitur &c.*) Priscis temporibus, ut supra diximus, ad tertium Nocturnum Lectiones ex novo quidem Testamento desumptæ legebantur, sicut etiam usque modo leguntur tribus diebus ante Pascha, non verò legebatur Evangelium, quia hoc Missæ Lectioni destinatum erat. Verum postea tertii Nocturni ordo mutatus fuit, & institutus Ricus legendi Evangelii diei currentis initium tantum ad nimiam Officii longitudinem evitandam, & deinde Homiliam, sive cujusdam Patris ejusdem Evangelii explanationem, ut quemadmodum pro Lectione secundi Nocturni, explicatio alicujus Patris, Lectionis in primo Nocturno dicta, atque ex veteri Testamento depromptæ, legebatur; ita etiam tertii Nocturni Lectiones explanationem quamdam Evangelii, ab aliquo Patre traditam, complecterentur. Censet Grancolas *lib. supracit. cap. 32.* hunc morem originem suam trahere ex Regula S. Benedicti. Verum S. Benedictus id tantum præscribit *cap. 11.* ut

ut Abbas dicto Hymno *Tu Deum laudamus* legat *Lectiōnem de Evangelio*, nulla facta Homiliæ legendæ mentione. Præfatus Ritus nominis Seculo VII. in Ecclesia in vectus fuisse videtur; idque deducitur ex Codice Homiliarum, quas jussu Caroli Magni Paulus Diaconus, ut supra diximus, limavit: in epistola enim ejusdem Caroli supponitur, hunc Ritum jam antea introductum fuisse, legendi Homilias in Divino Officio, nimirum explanationes Evangeliorum.

XII. Gavant. pag. 68. col. 1. n. 19. -- *Ut legas titulum Libri, seu Evangelii.* Juxta recentem Ritum à Lectore semper legitur titulus Libri, seu Evangelii &c. Antiquitas tamen postquam Libri inscriptio semel lecta fuerat, sequentibus diebus, durante ejusdem Libri Lectiōne, minimè repetebatur inscriptio, seu titulus Libri; hinc sine inscriptiōne leguntur Lectiōnes Isaïæ ad primum Nocturnum Natalis Domini; Capita item sine titulo leguntur, quia olim erant continuatio illorum, quæ ad Matutinum recitata fuerant; vel quòd ex Epistola Missæ excerpta sint, quæ nunquam sine inscriptiōne legitur.

XIII. Gavant. pag. 68. col. 1. n. 20. -- *In fine Lectiōnis dicitur: Tu autem Domine miserere nobis &c.* Olim valde prolixæ erant Lectiōnes, quæ recitabantur in Nocturnis; Aureliani siquidem Regula præscribit, ut tres, vel quatuor paginæ legantur pro Scripturæ modo; S. Casarius vero ait, tres paginas ad singulas Lectiōnes legendas esse; Udalricus in Conluetudinibus Cluniacensibus refert, librum Geneseos Septuagesimæ hebdomada perlectum fuisse, Isaïam sex ante Adventum Noctibus, Epistolam ad Romanos duabus; unde libri cujusque Lectiō donec absolutus esset, perdurabat, & ideo integra legebatur Sacra Scriptura in Cursu Officii Divini. Quoniam igitur prolixæ ita erant Sacra Lectiōnes, pertinebat ad eum, qui Choro præsidebat, jubere, ut Lectio cessaret, dicendo *Tu autem*, respondente Le-

ctore, *Domine, miserere nobis.* Chorus autem dicebat *Deo gratias.* Monachus S. Galli in vita Caroli Magni ait, Imperatorem illum, signum Lectori, ut cessaret, dedisse sibi quodam linguæ. Nunc autem quia in nostro Cursu præscriptæ sunt breviores Lectiōnes, & illarum quantitas legendæ, disponitur pariter, quòd Lector terminata Lectiōne dicat *Tu autem Domine, miserere nobis*, cui succinit Chorus dicens: *Deo gratias.*

Huc spectaret disquisitio 43. quam in Opusculo secundo de *Div. Offis. & Choro* instituit eruditissimus noster Franciscus Maria Maggus, nimirum an in Officio Nocturno quoties à Lectore *Tu autem Domine &c.* dicitur, toties, etiam si SS. Sacramentum à Choro absit, sit genuflectendum? sed quia de hac re differendi occasio occurrit etiam supra in Observationibus nostris ad præcedens Caput Gavanti sub num. iv. idcirco ad ea, quæ ibi diximus, Lectorem remittimus, addimus tamen, quòd etiam juxta Ceremoniale Papale lib. 2. cap. 11. præscribitur genuflexio faciendæ ab iis, qui non sunt Cardinales, ad differentiam eorundem, finita Lectiōne, cum dicunt *Tu autem Domine &c.* & tamen supponitur, non adesse Sacramentum in Sacello Pontificio. Juvat tamen scire, quòd unus in medio præfati Sacelli unicam tantum Lectiōnem cantat, non verò tres; & quia debet discedere, ideo si est Cardinalis, inclinat tantum profunde, si verò tali dignitate non est insignitus, genuflectit. Rupertus lib. 1. cap. 13. & ex eo Macrius in suo Hierolexico; v. *Lectio*, addens ibidem: *Et ideo flexis genibus talia verba, nempe Tu autem Domine, dicuntur.* Immo Donatus Ramerius lib. 1. cap. 8. in Rituali PP. Cœlestinorum præscribit, ut *Lectiōne expleta, genuflectat (Lector) Altare versus, statimque ad Abbatem conversus, in terram se prosternens, omnino veniam de more petat: & facto ab ipso Præsidente signo, mox surgat.* Prædicta omnia confirmantur auctoritate Cardinalis Bona, qui cap. 16. de *Divina Psal-*

*Psalmodia num. 7. ait: Quia ipsum legendi munus sine aliqua culpa peragi nequit. Si rectè legit, animum tentat elatio: si malè, vana sequitur confusio. Semper idèo misericordia Dei indiget, qui legit, ne opus per se bonum, vel superbia contamine vitium, vel damnabilis verecundia pudor inficiat.* En igitur ratio, ob quam à Ceremonialibus, & à Rubricistis præscribitur antedicta genuflexio. Unde tota quaestio præcipua, quæ agitur inter Auctores, in hoc sita videtur, utrum Lector in ultima tantum Lectione ex tribus, quam legit, vel in qualibet ex dictis Lectionibus debeat genuflectere ad illa verba *Tu autem Domine &c.* Franciscus Maggii supracit. ut dixi, censet, hæc in re nostrates sequi debere dispositionem Ceremonialis à Castaldo concinnati, non verò Ritum, quem idem Auctor in sua Praxi tradidit, quia prima illa dispositio est magis conformis Ritui Romano, & est juxta mentem clarissimorum Auctorum, & multorum Ceremonialium. Et equidem in Ceremoniali Canonico Regularium cap. 8. habetur: *genuflectat semper Lector, quando post Lectiones dicit Tu autem Domine &c.* Zacharias Boverius in Ceremoniali Cypriacorum lib. 1. cap. 16. ait: *Cum in fine Lectionum pronuntiatur. Tu autem Domine &c. & in die Parasceve quoties ante Crucem fit transitus, toties genuflexiones iterentur.* Idem præscribitur in Ceremoniali Augustinensium Discalceatorum lib. 2. cap. 5. §. ult. Eandem sententiam amplectuntur Arnaudus in Epitome part. 3. tit. 2. n. 7. Corsetus tract. 1. cap. 19. num. 2. & Bauldry part. 2. cap. 15. num. 3. ubi ait: *Genuflectendum à Lectore in fine Lectionis dicente: Tu autem Domine miserere nobis ad quascunque Lectiones, excepto Celebrante parato, præsertim verò Gavant. Sect. X. cap. 2. num. 8. sed nos libentius iterum adhæremus illis, quos primo loco adduximus, & qui unicam tantum genuflexionem in ultima Lectione faciendam esse, docent.* Caterum allegatus Maggii loc. cit. n. 256. Gavant. Rubr. Brev.

adstruit, quòd Superior, aut Abbas, aut Præpositus sufficit, quòd ad illa verba *Tu autem Domine &c.* caput versus Altare profundè solùm inclinet, & id deducit ex citato Ceremoniali Episcoporum. Expressè autem id præscribunt Camaldulenses, Clerici Regulares Minores, & alii in Ceremonialibus suis. Cum tamen adest SS. Sacramentum in Altari, quilibet, nemine excepto, antiquàm à legili discedat, debet genuflectere, & tunc ob reverentiam SS. Sacramenti, quod si abesset, sufficeret profunda inclinatio Altari facta à prædictis Abbatibus, Superioribus, & Canonicis Cathedralis Ecclesiæ, non verò à reliquis inferioribus.

XIV. Gavant. pag. 68. col. 1. n. 21. -- *Denique ad Lectiones sedetur &c.*) Mos iste assidendi ad Lectiones est antiquissimus, & quia valde longæ erant, & ut majori cum attentione audirentur. Ita S. Casarius serm. 300. qui reperitur in appendice operum S. Augustini, ait: *Quando aut passiones prolixæ, aut certe aliqua Lectiones longiores leguntur, qui stare non possunt, humiliter, & cum silentio sedentes, attentis auribus audiant, quæ leguntur.* Et S. Petrus Damianus Opusc. 33. *Prohibendum est (ait) non modo Clericis, sed etiam laicis, ut nisi, sicuti mos est, inter Nocturni Officii Lectiones, nemo sedet.* In Regula verò S. Benedicti cap. 9. expressè præscribitur: *sedentibus omnibus in scamnis legantur à Fratribus Lectiones.* Ex quibus verbis intulit satis appositè Menardus, Monachis Benedictinis inter psallendum, juxta institutum suum, esse standum: qui enim jubentur sedere, ait ipse, dum leguntur Lectiones, prius stetit psallendo necesse est; de quo Ritu psallendi stando, & non sedendo nos supra alia tradidimus. Juxta Regulam verò S. Casarii num. 20. non solùm audientibus, sed Lectori ipsi, propter longitudinem Lectionum sedere licebat: *legat Frater solitaria, & orate: legat alia tria, & leve se, & idem præscribitur in Regula S. Aureliani num. 55. quantum Abbati visum fuerit, tantum*

sum legatur; quando signum facit, qui legit, sine mora consurgat. Juxta eandem S. Aureliani Regulam num. 29. qui Officiis aderant, dum Lectiones legebantur, ne obdormiscent, opus aliquod faciebant: ad Vigiliis dum Lectio legitur, aut de Sparto, aut de Cannabe, aut aliud hujusmodi manibus operamini, ut non somnus obrepat, si verò Dominicus, aut Festi sunt dies, cui somnus venerit, aliis sedentibus, jubeatur stare, ut possit à se somni marem repellere; ne in opere Dei aut tepidus inveniat, aut negligens. Denique juxta eandem Aureliani Regulam num. 54. *Omni Dominica post Nocturnos cum prima Missa, nempe Lectio legitur, id est, resurrectio, nullus sedere presumat, sed omnes stent. Alia Dominica, alia resurrectio, & sic in ordine tota quatuor resurrectiones per singulas Dominicas legantur.* Juxta nostrum Ritum omnes stare debent, quando legitur textus Evangelii ab Hebdomadario, live ab alio, ante Homiliam. Ad

Lectiones quoque in Officio parvo B. V. in Adventu laudabilius statur, ut docet Gavantus Sect. X. cap. 1. num. 3.

Superest pro coronide hujus capituli, & harum Additionum, ut aliqua mentio fiat de Decretis datis in nostro Indice sub numeris 39. & 43. in quibus sancitum est, quòd Lectiones duæ penultimæ, quando ab Episcopo Matutinum sollempniter celebratur, sunt cantandæ à duobus Canonicis, qui hinc inde assistunt Episcopo, sive sint Dignitates, sive Canonici etiam ultimi non obstante alia consuetudine -- Et quòd Lectiones, & Lamentationes deficientibus Cantoribus cantandæ sunt à Canonicis incipiendo à Junioribus. Videnda sunt etiam Decreta data in nostro Indice sub numeris 182. 202. 203. 204. 235. 278. 283. 296. 297. 298. 299. 300. 301. 302. 303. 307. 308. 309. 320. ad hanc materiam Lectionum legendarum in Matutinis spectantia.

## De Responsoris post Lectiones. XXVII.

### RUBRICA.

- 1 **R**esponsorio dicuntur ad Matutinum post Lectiones; id est: post quamlibet Lectionem dicitur unum Responsorium, ut infra.
- 2 In Festis novem Lectionum (præterquam in Festo Sanctorum Innocentium, quando non venerit in Dominica,) & in Dominicis ab Octava Pasche inclusivè usque ad Adventum exclusivè, & à Dominica infra Octavam Nativitatis inclusivè usque ad Septuagesimam exclusivè, dicuntur octo tantum Responsorio. Et in fine tertii, & sexti, & octavi, dicitur Gloria Patri. Cum repetitione partis Responsorii quod regulare est in fine ultimi Responsorii cujuslibet Nocturni tam in Officio novem, quam trium Lectionum, excepto tempore Passionis; quo tempore loco Gloria Patri, repetitur Responsorium à principio: excepto etiam Officio Defunctorum, cujus loco dicitur: Requiem aeternam &c. Qui Versus: Gloria Patri. Quibusdam diebus dicitur in primo Responsorio, ut in propriis locis annotatur. Post novam Lectionem, prædictis diebus quando octo tantum dicuntur Responsorio, immediatè dicitur Hymnus: Te Deum.
- 3 In Dominicis Adventus, & in Dominicis à Septuagesima usque ad Dominicam Palmarum inclusivè, & in triduo ante Pascha dicuntur novem Responsorio, quia tunc non dicitur Te Deum.

- 4 In Officio autem trium Lectionum, quando fit de Festo, & in Feriis temporis Paschalis, quod est inter Dominicam in Albis & Ascensionem, (excepta Feria ij. Rogationum, in qua ponitur iij. Responsorium) dicuntur duo Responsoria, quia post iij. Lectionem dicitur: Te Deum. Quae Responsoria in Festis sumuntur de Communi Sanctorum; & in dictis Feriis temporis Paschalis, quando alia propria non assignantur, sumuntur de Dominica, in qua primò sunt posita, hoc ordine: Secunda & v. Feria, primum & secundum Responsorium primi Nocturni: Feria iij. & vj. primum & secundum Responsorium secundi Nocturni: Feria iv. primum & secundum Responsorium iij. Nocturni.
- 5 In aliis Feriis extra tempus Paschale dicuntur tria Responsoria (quia in illis non dicitur Te Deum.) hoc ordine. Feria ij. & v. tria Responsoria primi Nocturni: Feria iij. & vj. tria Responsoria secundi Nocturni: Feria iv. & Sabbato, quando in eo fit de Feria, tria Responsoria tertii Nocturni Dominica precedentis, in qua primò sunt posita. Verùm quia in tertio Nocturno Dominicarum, à tertia post Pentecosten inclusivè usque ad Adventum exclusivè, non habetur nisi unum Responsorium dicendum infra Hebdomadam, quod est septimum in Dominica, propterea quòd Responsorium: Duo Seraphim. Non dicitur nisi in pradiictis Dominicis; ideo Feria iv. & Sabbato, quando Responsoria sumenda erunt ex tertio Nocturno, primum Responsorium erit, quod est vij. Dominica: secundo & tertio loco dicitur ij. & iij. sequentis Feria; id est, post secundam & tertiam Lectionem dicitur ij. & iij. Responsorium, quod est ij. & iij. secundae sequentis Feria, si propria Responsoria habuerit; alioquin si non habuerit propria, dicitur ij. & iij. Responsorium primi Nocturni ejusdem Dominica. Ab Octava Epiphania usque ad Septuagesimam habentur Responsoria propria in singulis Feriis, excepto Sabbato; in quo, quando fit de Feria, dicuntur Responsoria Feria quarta.
- 6 Sumuntur autem Responsoria ex eo loco, ubi primò sunt posita in principio mensis, vel libri, & repetuntur in aliis sequentibus Dominicis illius mensis, in quibus alia non assignantur, vel donec de illo libro legitur, unde sumpta sunt Responsoria. Quae autem in prima Hebdomada mensis posita sunt per Ferias, repetuntur eodem ordine in eisdem Feriis per sequentes Hebdomadas, donec alia ponantur. Ubi verò non adsunt propria, semper ex Nocturnis Dominica sumuntur dicto ordine.
- 7 Si Responsoria primi Nocturni ejus Dominica, in qua primò ponuntur, propter Festum Duplex in ea occurrens, in ipsa Dominica poni non possint, ponantur prima die ejus Hebdomada, in qua occurrit fieri de Feria, & omittantur alia, quae fortè in illa Feria propria haberentur. Si verò in tota Hebdomada non occurrat dies, in quo fiat de Feria, illa Responsoria ponantur in sequenti Hebdomada vel Dominica similiter non impedita, & dummodo in ea alia Responsoria non sint primò ponenda; alioquin eo anno omittantur. Responsoria etiam, quae in aliquibus

*Feriis per Hebdomadam habentur, si eo die, quo posita sunt, non possunt dici propter Festum occurrens, non sunt transferenda in aliam diem, sed omituntur.*

8 *Tempore Paschali in fine Responsorii ante Versum additur: Alleluja.*

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Cap. XIII. De Responsoriiis.

I. Gavant. pag. 68. col. 2. n. 1. -- *Responsorium post Lectiones &c.*) Post Lectiones dicuntur Responsoria. Responsorium autem quodlibet duabus constat partibus, priori, quæ ipsa Responsorium dicitur, & posteriori, quam *Versum* appellamus. Et sic ambo invicem committi, & aptari decet, ut verba, in quibus definit Versus cum parte Responsorii resumenda, quadrent appositè, sensum efficiendò hærentem, ac congruum, non autem distortum, & à proposito aberrantem. In quibusdam, ut bene ponderat Guyetus *lib. 3. cap. 4. quest. 5.* videtur id studiosè spectatum, ut Responsorio de Actis sumpto, Versus de Scriptura subnectatur; hæc ratione S. Thomas sic Responsoria in Officio Corporis Christi concinnavit, ut Responsorio de veteri Testamento, Versus de novo attextatur, & vicissim, quasi ambo Testamenta, duo illa sint Seraphim clamantia unum ad alterum. Aliorum verò cum aliis vix ulla est connexio, nisi quòd in plerisque Officiis primum, & ultimum insignioribus sententiis, seu elogiis constare videntur.

II. Gavant. pag. 68. col. 1. n. 2. -- *Itali primum inventores fuerunt Responsoriorum &c.*) Responsoria, de quibus nunc est sermo, nempe verba, & Versus, qui sæpe iterantur, ab Italis longo antè tempore fuissè reperta, non solum tradit Isidorus à Gavanto citatus, sed etiam Rabanus, alique, immò & Papias in suo Vocabulario dicens: *Responsoria Itali tradiderunt antiquàm Græci Antiphonas, inde dicta, quòd alio canere desinente, alter respondeat & in hoc differunt ab Antiphonis, quia in Responsoriiis unus Versum dicit & in illis*

*autem Antiphonarum Versibus Chori alternant.* Antiquissimum esse ejusmodi Responsoriorum usum in Ecclesia Romana, colligit noster commendatissimus Thomasius in Præfatione ad librum prænotatum: *Responsorialia, & Antiphonalia Romana Ecclesia*, colligit, inquam, ex prisca cautione, quam Romano Pontifici præstare solebat Episcopus recens ordinatus; vide *tit. 7. libri Diurni Rom. Pontif.* ejus cautionis formulam ea tempora sapere, quæ S. Gregorium Magnum præcellere facile quisque existimabit, si Pelagii Papæ Rescriptum cum illa contulerit, relatum *cap. Eleutherius dist. 91.* Ex Italia ab antiquissimis temporibus Responsoria acceperunt Ecclesiæ Galliarum, atque Hispaniarum, ut ex veteribus illarum gentium Conciliis, aliisque monumentis latis apparet. Hæc Thomasius, qui procedit ad diligenter considerandum veterem, germanumque modum Responsorii modulandi, atque intercalandi tum in Missa, tum in Divinis Officiis, de quo Ritu infra nos quoque sermonem habebimus, nempe in nostris Observationibus ad num. 5. Gavanti.

III. Gavant. pag. 69. col. 1. n. 3. -- *Additum est Gloria Patri &c.*) De hoc Hymno glorificationis, nempe *Gloria Patri &c.* Responsoriiis adjuncto ait Amalarius *cap. 18. ab initio tertio cantabantur Responsoria à Cantoribus: quem ordinem monstrant Responsoria de Passione Domini & non enim ab initio cum Responsoriiis cantabatur Gloria.* Et *cap. 1.* idem Auctor hæc habet: *Priscis temporibus non cantabatur Gloria post Versum, sed repetebatur Responsorium . . . à Modernis verò A-*  
post-

postolicis additus est Hymnus Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto post Versum. Quod quidem additamentum ex S. Benedicti Regula mutuatum à Romanis Pontificibus rectissime censet laudatus Thomasius: verè enim S. Patriarcha saltem in tertio Responso dicitur Hymnum decantari voluit. Radulphus Tungrensis in libro de observatione Canonum *propof. 12.* de eodem Hymno hæc tradit: Gloria Patri Responsum Roma in libris antiquis reperitur integrè cantatum ad notam toni; sicuti facimus post Introitum. Et quia posteris non placuit totum cantari, idè decise cantatur in quolibet octo tonorum usque; si ut erat. Narrat pariter Walfridus Strabo de Rebus Ecclesiæ *cap. 25.* crebrius à Romanis prædictum Hymnum in Responso usurpatum fuisse, sed & Concilium Toletanum 4. à Gavanto citatum redarguit eos, qui in Responso non adhibebant Gloria Patri; & *Can. 15.* statuit, esse canendum cum hac discretionè -- Ut in lætis sequatur Gloria, in tristioribus, repetatur principium -- Id quod est adhuc in usu, unde nec dicitur in Officio Defunctorum ex Concilio Aquisgran. *Can. 66.* nec à Dominica Passionis usque ad Pascha, quia à tunc Dominica incipit Ecclesia recitare ignominiam Passionis Christi, & Gloria Christi cum ignominia Passionis ejus dicenda non est congrua. Hanc afferunt rationem consuetudines Grandimontenses *cap. 15.* cur tunc temporis in Responso, Invitatoriis &c. Gloria Patri dimittatur. Hildemarus tamen *cap. 14.* in Reg. S. Benedicti adstruit, in suo Monasterio semper dici Gloria præterquam triduo ante Pascha.

IV. Gavant. pag. 69. col. 1. n. 5. -- Qui inchoat Responsum, idem & Versum recitat &c. Qui olim Responsum præcinebat, unus dumtaxat erat Cantor, non duo Cantores, ut testatur Isidorus *cap. 8. de Divin. Offic.* citatus supra à Gavanto, cujus tamen verba hæc sunt: Responsum ab Italis longo ante tempore sunt reperta, & vocata hoc nomine, quòd uno canente, Chorus consonando re-

spondeat. Antè autem id solus quisque agebat; nunc unus interdum, & interdum duo, vel tres communiter canunt, Choro in pluribus respondente. Romæ vigeat hic Ritus etiam Seculo IX. ut unus scilicet Cantor Responsum cantaret, & hoc testatur Amalarius de Ord. Antiphonarii *cap. 18.* & alibi. Id quod servabatur pariter in Responso Graduali Missæ, ut ex eodem Amalario *lib. 2. de Ecclesiasticis Officiis cap. 11.* & ex Ordine Romano in Monasterio Sangallensi asservato, & à Thomasio edito, aliisque constat Auctoribus. Posteriori ævo Cantores duo in Ecclesia Romana Responsum Graduale modulari ceperunt, ut in Ceremoniali Benedicti Canonici habetur.

Cantor cum primò Responsum præcinebat, non excelsa ad id voce utebatur, nesciens, quomodo idem finiretur Versus celtiore forsitan nota cantandus. Versu contra cantato, fidenter alta voce repetebatur Responsum, intercenti Versus nota planè jam perspecta. Hæc tradunt Amalarius *lib. 2. cap. 11.* & Sychardus in suo Mitræli MS. de Responso Graduali Missæ; id quod æquè, atque in Responso cæteris locum habet. Cum autem iidem Auctores dicunt, Responsum Graduale post Versum iterum à Præcatore inchoandum, id sanè dicunt ex more tunc temporis recepto; rectius namque juxta præscam Responso cantus rationem à toto simul Choro repeti debet Responsum ab initio ad finem usque; vide eundem Amalarium de Ord. Antiphon. *cap. 18.*

Cæterum Ritus præsens canendi dicta Responso varius est juxta Ecclesiarum variarum consuetudines, & dispositiones: Caltaldus in Ceremoniali nostræ Congregationis *lib. 2. cap. 18. num. 16.* hæc describit: Responso post Lectiones à toto Choro simul dicuntur, Versus verò nisi solemniter celebretur ab eodem, qui Lectiones tam in Officio Divino, quam in Officio parvo B. V. & Mortuorum legendi sunt. Quando au-

tem sollempniter celebratur, tunc Versus dicuntur ab iisdem Cantoribus, qui Psalmos intonant. In aliquibus autem Ecclesiis mos viget, ut Responsorium incipiatur ab Hebdomadario & deinde à Choro reliquum Responsorii dicatur, & Versus ab eodem, qui legit Lectiones, si tamen non sit Canonicus Ecclesie Cathedralis, tunc etenim deberet dici Versus à Cantoribus deputatis. In Exequiis verò Defunctorum etiam juxta nostrum Ceremoniale Responsorialia inchoantur à Cantoribus, quæ deinde Chorus profertur.

V. Gavant. eod. num. 5. -- *Repetitio post Gloria Patri debet esse brevior, quam post Versum &c.* Responsorialia quandoque sunt longiora, præsertim ea, quibus addendus est Versus *Gloria Patri*. Duplex in nonnullis est repetitio, altera post Versum incipiendo à remotiori asterisco, altera post *Gloria Pa-*

*tri*, & hæc fit à viciniore asterisco. Igitur quando duobus asteriscis est divisum Responsorium, prima repetitio juxta mentem Gavanti, quam optimè explicat Pisart *Direct. Canon. in reflex. post tit. 7. num. 6.* debet fieri à primo asterisco usque ad Versum, non verò usque ad secundum asteriscum tantum, secunda verò repetitio, quæ fit post *Gloria Patri*, & quæ reverà debet esse brevior, non comprehendit nisi verba, quæ habentur post secundum asteriscum, v. g. in Responsorio octavo Dominicarum intra annum post 8. repetuntur hæc omnia verba: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, Plena est omnis Terra gloria ejus*, & post *Gloria Patri* iterum repetuntur hæc verba tantum: *Plena est omnis Terra gloria ejus*. Cæterùm vide Decreta data in nostro Indice sub num. 178. 251. & 304. quæ spectant ad hanc materiam.

## De Responsorialibus brevibus Horarum, XXVIII.

### RUBRICA.

- 1 **R**esponsorialia breviter dicuntur post Capitulum ad Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam, & ad Completorium, præterquam in triduo ante Pascha usque ad Nonam Sabbati in Albis inclusivè, quibus diebus non dicuntur. Ad Primam, & Completorium semper dicuntur eodem modo, ut in Psalterio. In aliis Horis, quando fit Officium de Dominica, vel Feria per annum, dicuntur, ut habentur in Psalterio: in Adventu autem, Quadragesima, tempore Passionis, & Paschali, ut suis locis habentur propria: in Festis similiter, quando non habentur propria, dicuntur ut in Communi Sanctorum.
- 2 In fine Responsorii brevis dicitur, *Gloria Patri*, cum repetitione Responsorii, eo modo, quo ordinatur ad Primam in Psalterio, præterquam tempore Passionis; tunc enim non dicitur, *Gloria Patri*, in Officio de Tempore, sed solum repetitur Responsorium breve à principio.
- 3 In Responsorio brevi ad Primam, loco Versus: *Qui sedes &c.* in Adventu dicitur: *Qui venturus es in mundum*, tam in Dominicis, & Feriis, quam in Festis: excepto Festo Conceptionis B. Mariae. In Nativitate Domini usque ad Epiphaniam, etiam in Festis occurrentibus: in Festo Corporis Christi, & per Octavam, & in omni Officio B. Mariae tam novem, quam trium Lectionum, etiamsi infra ejusdem Octavas fiat de Festo, vel de Dominica, dicitur: *Qui natus es de Maria Virgine.*

In

In Epiphania, & per Octavam, & in Festo Transfigurationis dicitur: Qui apparuisti hodie. A Dominica in Albis inclusivè usque ad Ascensionem exclusivè, tam in Officio de Tempore, quàm de Sanctis (excepto Officio S. Mariae) semper dicitur: Qui surrexisti à mortuis. In Ascensione usque ad Pentecosten exclusivè, dicitur: Qui scandis super sidera. In Pentecoste, & reliquo anni tempore, tam in Officio de Tempore, quàm de Sanctis, dicitur: Qui sedes ad dexteram Patris, ut in Psalterio.

- 4 Responsorialia breviora aliarum Horarum, quae ponuntur in prima Dominica de Adventu, dicuntur per totum Adventum, quando fit Officium de Tempore: similiter, quae ponuntur in prima Dominica Quadragesimae, dicuntur usque ad Dominicam Passionis exclusivè: & quae ponuntur in Dominica Passionis, dicuntur usque ad Feriam v. in Cena Domini exclusivè: item, quae ponuntur in Dominica in Albis, dicuntur usque ad Ascensionem exclusivè: quae verò ponuntur in aliquo Festo habente Octavam, dicuntur per totam Octavam, quando fit de Octava. In Officio autem B. Mariae, tam novem, quàm trium Lectionum (excepto Festo Assumptionis ejusdem) dicuntur semper Responsorialia breviora de Communi Virginum.
- 5 Tempore Paschali, à Dominica in Octava Pascha usque ad Sabbatum post Pentecosten inclusivè, in fine Responsorii brevis ante primum Versum dicuntur duo Alleluja; quae etiam post dictum primum Versum repetuntur pro parte Responsorii; & in fine secundi Versiculi unum tantum Alleluja, tam in Officio de Tempore, quàm de Sanctis, ut dicitur in Rubrica, quae est in Sabbato in Albis. Extra tempus Paschale, quamvis in aliquibus Festis ad Tertiam, Sextam, & Nonam Responsoriiis breviora addantur Alleluja, non ideo adduntur ad Primam, & Completorium.

#### Cap. XIV. De Responsoriiis Brevibus Horarum.

caret novis Observat. & Additionibus.

#### De Capitulis, XXIX.

##### RUBRICA.

- 1 Capitula semper dicuntur (praterquam à Feria v. in Cena Domini usque ad Vesperas Sabbati in Albis exclusivè, & praterquam in Officio Defunctorum) ad Vesperas, Laudes, & alias Horas, dictis Psalmis & Antiphonis; ad Completorium verò, dicto etiam Hymno.
- 2 Capitula Dominicalia posita in Psalterio in primis & secundis Vesperis, in Laudibus & Horis, dicuntur à tertia Dominica post Pentecosten usque ad Adventum, & à secunda post Epiphaniam usque ad Septuagesimam. Capitula autem Ferialia dicuntur post Octavam Pentecostes usque ad Adventum, & ab Octava Epiphania usque

usque ad Dominicam j. Quadragesima. Aliis temporibus dicuntur ut in proprio de tempore: si fit de Sanctis, ut in proprio de Sanctis, cum propria adsunt, alioquin de Communi Sanctorum. Capitulum Primæ & Completorii (quando Capitula dicuntur) nunquam mutatur, ut in Psalterio.

- 3 In Dominicis ab Adventu usque ad Octavam Epiphania, & à Septuagesima usque ad tertiam post Pentecosten, & in Feriis temporis Paschalis, & in omnibus Festis regulariter Capitulum positum in primis Vesperis dicitur in Laudibus, ad Tertiam; & in secularis Vesperis, quibusdam exceptis, quæ suis locis assignantur.
- 4 In Feriis tempore Paschali ad Primam dicitur Capitulum: Regi seculorum; sicut in Dominicis & Festis. Post Capitulum semper respondetur: Deo gratias.

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Cap. XV. De Capitulis.

I. Gavant. pag. 70. col. 2. n. 1. -- Capitula, Lectiuncula &c.) Capitula, de quibus hoc loco est sermo, sunt breves quædam Lectiones à Sacra Scriptura depromptæ, quæ dicuntur ad Horas Canonis, aliquando ante Hymnum, ut ad Laudes, & Vesperas, aliquando post Hymnum, ut ad Completorium, aliquando dictis Psalmis cum Antiphona, ut ad reliquas Horas minores. Hæc Capitula Radulphus *propof.* 13. Lectiunculas appellat observante Gavanto, S. verò Benedictus semper Lectiones vocat, quas memoriter recitandas esse præscribit *cap.* 13. & 17. Regulæ suæ, quod quidem S. Benedicti præscriptum non aliam habet causam præter bre-

vitatem ipsarum Lectionum. Gavantus n. 2. Capitulum ad Tertiam, Sextam, & Nonam S. Ambrosium Auctorem facit; cujus assertionis rationes merito ab ipso desideramus, cum nihil ea de re in ipsius Operibus, neque apud vetustos Auctores inveniamus.

II. Gavant. pag. 72. col. 1. n. 10. -- Si nulla alia suppetit ratio &c.) Crederem, aliquando saltem in prædictis casibus, nimirum quando Capitula discordant à Textu vulgato, suppetere hanc rationem, quòd Ecclesia in his Capitulis utitur aliquando Versione Itala Sacræ Scripturæ, sicut ex eadem versione desumpsit Introitus, & reliqua, quæ in Missa cantantur.

## De Oratione, XXX,

### RUBRICA.

- 1 **O**ratio in Vesperis & Laudibus dicitur post Antiphonas ad Magnificat, & Benedictus immediatè, nisi quando dicende sunt Preces: quæ dicuntur post Antiphonam, & in fine illarum, Oratio. Ad Primam & alias Horas Oratio dicitur post Responsorium breve, nisi dicenda sint Preces; tunc enim Oratio dicitur post Preces. Ad Completorium Oratio dicitur post Antiphonam: Salva nos; nisi dicenda sint Preces: & tunc dicitur post illas.
- 2 Ad Primam & Completorium nunquam mutantur Orationes, quæ habentur in Psalterio, præterquam in triduo ante Pascha; in quo triduo ad omnes Horas usque ad Nonam Sabbati sancti inclusivè post Psalmum: Misereere: dicitur Oratio diei, ut

ut suo loco ponitur. In aliis Horis, regulariter dicitur Oratio, qua dicta est in primis Vesperis. In Quadragesima autem, Quatuor temporibus, Vigiliis, & Feria ij. Rogationum, Oratio, qua dicta est in Laudibus, dicitur tantum ad Tertiam, Sextam, & Nonam. In Vesperis autem sequentibus, si fit de Feria, dicitur vel alia propria ut in Quadragesima, vel Dominica precedentis ut in aliis Feriis; qua Oratio precedentis Dominica semper dicitur in Feriali Officio per Hebdomadam, quando propria non assignatur. Infra Octavas dicitur Oratio ut in die Festi; similiter & in die Octava, nisi alia propria assignetur.

- 3 Ante Orationem, etiam quando aliquis solus recitat Officium, semper dicitur Versus: Dominus vobiscum. Respondetur: Et cum spiritu tuo. Qui Versus non dicitur ab eo, qui non est saltem in ordine Diaconatus, nec à Diacono, presente Sacerdote, nisi de illius licentia; si quis autem ad Diaconatus ordinem non pervenerit, ejus loco dicat: Domine, exaudi orationem meam. Respondetur: Et clamor meus ad te veniat. Deinde dicitur: Oremus; postea Oratio: qua si unica tantum dicatur, Versus: Dominus vobiscum, vel: Domine, exaudi, repetitur finita Oratione, postquam fuerit responsum: Amen. Sin autem plures Orationes dicenda sint, ante quamlibet Orationem dicitur Antiphona & Versus, deinde: Oremus; & post ultimam Orationem repetitur: Dominus vobiscum: postea dicitur: Benedicamus Domino. Respondetur: Deo gratias. Deinde dicitur Versus: Fidelium anime; qui Versus non dicitur post: Benedicamus Domino. Ad Primam ante Pretiosa &c. neque ad Completorium ante Versum: Benedicat &c. nec quando post aliquam Horam immediatè sequitur Officium parvum B. Mariae, vel Officium Defunctorum, aut Septem Psalmi Penitentiales, vel sola Litanie.
- 4 Si Oratio dirigatur ad Patrem, concluditur: Per Dominum; si ad Filium, Qui vivit & regnat. Si in principio Orationis fiat mentio Filii, dicatur: Per eundem; si in fine Orationis, dicatur: Qui tecum vivit & regnat. Si fiat mentio Spiritus Sancti, dicatur: in unitate ejusdem Spiritus Sancti &c.
- 5 Quando plures Orationes dicuntur, prima tantum dicitur sub sua conclusione: Per Dominum, vel aliter, ut supra; alie non concluduntur, nisi in ultima Oratione, sed unicuique Orationi semper proponitur: Oremus: praterquam in Officio Defunctorum, in quo, alio modo, quam ut supra, Orationes dicuntur: item in Litanis Orationes omnes dicuntur conjunctim sub uno: Oremus: ut suis locis habetur.

## Novæ Observationes & Additiones ad Gavanti

### Cap. XVI. De Oratione.

I. Gavant. pag. 72. col. 1. n. 1. -- Unica Oratio dicitur ad omnes Horas juxta Ritum Romanum, exceptis Prima, & Completorio, in quibus quocunque recurrente fiat de Sancto aliquo, sive de Feria, eadem

Gavanti. Rubr. Brev.

C c

Offi.

Officio, semper eadem dicuntur Orationes. In Ambrosiano tamen, sicut & in proprio quorundam Monachorum Ritu multas in unoquoque Officio haberi Orationes, observavit Guyetus, ut ipse testatur *lib. 2. cap. 2. quest. 8.* præsertim in antiquis Breviariis Cluniacensi, Cadomensis, & Majoris Monasterii, in quibus reperit ad Sextam, & Nonam non solum diversa esse Capitula, sed diversas pariter semper poni Orationes, & plurimas quidem selectas admodum, & elegantes. Id quod usus Romanus nequaquam pro uno & eodem Festo, vel die permittit. Permittit vero varias pro variis unius, ejusdemque Sancti Festis, ut constat ex Festis S. Petri ad Vincula, & Cathedræ ejusdem, S. Johannis ante Portam Latinam, & aliis similibus.

II. Laudatus Guyetus *cit. lib. 2. quest. 5.* controversiam instituit, an, & qua ratione exprimenda sint Sanctorum nomina, & qualitates, & advertit in Orationibus S. Felicis Martyris 14. Januarii, SS. Maris, Marthæ &c. 19. ejusdem, SS. Felicis, & Adalphi 30. Augusti, & S. Callisti Papæ, & Martyris 14. Octobris, nomen nullatenus exprimi, non alia ratione, nisi quia tales Orationes sic descriptæ reperiuntur in Sacramentario Gregoriano: in aliis omnibus, quando commode fieri potest, pronunciantur semper Sancti, vel Sanctorum nomina, quorum sit Officium; non idem dicendum est de cognomine; hoc enim nomini Sancti, de quo celebratur Officium, nunquam addi deberet, immò nec patria, unde ponderat laudatus Guyetus ibidem, quòd Maria Magdalena, Johanne Chrysofomo, & Johanne Gualberto exceptis (quibus tamen addi possunt Petrus Nolascus, Johannes de Matha, & Petrus Chrysofologus) in nullo alio Sancto servatum est in Breviario Romano, quòd præter nomen addatur in Oratione vel patria, vel cognomen, vel alicujus virtutis naturalis, quam habuerunt, commendatio, sicut nec Sedis Episcopalis mentio, quam tenuerunt; & equi-

dem hæc videtur mens S. R. C. nam ab eadem die 22. Decembris 1624. hoc Decretum emanavit: *Regulares Ordinis Miniorum dum in Oratione S. Franciscum præfati Ordinis Fundatorem nominant, non debent adjungere de Paula.* Ex quo Decr. dato in nostro Indice sub *num. 50.* ut ait Jo. Baptista Pittonus, quid in similibus sit faciendum, inferatur, nempe, quod non potest addi in Orationibus cognomen, vel patria alicujus Sancti, & reverà S. R. C. die 23. Junii 1736. in *una Einsel'en.* statuit, expungi debere à similibus Orationibus tantum patriam, & cognomina SS. & datur in nostro Indice sub *num. 323.*

III. Nomini illius Sancti, quod exprimitur in Oratione, addenda est qualitas, puta Apostoli, Evangelistæ &c. sed in Oratione Fundatoris, vel Institutoris an sint ab Alumnis ejusdem Ordinis addenda hæc verba: *Patri nostri,* est questio, quam optimè discussit, & manu exaravit Venerabilis noster Thomasius, asseruitque, quòd ex antiquo, probatoque more, ac Ritu Ecclesiæ Romanæ in omnibus Sacramentariis, & Missalibus nunquam titulus *Patri nostri* ad nomen Sancti alicujus in Orationibus adjungitur, ne Apostolorum quidem, vel Principis Apostolorum, qui in toto Orbe fundaverunt Ecclesiam sanguine suo; & meritò sanè Ecclesia ab eo titulo semper se abstulit in Orationibus, cum uno in loco, nempe *Matth. cap. 23.* Christus dixerit: *Patrem nostrum vocat vobis super Terram, unus est enim Pater vester, qui in Cælis est.* Et in alio, nempe *Luc. 11.* *Cum oratis, dicite, Pater, sanctificetur nomen tuum:* unde valde immemores simus oportet, si eo ipso tempore, quo cum Deo, Patre nostro, qui in Cælis est, loquimur, alium nobis tunc vocemus Patrem super Terram præter Domini jussum. Sicut enim, ut rectè monuit S. Augustinus *Serm. 219.* in Lectionibus suis Sacræ Scripturæ, Deus nobis loquitur, sic nos Deo loquimur in precibus nostris. Caterùm in Breviario Monastico

S. Benedicti jussu Pauli V. edito, in Præmonstratenſi, & in Officiis Minorum S. Franciſci, quæ alicubi reperiuntur, nomina Sanctorum Fundatorum, Benedicti, Nôrberti, & Franciſci, titulum *Patris noſtri* in Orationibus non habent, ſi quæ verò Religio illum in eis haberet, auctoritatè Sedis Apoſtolicæ accedente talis titulus delendus eſſet, ne melioris conditionis eſſe videantur Religionum Fundatores, quàm Apoſtoli, & S. ipſe Petrus, Fundatores Eccleſiæ, per totum Terrarum Orbem conſtructæ. Hæc ex Thomafio, quibus addi poſſet, quod ſicut Sacerdos in Miſſa, ita Hebdomadarius in Choro dum Orationes recitat, eas præfert tanquam Miniſter, & nomine Eccleſiæ, decens autem non eſt, quòd in obeundo hoc munere, addat nomen *Patris noſtri* illi Sancto, cujus præſidium invocat apud Clementiſſimum Dominum, nomine totius Eccleſiæ; nam licet ille Sanctus poſſit dici Parens, & Inſtitutor ſui Ordinis, nunquam tamen poteſt conſiderari tanquam Pater, & Inſtitutor totius Eccleſiæ, cujus miniſterium adimplens Sacerdos in Miſſa, & in Choro publicè Orationes recitat.

IV. Non videtur hoc loco prætermittendum, quòd antiquitus Monachi nullam aliam ad Horas Canonicas Orationem, quàm Dominicam recitabant, id præſcribente S. Benedicto in ſua Regula *cap. 17.* quem Ritum etiam Eccleſia Lateranenſis olim obſervabat teſte Johanne Diacono in libro de Eccleſia Lateranenſi *cap. 7.* ubi hæc habet -- Hæc reſervans Apoſtolicam institutionem nonniſi Dominica in Officiis utitur Oratione: quoniam aliæ Orationes poſteà ſunt ſuperadditæ; & congruum eſt, atque conveniens, ut prima, & ſumma aliarum Eccleſiarum, primam, & ſummam omnium aliarum Orationem frequentet, & quæ Salvatoris vocabulo conſecrata eſt, Salvatoris Orationem, quam Diſcipulos ſuos orare docuit, præ cæteris præcipuam ſemper habeat. -- Prædicta autem Oratio alta voce ad Laudes, & Vesperas

dicebatur ex eodem *cap. Regula* S. Benedicti, & ex Decreto Concilii Gerundenſis Anno 517. celebrati *Canon. 10.* his verbis -- Item nobis ſemper placuit obſervari, ut omnibus diebus poſt Matutinas, & Vesperas Oratio Dominica à Sacerdote proferatur -- Quem morem adhuc ævo Durandi ab Eccleſia Lateranenſi retentum fuiſſe, colligitur ex ipſo Duran *lib. 5. Rationalis cap. 7.* Duabus porro de cauſis Orationem Dominicam alta voce recitari juſſit S. Benedictus, ut aſſerunt Hildemarſus, & Durandus *lib. 3. c. 3.* Propter ſimplices, ut audientes Orationem Dominicam, illam memoriæ commendent, quæ tamen ratio Hæſtено non placet *lib. 7. tract. 8. diſquiſit. 7.* Propter aſtutos, qui, ſi tacitè Oratio Dominica recitaretur, petitionem de peccatis dimittendis facile prætermitterent, atque unam hanc rationem aſſignat præſcripti ſui S. Benedictus his verbis -- Planè agenda Matutina, vel Vespertina non tranſeat aliquando, niſi in ultimo per ordinem Oratio Dominica, omnibus audientibus, dicatur à Priore, propter ſcandalorum ſpinas, quæ oriri ſolent, ut converſi per ipſius Orationis ſponſionem, qua dicunt: *dimitte nobis, ſicut nos dimittimus,* purgent ſe ab hujusmodi vitio -- Prætermiſſam verò aliquando fuiſſe à malèvolis hanc Orationis Dominicæ petitionem, obſervat Abbas Iſaac apud Caſſianum *collatione 9. cap. 32.* dicens: *Tantum remittitur nobis, quantum nos remiſerimus ei, qui nobis quacumque malignita e nocuerant: quod formidantes nonnulli cum in Eccleſia hæc Oratio ab univerſa plebe conciniur, hunc locum taciti prætermittunt, ut ſemetipſos obligare potiùs, quàm excuſare ſua profeſſione videantur.* Hinc à Concilio Carthaginenſi *Canon. 7. & 8.* jure notata eſt Pelagianorum temeritas, qui, cum ſe juſtos exiſtimarent, petitionem hanc: *dimitte nobis debita noſtra,* aut omnino ſilebant, aut eam non pro ſeipſis, ſed pro alijs ſe recitare proſitebantur.

## De Precibus. XXXIV.

## RUBRICA.

- 1 **P**reces sunt aliquot Versus, qui aliquando dicuntur ante Orationem, incipientes à Kyrie eleison, vel à Pater noster.
- 2 Preces Dominicales ad Primam, & Completorium, ut in Psalterio, non dicuntur in Duplicibus, nec infra Octavas, nec in Vigilia Epiphaniæ, & Feria vj. & Sabbato post Octavam Ascensionis, etiamsi infra Octavam fiat Officium de Dominica, vel alio Festo Semiduplici, quia tunc ratione Octavæ non dicuntur: aliàs autem semper dicuntur.
- 3 Preces FERIALES ad Laudes, & per Horas distinctæ, ut in Psalterio, dicuntur tantum in Feriis Adventus, Quadragesimæ, quatuor Temporum, & Vigiliarum, quæ jejunantur (exceptis Vigilia Nativitatis Domini, ac Vigilia, & quatuor Temporibus Pentecostes) & tunc dicuntur flexis genibus. In aliis Feriis per annum numquam dicuntur, nisi Dominicales, & in illis non fluctuntur genua.
- 4 In Feriis Adventus, Quadragesimæ, & quatuor Temporum, dicuntur Preces FERIALES etiam ad Vesperas, si non sequatur Festum: ad Completorium dicuntur consueta de Dominica, sed flexis genibus. Dicuntur autem Preces flexis genibus ab Hebdomadario usque ad Versum, Dominus vobiscum, ante primam Orationem: à circumstantibus autem usque ad Versum, Benedicamus Domino, post ultimam Orationem.
- 5 In Vigiliis Preces FERIALES dicuntur tantum ad Matutinum, & per Horas: ad Vesperas vero sequentes non dicuntur; quia inde fit de Festo. Quod si post Vigiliam S. Matthiæ sequatur primus dies Quadragesimæ, in Vesperis dicuntur Preces FERIALES, quamvis dicenda sit Oratio Dominicæ precedentis, & non Vigilia. Quod etiam servatur, quando in Feria vj. & Sabbato quatuor Temporum Septembris fit Officium de Feria, cum in eis non occurrat Festum novem Lectionum: tunc enim in Vesperis Feria vj. dicuntur Preces, quamvis dicenda sit Oratio Dominicæ precedentis, non autem Feria quatuor Temporum.
- 6 **P**salmus, Miserere, dicitur cum Precibus ad Vesperas tantum, & Psalmus De profundis ad Laudes. In Officio Defunctorum dicuntur Psalmi, qui in eo Officio signantur.

## Novæ Observationes, &amp; Additiones ad Gavanti

## Cap. XVII. De Precibus &amp; Confessione.

- I. Gavant. pag. 74. col. 1. n. 5. -- Dantur & flebiles Preces (sic.) Flebiles Preces, seu longiores, de quibus sermonem habet hoc loco Gavantus, dicuntur ante Orationem, immediatè post Antiphonam ad Benedictus ad Laudes, & ad reliquas Horas pariter post Antiphonam, flexis genibus, quando Officium fit feriale in Feriis Adventus, Quadrage-

gesimæ, excepto triduo ante Pascha; item in Feriis quatuor Temporum, & in Vigiliis, quæ jejunantur: immò etiam si alicubi non jejunentur Vigiliæ, quæ ceterùm ab omnibus solent jejunari, nihilominus in Officio feriali earum dicuntur, ut resolvit Guyetus lib. 4. ap. 18. quæst. 34. ubi adstruit has Preces inseparabiles à forma talis Officii. Excipiuntur tamen Vigiliæ Nativitatis, & Pentecostes, ut notat Gavantus num. 9. In aliis verò Feriis, & in Vigiliis, quæ non jejunantur, quales sunt duæ tantùm, Epiphaniæ, & Ascensionis, hujusmodi Preces flebiles, seu longiores non dicuntur, sed solummodò aliæ, quæ Dominicales appellantur, in quibus genua non flectuntur.

II. Gavant. pag. 74. col. 1. n. 6. -- *Regem autem hoc loco totius Ecclesiæ, intelligimus Papam.* Nescimus, quo jure Gavantus petitionem hanc: *Domine, salvum fac Regem*, qua utimur in ferialibus Precibus post Laudes, de Papa velit intelligi. Certum quippe videtur, precem illam fundi pro Principe, cujus dominio subjecti sunt, qui precem illam recitant, quod manifestum est ex ordine precum ipsarum; nam antè dictum est: *Sacerdotes tui induantur justitia*, in quo Versiculo Papam etiam primariò comprehendì certum omnino videtur: ad summum ergo verba illa Papam respicere possunt, cum à dominio Pontificio subjectis recitantur.

III. Gavant. pag. 74. col. 1. n. 7. -- *Infra Octavas nedum in Duplicibus non dicuntur &c.* Prædictæ Preces Dominicales non dicuntur neque in Duplicibus, neque infra Octavas. Illi tamen, qui ex speciali privilegio celebrant aliquam Octavam etiam in Quadragesima, sicuti sunt Monachi Benedictini, aliique pauci, si dies quarta Cinerum occurrat infra Octavam, quam dicti privilegiati celebrant, debet servari Decretum editum die 24. Januarii 1682. & datum in nostro Indice sub num. 124. in quo præscribitur, quòd in Officio Feriæ IV. Cinerum relinquendo Commemorationem Octavæ, debent dicti

privilegiati dicere Preces, Psalmos Graduales &c. & servare omnino Rubricas dictæ Feriæ IV. Cinerum. Vide etiam Decreta data sub num. 324. & 325.

IV. Gavant. pag. 74. col. 2. n. 8. -- *Sicut Hebdomadarius usque ad Dominus vobiscum &c.* Docet hic Gavantus, quòd ad preces flebiles debent omnes de Choro flectere genua usque dum Hebdomadarius dixerit: *Benedicimus Domino* post Orationem ultimam, & quidem inclusivè; Hebdomadarius verò debet pariter perseverare flexis genibus usque ad *Dominus vobiscum*, sed exclusivè: tunc enim, nempe ad versum *Dominus vobiscum*, elevando vocem debet surgere, ut docent omnes Rubricistæ communiter, præsertim Castaldus in Praxi lib. 2. sect. 3. cap. 4. n. 1. dixi, elevando vocem, nam preces prædictæ flebiles in omni Hora, qua debent dici, non solum flexis genibus, sed etiam tono humiliori, & pressiori voce, dicuntur.

Nunc quæstio suboritur, utrum *Pater noster*, quod inter prædictas flebiles preces clara voce totum ab Hebdomadario dicitur, ab eo stante ne, an verò genuflexo sit recitandum? Resolvit hoc dubium noster Franciscus Magius in *supracit. Opusculo 2. de Officio Christi disquisit. 18. pag. 312.* dicendo: se non posse nisi arguere Hebdomadarios illos, qui Dominicalem Orationem clara voce recitandam, stantes erecto corpore cantant; cum id in nullo Ceremoniali, seu Rituali Libro præscribatur, quinimmo cum Rubrica Brevariarii num. 4. disertis verbis hæc habeat: -- dicuntur autem preces flexis genibus ab Hebdomadario usque ad *Dominus vobiscum* ante primam Orationem: à circumstantibus autem usque ad versum *Benedicimus Domino* post ultimam Orationem -- inferitur, Hebdomadarium prædictam Orationem Dominicam flexis genibus debere recitare. Neque dici potest, per preces à Rubrica insinuatæ, intelligi solum, quæ post *Pater noster* pressiori voce ab Hebdomadario recitantur, nam post Laudes, & Vesperas, ante *Kyrie eleison*,

*Christe eleison, Kyrie eleison, & ipsum Pater noster hæc leguntur: dicuntur sequentes preces flexis genibus; Unde in apertis est, quod Oratio Dominica recitanda ab Hebdomadario includitur in illis precibus, quæ flexis genibus dicendæ sunt. Confirmari potest hæc sententia auctoritate Victorini Totinii, qui in Ceremoniali PP. Camaldulensium lib. 8. cap. 14. num. 15. de Monastico simul, & Romano Ritu loquens sic ait: Ad Orationem Dominicam etiam cum to a clæ dicitur apud Monachos, genuflectit, qui eam dicit, cum tunc videatur includi intra preces &c. Sicut certè includitur intra preces ad Vesperas, &*

*Landes Exevariæ Romani, juxta ipsam Rubricam similiter tota dicenda tunc clarè. Quare & Monasticum in Rubrica generali XXXIV. 4. docet, Pater noster ante Orationem, flexis genibus, dici, nullam de hoc exceptionem faciens. Idem præscribit Ceremoniale Capuccinorum lib. 1. cap. 10. his verbis: - Cum dicendæ sunt preces, repetita Antiphona post Magnificat omnibus genuflexis, Hebdomadarius ipse genuflectat &c. - Ex quibus omnibus colligitur, quod Hebdomadarius citra ullum dubium genuflectere debeat simul cum aliis de Choro in prædicto casu.*

## De Commemorationibus communibus, seu Suffragiis Sanctorum. XXXV.

### RUBRICA.

- 1 **C**ommemorationes Communes, seu Suffragia de Sanctis, quæ habentur in Psalterio post Vesperas Sabbati, dicuntur in fine Vesperarum & Laudum, ab Octava Epiphaniæ usque ad Dominicam Passionis exclusivè, & ab Octava Pentecostes usque ad Adventum exclusivè in Dominicis, Feriis, & Festis (nisi Officium sit Duplex, vel infra Octavas, etiam si de Dominica, vel Semiduplici infra eas fiat) & illis adjungitur Commemoratio de Patrono, vel Titulo Ecclesiæ, ante vel post Commemorationem de Sancta Maria, & de Apostolis, pro dignitate illius, ita tamen, ut semper ultimo loco ponatur Commemoratio de Pace. Et ante illa in Feriali Officio sit Commemoratio de Cruce, quæ habetur in Psalterio post Laudes Feria ij.
- 2 Tempore Paschali fit alia Commemoratio de Cruce, ut ibi ponitur in Laudibus Feria ij. post Dominicam in Albis, & ea solum tunc dicitur, non tamen in Duplicibus, neque infra Octavas.
- 3 Si faciendæ sit Commemoratio alicujus Festi occurrentis, semper fit ante ipsa Suffragia consueta, etiam ante Commemorationem de Cruce.
- 4 Commemoratio de S. Maria non fit cum aliis, quando dicitur ejus Officium parvum, nec quancumque fit Officium de ea.

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti Cap. XVIII. De Commemorationibus & Suffragiis Sanctorum communibus.

1. Gavanti pag. 75. col. 1. n. 1. - Suffragia Sanctorum vocat. Gemma &c.) Suffragia, seu Commemorationes Communes Sanctorum sunt illæ, quæ habentur in Breviario

rio post Vesperas Sabbati, & dicuntur in fine Vesperarum, & Laudum post Orationem Festi, seu illius Dominicæ, aut Feriæ, quarum celebratur Officium, & post omnes Commemorationes speciales, de quibus supra Sermonem habuimus, & quæ aliquibus diebus debent fieri juxta Rubricarum dispositiones, & Kalendariorum declarationes. Hujusmodi autem Communes Commemorationes Sanctorum institutæ sunt tum ad recolendam memoriam meritorum ipsorum, tum ad implorandum eorum salutare auxilium, ut docet Durandus in Rational. Divinorum Officiorum lib. 6. cap. 6. num. 5. Rursus hæc Suffragia non semper dicuntur in Officio Canonico, neque hic exponimus, quibus diebus dicenda sint, quia de hoc satis loquitur Superior Rubrica Breviarii num. 1.

II. Gavant. pag. 75. col. 1. n. 2. -- *Mirator, cur de cruce &c.* Prima inter dictas Commemorationes Communes est de Cruce, quæ tamen non fit nisi in Feriali Officio, & quidem semper primo loco. Miratur Gavantus, cur talis Commemoratio non fiat pariter, quando celebratur Officium de Simplici, vel de Semiduplici, in quibus fiunt aliæ omnes Commemorationes Communes, sed nos miramur Gavanti pietatem, & Religionem erga hoc salutiferum, & vitale lignum, præcipuum Redemptionis nostræ instrumentum, in quo Christus triumphavit, & mortem superavit in æternum, cujus ideo frequentius Commemorationem fieri optabat noster piissimus Auctor. Cæterum non nisi ad ponendam distinctionem aliquam inter prædictos dies festivos, & purè feriales, Rubrica in feriali die cæteris Communibus Commemorationibus addit etiam illam, & quidem primo loco de Cruce.

Post hanc Commemorationem de Cruce regulariter debet fieri immediatè Commemoratio de B. M. V. sed si in Ecclesia, in qua celebratur Officium, habeatur Titulus

Sanctissimæ Trinitatis, Spiritus Sancti, Sanctissimi Sacramenti &c. de quibus infra, tunc horum Commemoratio debet præcedere Sanctæ Mariæ Suffragium.

III. Gavant. pag. 75. col. 1. n. 3. -- *De S. M. non fit, nisi in propria Ecclesia &c.* Quando in Choro dicitur Officium parvum B. M. V. tunc de ea non fit Commemoratio, nisi in illa Ecclesia, cujus Sancta Maria est Titularis, & Patrona, & super hoc extat Decretum editum die 12. Januarii 1604. relatum quidem hoc loco in postremis Gavanti editionibus, non verò in prioribus, & antiquis; & reverà suo Indici Decretorum nunquam insertum fuit: datur autem in nostro Indice sub num. 15, immo super hac eadem Materia aliud simile emanavit Decretum à S. R. C. die 23. Aprilis 1695. & datur in nostro Indice sub num. 189. denique aliud exhibetur Decretum in nostro Indice sub n. 190. eodem tempore editum, in quo declaratur, quòd pro Suffragio B. M. in Ecclesiis eidem dicatis sub quocunque Titulo, sive Assumptionis, sive Conceptionis &c. sufficit conlueta Antiphona - *Sancta Maria, succur e miseris &c.* Non me latet, Arnaudum tract. 2. tit. 19. docere, nec in propria etiam Ecclesia faciendam esse Commemorationem S. M. V. quando ejus parvum Officium dicitur, sed hoc allerebat dictus Auctor, quia ignorabat primum allegatum Decretum, quod, ut dixi, in priscis Gavanti editionibus non reperiebatur, & Arnaudus, Doctrinarum Gavanti fidelis sectator, talem opinionem amplectendo, putabat forsitan Gavanti sententiam sequi, qui reverà super hac re non ita clarè mentem suam aperuit, sicut in posterioribus editionibus legimus, ab aliquo recentiori innominato additum, & explicatum fuisse.

IV. Gavant. pag. 75. col. 2. n. 7. -- *De Titulo Trinitatis, Spiritus Sancti, Corporis Christi an' e Sanctam Mariam &c.* Cum de Titulari Ecclesia, in qua recitatur Officium, debeat, juxta dispositionem superioris Rubricæ

brica *num. 1.* fieri Commemoratio, docet hic Gavantus id, quod supra nos pariter innuimus, nimirum, quod, quando Titulus Ecclesiæ est SS. Trinitatis, Spiritus Sancti, Salvatoris, Mysteriorum omnium Christi, Nominis JESU &c. tunc Commemoratio talis tituli collocari debet ante Suffragium B. M. sunt enim præfati omnes Tituli superiores dignitate præ omnibus aliis, & ideo etiam Titulum S. M. V. præcedunt. De nullo tamen dictorum Titulorum in Feriali Officio fit Commemoratio ante Commemorationem de Cruce, ut præscribit superior Rubrica *num. 1.* Rationem hanc adducit Gavantus, quia Commemoratio de Cruce est indicium Feriæ; quam rationem approbat quidem Guyetus *lib. 3. cap. 18. quæst. 11.* sed vellet Gavantus eam paulò amplius elucidasset, ipse tamen Gavanti aliquando nimis rigidus censor, quamvis regulariter ejus doctrinæ admirator, non ausus est rationem illam in majori lumine collocare. Ego autem dicerem, ideo in prædicto casu Crucis Commemorationem debere præcedere quamcunque aliam, etiam de SS. Trinitate &c. quia Commemoratio de Cruce, quæ est, Commemoratio de Christo Crucifixo, *affixa primo loco Officio Feriali, & in Feriæ signum*, ut paulò antè dixi cum sit prior in tempore, debet esse potior in jure, adeoque congruum est, ut præcedat omnem aliam Commemorationem ejusdem ordinis, quæ aliquando fit per accidens ratione Tituli, & prout adjuncta aliis Commemorationibus.

V. Gavant. eod. num. 7. - - *De Salvatoris Titulo non fit &c.* Docet hoc loco Gavantus, fieri non debere Commemorationem de SS. Salvatore in Ecclesia ipsi dicata, quando ratione Feriæ debeat etiam fieri Commemoratio Crucis, cum hæ Commemorationes æquipolleant. Libenter in Gavanti sententiam descenderem ob prædictam æquipollentiæ rationem, nisi modò illa sententia recta fronte pugnaret cum Decreto edito à S. R. C. die 23. Augusti 1704. *in una Camal-*

*dulensium Montis Corona*, & dato in nostra appendice: quod quidem Decretum aliam etiam quæstionem solvit, quam movet Halden *part. 2. tit. 1. num. 4.* nimirum, an Crux, & Transfiguratio Christi, ubi hæc quæ talis, non verò sub ratione Salvatoris est Titulus Templi, invicem æquipolleant: cum enim prædictum Decretum disertè præscribat, faciendam esse Commemorationem SS. Salvatoris, licet fieri etiam debeat de Cruce, manifestum est, hujusmodi Commemorationes non æquipollere; ac proinde in casu ab Halden proposito non esse omittendam Commemorationem Transfigurationis Christi, in quam quidem sententiam meritò Halden propendebat.

VI. Gavant. eod. num. 7. - - *De Angelis, & de S. Johanne Baptista ante Apostolos, &c.* Commemoratio de Angelis, & de S. Johanne Baptista quando est faciendæ ob rationem Tituli Ecclesiæ, vel Patroni principalis loci, ea inferi debet post Commemorationem B. M. ut docet Gavantus, & ante Commemorationem Apostolorum, eodem videlicet ordine, quo in Litanis collocantur, ob quam rationem nunc debet eodem loco ante Apostolos inferi Commemoratio S. Josephi in sua Ecclesia Titulari, quia juxta recens Decretum Apostolicum à Benedicto XIII. PP. editum, de quo sæpe mentionem fecimus, ejus nomen in Litanis post S. Johannem Baptistam, & ante Apostolos locum obtinuit.

Si tamen faciendæ sit aliqua Commemoratio alicujus Apostoli Titularis Ecclesiæ, vel Patroni loci, hæc profectò non debet præferri Commemorationi SS. Petri, & Pauli; hi enim duo sunt Apostolorum Principes, quibus omnes alii cedunt.

VII. Gavant. eod. num. 7. - - *De Sanctis veteris Testamenti post Apostolos &c.* Tradit Gavantus, quòd de Sanctis veteris Testamenti fiat Commemoratio non ante, sed post Apostolos, licet enim in Litanis ratione temporis, non tamen dignitatis eos præcedunt.

dunt. Quinimmo Lohner *part. 2. praxis Officii recitandi t. 2. §. 8. num. 2.* ait: Minus congruè à Gavanto Sanctos veteris Testamenti ordine dignitatis statim post Apostolos collocari, c. in nullum hujus prælationis fundamentum ex Rubricis habeatur, atque ad eò merito idem inter hos, & Sanctos novi Testamenti ordo constitui debet, qui inter alios Sanctos novi Testamenti solet observari, nimirum de quibuscunque Martyribus fieri debet Commemoratio ante quoscunque Confessores, & de his ante Virgines, quòd si plures fuerint ejusdem Ordinis, putà duo Martyres, duo Confessores, duæ Virgines, nihil de hoc casu statutum reperitur, ac verisimilius est, ait Guyetus *loc. cit.* ordinem Litaniarum esse servandum, ut videlicet SS. Innocentes, & post eos S. Stephanus quibuscunque aliis Martyribus anteponantur; præferantur quoque tam inter Martyres, quam Confessores, Episcopi, non Episcopis, utrisque autem Sanctos Doctores præfert Guyetus, sed intelligendus est, si Doctoris simul Laurea, & Episcopali dignitate fuerint insigniti, nam Doctores non Pontifices præferri non deberent Confessoribus Pontificibus. Inter Virgines verò, Martyres præferuntur non Martyribus, & utraque non Virginibus. Haberi etiam potest ratio temporis inter quoad cetera æquales, & tunc hoc jure juxta sententiam Guyeti æquum videtur, ut Sancti veteris Testamenti, & qui Discipulorum Domini Titulo gaudent, uno verbo, qui tempore præcedunt, aliis sui ordinis, ceteris paribus, præferantur.

VIII. Gavanti. cod. n. 7. - - *1. e Sancto Patrono loci ante Titularem Ecclesiam &c.*) Describit Gavantus *num. 6.* quis intelligi debeat Sanctus Patronus principalis loci, & quis Titularis Ecclesie, hic autem statuit, de utroque Commemorationem esse faciendam, & de Patrono quidem loci ante Ecclesie Titularem, regulariter tamen loquendo, nisi sit valde magna inter hos dignitatis distantia. Gavanto adhærent Halden *part. 3. tit. 1. & Gavanti. Rubr. Brev.*

Lohner *instruct. pract. 2. part. 2. tit. 2. §. 1. num. 3.* Interpretantes illa verba Rubricæ superioris, quæ habentur *num. 1. & illis adjungitur Commemoratio de Patrono, vel Titulo Ecclesie ante, vel post Commemorationem de Apostolis;* & dicentes, quòd *to vel ibi tantum* significet ante, vel post Commemorationem de S. Maria, & de Apostolis, ceterum debere Commemorationem fieri, & de Patrono loci, & de Titulari Ecclesie, sed prout eorum dignitas exposcit. Gavanti tamen opinionem refellit Guyetus *lib. & cap. cit. quest. 9.* dicens, quòd si vera esset sua sententia, pessime concepta fuisset Rubrica; debuisset enim saltem sic poni: *illis adjungitur Commemoratio de Patrono loci, & Titulari Ecclesia &c.* at cum vox *loci* tum in Rubrica generali superius posita, tum in Rubrica particulari, quæ in Psalterio habetur ante ipsa Suffragia, non habeatur vox *loci*; & utrobique deficiat particula *&*, habeaturque semper particula *vel* disjunctans Patronum à Titulari, ita ut non seorsim uterque ad diversa, sed alteruter ad idem pertineat, videlicet ad Ecclesiam in gradu Patroni, vel in gradu Tituli, quis non videt, Gavantum tenebras in tam clara luce offundere? hæc Guyetus, qui subdit: maneat itaque, Rubricam unius dumtaxat præcipere Commemorationem, sive is sit Ecclesia Patronus, ut S. Stephanus, & Antonius &c. sive Titulus aliquis, putà SS. Trinitatis, S. Salvatoris, S. Crucis &c.

Quamvis difficillimè à Gavanti nostri doctrina recedam, nihilominus in hoc casu ponderationes, & rationes à Guyeto allatæ cogunt me ad ejusdem potius, quam ad Gavanti, & aliorum supracitatorum sententiam amplectendam. Reverà enim Rubrica unius tantum Commemorationem præcipit, non verò duorum. Siquidem postquam dixit, adjungendam esse Commemorationem de Patrono, vel Titulo Ecclesie, ante, vel post Commemorationem de S. Maria, & de Apostolis, subdit *pro dignitate illius*: ubi adverto, quòd

quòd non dicit pro dignitate illorum, sicuti dixisset, si duorum, nempe tum de Patrono loci, tum de Titulo Ecclesiæ Commemorationem faciendam præscripsisset, ante, vel post Commemorationem de S. Maria, & de Apostolis. Auctor igitur Rubricæ optimè consideravit, quòd aliquando Ecclesia habet solum Titulum strictè acceptum, non verò Patronum, sicuti accidit, quando est consecrata sub Invocatione SS. Trinitatis, vel alterius Mysterii; aliquando verò contingit, Ecclesiam esse dedicatam sub Invocatione, seu Protectione alicujus Sancti, qui propterea vocatur Ecclesiæ Patronus, & idcirco Rubrica præscribit, faciendam esse Commemorationem Tituli, vel Patroni. Discrimen, quod intervenit inter Ecclesiæ purum Titulum, & Ecclesiæ Patronum, fuit à nobis expositum in nostris Additionibus suprâ ad Commentaria Gavanti *Sect. 3. cap. 12. sub num. 7.* De hoc discrimine inter Patronum, & Titulum Ecclesiæ agit etiam suo more fuse, & doctissime citatus Guyetus *lib. 1. cap. 5. quæst. 1. & seqq.*

Quamvis igitur ex dispositione prædictæ Rubricæ nulla deducatur obligatio faciendi Commemorationem de Patrono loci, nihilominus, quia mos invaluit apud verè omnes inter Communia Suffragia recensendi etiam Patronum principalem loci, in quo recitatur Officium, idcirco non est recedendum

ab hac pia consuetudine, præsertim, ubi est legitimè introducta. Pro qua facit sequens Decretum - - Dum dicenda sunt Suffragia Sanctorum in locis gaudentibus duobus, vel pluribus Patronis principalibus, facienda est Commemoratio tantum de Patrono principali - - ita S. R. C. 20. Novemb. 1683. & datur in nostro Indice sub *num. 145.* Guyetus tamen *cit. lib. cap. 17. quæst. 8.* postquam docuit, quòd, ubi fuerint plures Patroni, seu Tituli Ecclesiæ (qui duos nunquam excedunt) omnium fieri debere Commemorationem, adducendo aliqua exempla, concludit, quòd idem pariter est faciendum, ubi est consuetudo, ut de Patrono loci, seu Diocesis, fiat Commemoratio per omnes Diocesis Ecclesias, Verum semper servandum est allegatum S. C. Decretum. Ceterum, quòd si adsint plures Patroni, vel Tituli Ecclesiæ, de omnibus possit fieri Commemoratio, immò omnes in una Antiphona, & in unica Oratione possint de licentia Majorum conjungi, exemplum nobis exhibet Sacrosancta Lateranensis Basilica, quæ hoc modo comprehendit Commemorationem Salvatoris, & utriusque Johannis, qui sunt Titulus respectivè, & Patroni ejusdem primæ omnium Cathedralis Ecclesiæ. Libet hoc loco adducere Antiphonam, Versus, & Orationem, quam pro dicta Commemoratione adhibet Clerus ejusdem Basilicæ.

## COMMEMORATIO SALVATORIS, ET UTRIUSQUE JOHANNIS

Præcursoris, & Evangelistæ,

*Facienda à Clero Romano Sacrosanctæ Cathedralis Ecclesiæ Papalis Lateranensis.*

AD VESPERAS, ET LAUDES,

*Antiphona.*

**S**ALVATOR Mundi, salva nos omnes hujus Aulae servulos, & Præcursoris inclyti, Discipulique dilecti devota memoria vota nostra perducat in Patriam.

AD VESPERAS.

ψ. Mirabilis Deus.

℣. In Sanctis suis.

ŷ. Salvos fac servos tuos.  
 ꝛ. Deus meus sperantes in te.

Oremus.

Omnipotens sempiternus Deus, qui hanc Sacratissimam Constantianam Basilicam in tuo, & utriusque Johannis Nomine dedicatam, cunctarum Urbis, & Orbis Ecclesiarum decorasti Primatu; concede nobis famulis tuis, ut amorum meritis, & precibus, à nostris reatibus expiati, ad te SALVATOREM nostrum pervenire valeamus. Qui vivis, & regnas &c.

IX. Gavant. pag. 76. col. 1. n. 7. -- Patronus principalis Ordinis equiparatur Patrono loci (&c.) Cum juxta Gavanti sententiam, & juxta communem consuetudinem inter Commemorationes communes recensentur Commemorationes Patroni loci; rursus eum juxta ejusdem Gavanti assertionem Patronus principalis Ordinis æquiparandus sit Patrono loci, hinc pius inolevit usus, apud quemlibet Ordinem Regularem Sancti sui Institutoris Suffragium addere inter Commemorationes communes. Sicut autem de Patrono loci regulariter ante Ecclesie Titularem fieri Commemorationem convenit juxta Gavanti sententiam, idem etiam de Patrono principali Ordinis sentiendum esse arbitrantur Halden *part. 3. tit. 6. §. 14.* & Lohner *Instr. pract. 2. part. 2. §. 10.* & citatus Halden addit, hanc præcedentiam intelligendam esse, si Patronus Ordinis, & Titularis Ecclesie sint æqualis dignitatis, si vero sint inæqualis, in his Commemorationibus servandus est ordo dignitatis, qui colligitur ex alibi ab eodem Halden, & etiam à nobis dictis.

Quoad præcedentiam tamen præfatæ Commemorationis recurrendum est ad quæstionem, quam discutit Guyetus *lib. 4. cap. 12. quest. 2.* & quam nos pariter breviter exposuimus supra in nostris Additionibus ad *Secl. 3. cap. X. Gavanti num. IX.* nimirum, utrum occurrentibus duobus Festis eodem die Patroni principalis loci, & Titularis Ecclesie aliquorum Regularium, debeat præferri ab iisdem Regularibus Festum sui Tituli, in

quo dubio decidendo inclinavimus in Guyeti opinionem ob rationes ibidem adductas, & ob easdem censemus, cæteris paribus, Commemorationem Titularis Ecclesie, præsertim à Regularibus præferendam esse Commemorationi Patroni loci. Quam quidem sententiam, etiam generaliter loquendo, & non solum de Ecclesia Titulari Ordinum Regularium tuetur laudatus Guyetus *lib. 3. cap. 18. quest. 11.* asserens disertis verbis, in prædictis Commemorationibus, cæteris paribus, Titularem Ecclesie præferendum esse Patrono loci. Utrum autem Regulares eodem modo præferre debeant Commemorationem Titularis sue Ecclesie Patrono Principali, seu Institutori sui Ordinis; etiam hanc quæstionem decidisse videtur Guyetus *cit. lib. 4. cap. 11. quest. 2. §. ultimo*, ubi concludit -- Occurrente simul eadem die Patrono, seu Titulo Ecclesie cum Patrono loci, vel Ordinis, seu quocunque alio, illum his esse præferendum, ut de eo translatis aliis suo die fiat Officium, puta Parisiis de S. Eustachio in Ecclesia Parochiali sui nominis die 3. Novembris, præ S. Marcello, Episcopo Parisiensi, de quo tanquam Patrono eodem die fit in tota Diocesi: itidem de S. Hermete, aut S. Juliano Martyribus in Ecclesia propria, si quæ sit, Ordinis S. Augustini die 28. Augusti eadem ipsa die occurrente. Ex hac enim Guyeti doctrina inferitur, quod pariter in Commemorationibus Communibus PP. Augustinienses addicti Ecclesie S. Hermetis deberent præferre Commemorationem ejusdem Titularis Ecclesie,

D d 2

Com-

Commemorationi S. Augustini, eorundem Patroni. Nihilominus & PP. Augustinienes, & PP. Franciscani in Rubricis sui Breviarii Commemorationem Sancti Francisci respectivè, & S. Augustini præferunt Commemorationi Titularis Ecclesiæ.

X. Gavant. pag. 76. col. 2. n. 11. -- *An qui plures habet beneficiorum, & Ecclesiarum Titulos &c.*) Putat hoc Gavantus cum Sanchez & Bonacina, eum, qui plures habuerit Beneficiorum, & Ecclesiarum Titulos, teneri totidem in Officio Commemorationes facere, uniendo saltem earum nomina in Orationibus, de majorum licentia formata communi Antiphona cum suo Versu. Longius progreditur Bonacina, & omittentem huiusmodi Commemorationes peccati lethalis reum affirmat, tenerique pro rata ad restitutionem fructuum. Doctrinam hanc nimium rigidam jure Gavantus autumat. Cæterum priorem Gavanti & Bonacinae sententiam, tacito tamen Sanchez nomine, refellit doctissimus Guyetus *lib. 2. cap. 7. questione 10.* hac ratione, quia prædictus Beneficiarius non plus tenetur ad Commemorationes, quam ad ipsamet Festa, cum Rubricæ æquè obligent ad hæc quam ad illas, imò etiam amplius, nam Rubrica de Festis loquitur in plurali, quæ verò præcipit Commemorationes, tantum in singulari, quali non plusquam ad unam obligans; sed ad omnia Festa prædictorum Titulorum seu Ecclesiarum, non tenetur ejusmodi Beneficiarius, satisque est, si illius Ecclesiæ, apud quam residet, vel si in nulla resideat, dignioris, aut si pares sint Ecclesiæ, utrius volet, Festa servaverit, ergo non tenetur etiam per annum ad omnes Commemorationes, sed ad Commemorationem Tituli tantum, in quo residet, vel dignioris, vel cujus ipse voluerit.

XI. Gavant. pag. 77. col. 1. n. 18. -- *Quæ est S. Augustini Serm. 18. de Sanctis &c.*) Quamquam in Breviario Romano secunda die post Octavam Nativitatis, legatur Sermo iste

18. de Sanctis, in quo habentur verba illa: *Sancta Maria, succurre miseris &c.* quæ modo constituunt Antiphonam pro Suffragio B. Virginis, nihilominus certum omnino videtur, Sermonis illius parentem non esse Augustinum, ac proinde ipsum hujus Antiphonæ auctorem dici non posse, quemadmodum hoc loco Gavantus asseruit. Illam ut falsum Verlinum, & Vindingus omnino rejiciunt; dubium verò relinquunt Lovanienses, Augustini operum editores. PP. Maurini Verlino, & Vindingo adherent his moti rationibus; etenim si Sermo ille de Nativitate B. V. compositus fuit, sicuti in omnibus ferè MSS. inscribitur, necesse est auctorem habeat Augustino recentiorum, cum hic in Sermonibus 289. & 293. dictis in Natali S. Jo. Baptistæ dilertè testetur, hujus tantum, & Christi Domini Nativitatem in Ecclesiæ ævo suo celebrari solitam. Sed in quædamque B. Mariæ diem referatur hic Sermo, certè nullum ipsius Virginis Festum exhibet Kalendarium antiquum in Carthaginensi Ecclesiâ usque ad Augustini saltem obitum, qui in eo consignatur, usitatum. Negotium etiam facessit, quod in eo Sermone fingitur de Sabellianis; illos nimirum commentos fuisse, Beatam Virginem non decursis novem à Conceptione mensibus peperisse Christum, sed fortuito parvulum ab ea repertum; delirium hoc nusquam ab Augustino refutatum, ibi commemoratum est, immò Patripassiani, qui sunt Sabelliani, dixisse, ipsum Patrem natum ex femina, observat in Sermone 52. num. 6. quæ momenta clarè convincunt, Sermonem hunc Augustino adjudicari non posse. Lovanienses observant, S. Fulgentio à quibusdam tribui; Patres verò Maurini testantur in duobus MSS. Germanensibus præferre nomen Hieronymi. Tantis nominibus indignus est sermo. Græcolas *lib. 1. cap. 34.* vult, Auctorem illius Antiphonæ: *Sancta Maria, succurre miseris &c.* esse Ambrosium Auspertum, Monachum Beneventanum, qui Seculo VIII. floruit, quæ alio-

aliorum quoque sententia fuit observante  
Guillelmo Cave, qui tamen id adeò incer-

tum esse affirmat, ut uberiolem disquisitionem  
nequaquam mereatur.

## De Hymno, Te Deum. XXXI.

## RUBRICA.

- 1 **H**ymnus, Te Deum, dicitur in omnibus Festis per annum, tam trium, quam novem Lectionum, & per eorum Octavas, excepto Festo Sanctorum Innocentium, nisi venerit in Dominica; dicitur tamen in ejus die Octava: Dicitur etiam in omnibus Dominicis, à Pascha Resurrectionis inclusivè usque ad Adventum exclusivè, & à Nativitate Domini inclusivè usque ad Septuagesimam exclusivè: & in omnibus Feriis temporis Paschalis, scilicet, à Dominica in Albis usque ad Ascensionem, excepta Feria ij. Rogationum, in qua non dicitur.
- 2 Non dicitur autem in Dominicis Adventus, & à Septuagesima usque ad Dominicam Palmarum inclusivè; neque in Feriis extra tempus Paschale.
- 3 Cum dicitur, omittitur semper nonum, vel tertium Responsorium; & statim dicitur post ultimam Lectionem.
- 4 Cum non dicitur, ejus loco ponitur nonum, vel tertium Responsorium; quo dicto, statim inchoantur Laudes. Similiter quando dicitur Te Deum, eo Hymno dicto, statim inchoantur Laudes, præterquam in nocte Nativitatis Domini; quia tunc dicitur Oratio: postea celebratur Missa, ut suo loco notatur.

## Novæ Observationes, &amp; Additiones ad Gavanti

## Cap. XIX. De Hymno, Te Deum.

I. Gavant. pag. 77. col. 2. n. 1. -- *Quod tamen (hronicum non est Dacianum &c.)* Vulgaris, & communior sententia tenet, Hymnum, seu Canticum Te Deum laudamus à SS. Ambrosio, & Augustino alternatim, & extempore ejusdem Versus divino spiritu afflatis recitantibus, fuisse compositum, in gratiarum actionem, statim postquam Divus Augustinus Baptismi Sacramentum suscepit. Hanc vulgarem, & communiorem sententiam amplectuntur omnes illi, quos refert doctissimus Puricellus in *Dissert. Nazarian. cap. 39. n. 11.* quos etiam recenset P. Eustachius à S. Ubaldo in sua elaboratissima Disquisitione, quam adornavit de Auctoribus hujus Hymni, seu Cantici num. 457. quibus addit etiam Corneliolum Schultingium in *Biblioth. Ecclesiast. tom. 1. par. 2. cap. 2. in fin.* Lorinum in *Psal.* 27. vers. 9. Rutilium Benzonium in *Magnificat. lib. 1. cap. 19.* Johannem Azorium in *ssit. Moral. tom. 1. lib. 10. cap. 15. de Cantici,* & iterum de *Hymnis.* Carolum Macignum de *Hor. Canonic. cap. 36.* Jacobum Bayum in *ssit. Relig. Christian. lib. 4. cap. 12. §. Cantus.* Henricum Spondanum in *Epitom. Annal. Baron. in addit. ad num. 9. Anno 388.* Franciscum Suarium tom. 2. de *Relig. lib. 4. de Hor. Canonic. cap. 2. num. 14.* Antonium Perez ad cap. 9. *Regul. S. Bened. num. 4.* Johannem Baptistam Casalium de *vet. Sacr. Christ. Rit. cap. 46.* Ambrosium Cariolanum in *Vit. S. August. Antonium Bellotte de Rit. Eccl. Laudan. observat. 32. num. 3. pag. 193.* Franciscum Carrier in *Digest. Fidei Cathol. pag. 585. col. 1.* Emmanuel Gonzalez in *Comment. ad pap. Presbyter. de celebrat. Missar. num. 20.*

Aloysium Torellum in *Seul. Augustinian. ad Ann. 387. num. 25.* Alphonsum Villeg. in *lib. Flos Sanctorum in Vit. S. Augustin. 28. Aug. st. Johan. Stephan. Menochium in suis Stromat. par. 5. cap. 6.* Dominicum Macrium in *Notis. verb. Eccles. verb. Te Deum laudamus.* Placidum Pucimellum in *Zodiac. Eccles. Mediol. par. 3. cap. 17. in fin. & in Vit. S. Simpliciani pag. 19.* Andream Piscaram Castaldum in *Prax. Ceremon. lib. 2. sect. 3. cap. 1. n. 9.* & Johannem Baptistam Ruscam in *MS. de Cantu Ecclesiast. cap. 52. in Bibliotheca Ambrosiana.* Omnes isti præfati Hymni *Te Deum laudamus*, SS. Ambrosium, & Augustinum non nisi ex supposito S. Dacii Chronico *lib. 1. cap. 9.* Auctores fuisse cognoscunt; cujus Dacii Textum damus, non prout traditur à Jacobo de Valentia in expositione *Te Deum*, sed prout legitur in Historia Landulphi à celeberrimo viro Ludovico Antonio Muratorio, cui innumera debet eruditorum Respublica, nuperrimè evulgata, & inserta *tom. 4. Scriptorum Reum Italicar.* -- Eodem tempore contigit, ut quidam sapiens, tamen errore Manichæorum seductus nomine Augustinus, argumentis Dialecticæ armatus, & postea Dei Fidelis, & Catholicus vivens Episcopus, eum in Ecclesia Hyemali non orationis curiositate, neque secundum causam utilem videndi, & audiendi Domini mysterii, sed reprehendendi gratia B. Ambrosium de Incarnatione Domini ad Populum invenisse tractantem, & prædicantem, oblitus sui, & suorum omnium cogitationum, pallens, & tremens omnibus, qui erant, & videntibus obriguit. Quinetiam finita admonitione, quam ad Populum B. Ambrosius ministrabat, privatim ad eum Augustinus pervenit. At B. Ambrosius cogitans ejus scientiam, patefactaque ejus disciplina, quid in arte valeret, qualiter in Fide Catholica dissentiret, & per Spiritum Sanctum cognoscens, qualiterque Fidelis, & Catholicus futurus esset, placidissimè, & multum charitative eum suscepit . . . . .

Tandem nutu divino non post multos dies, sicut multis videntibus, & sibi consentientibus, palam observaverant, sic in fontibus, qui B. Johanni adscribuntur, Deo opitulante, à B. Ambrosio, cunctis Fidelibus hujus Urbis adstantibus, & videntibus, in nomine Sanctæ, & individue Trinitatis baptizatus, & confirmatus est. In quibus fontibus, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis, *Te Deum laudamus* decantantes, cunctis, qui aderant, audientibus, & videntibus, simulque mirantibus, in posteris ediderunt, quod ab universa Ecclesia Catholica usque hodie tenetur, & religiosè decantatur, & quasi ditati multis divitiis, & inestimabilibus Margaritis, mutuo in Deum lætantes, & cum gratiarum actione cibum sumentes, lætati sunt, & gaudio magno gavisi in Deo confortati sunt. --

Gavantus autem noster prædictæ vulgaris, & Communioni sententiæ apertè refragatur, quia, eruditoribus adhærendo, non admittit chronicum S. Dacii Antistitis Mediolanensis, qui supremum diem obiit, vel An. 553, ut opinatur Eminentissimus, & Doctissimus Cardinalis Henricus Noris *Dissert. Historic. de Quinta synodo cap. 6.* vel anno 552, ut eruditissimè ostendunt Ballarini Fratres in observat. ad dictam Dissertationem n. 1. Gavanti, & aliorum sententiæ subscripsit etiam Hugo Menardus in *notis ad Ritus Unctionis Regis Francorum post Sacramentarium S. Gregorii pag. 199. & 400.* Theophilus Raynaudus *tom. 11. in Erotem. de bon. & mal. lib. par. 1. Erotem. 10. num. 184.* Supracitatus Johannes Petrus Puricellus in *Vit. S. Laurentii cap. 11. num. 2. & cap. 20. num. 17.* fuse verò in *Dissert. Nazarian. cap. 39. num. 10. & seq.* Oudin. in *Supplem. ad Bellarmin. de Scriptor. Eccles. verb. S. Dacius* & Edmundus Martene in *Comment. ad Reg. S. Benedicti. cap. 11. pag. 280.* Paulus Bosca in *Martyrologio Eccles. Mediol. ad diem 14. Januarii.* Johannes Mabillon *tom. 1. Analect. Græcolas Comment. Historic. in Breviar. Rom. lib. 1. esp.*

cap. 33. Cardinalis Bona in *notitia Auctorum præfixa suo operi de Divin. Psalm. lit. D.* ubi ait: *Datio Episcopo Mediolanensi falso adscriptum Chronicum, ut censent viri eruditi.* Et eodem lib. de *Divin. Psalm. cap. 16. §. 12. num. 3.* Verum idem Cardinalis in memoria M. S. Correctionum, quas Psalterio Romano, quo nunc Basilica Vaticana utitur, adhibendas adnotarat, & quas per manus eruditissimi Ciampini se obtinuisse asserit supralaudatus P. Eustachius num. 495. sic legitur -- Corrigendi pag. 27. quamvis Hymnus Te Deum laudamus in Psalterio M. S. Basilicæ Vaticanæ nomen præferat S. Sisebuti, non est tamen recedendum ab antiqua traditione, quæ SS. Ambrosio, & Augustino ipsum tribuit, cum sit communiter recepta: neque satis constat, quis fuerit ille S. Sisebutus. Ab aliis tribuitur S. Abundio, ut observo in meo tractatu de *Divin. Psalm. cap. 16. §. 12. n. 3.* Delendum igitur nomen S. Sisebuti, & substituendum SS. Ambrosii, & Augustini. Hæc Card. Bona.

Omnes Auctores, qui Gavanti sententiæ adstipulantur, eodem cum ipso nituntur fundamento, nimirum, quia Chronicum Datianum suppositivum omnino est, vel saltem valde dubium, juxta eruditorum Auctorum sententiam, unde corrumpente fundamento principali contrariæ sententiæ, eandem quoque nutare pernecessè est.

P. Eustachius in *sua eruditissima Disquisitione* n. 465. apertè fatetur, S. Datii Chronicum reverà non reperiri, sed num. 473. prædictum Chronicum extitisse ait, & suum assertum probare conatur, quia Bernardinus Corrius, Gualvaneus Flamma, qui floruit anno 1344. necnon Auctor Chronici *Flos florum*, qui claruit anno 1339. omnes, inquam, isti scriptores antiqui Mediolanenses Datiano Chronico utuntur; unde concludit P. Eustachius, à tot antiquis laudatum Datii Chronicum extitisse, pervicacis tantummodò esset denegare. Nihilominus suprà allegatus doctissimus Muratorius in Appendice ad primum

tomum Anecdotorum Cap. 6. necnon in Præfatione ad Landulphi Senioris Historiam, validis profecto argumentis P. Eustachii sententiam convellit, ejusque fundamenta evertit; ostendit siquidem, Chronicum Datii Med. Archiepiscopi ab Historiographis mox laudatis commemoratum, nihil aliud esse, quàm Landulphi Senioris Chronicum, nunc à se publici juris factum, nullaque satis firmatione probari posse, Chronicum aliquod à vetustissimo illo Archiepiscopo Datio conscriptum fuisse, atque adedò excidere, vel saltem nutare argumentum ex ejusdem S. Datii auctoritate, & antiquitate petum pro Auctoribus Hymni *Te Deum laudamus*. Muratorii autem argumentis magnum præsidium accedit ex iis, quæ ipsemet P. Eustachius num. 467. & num. 468. commonenda esse tanquam certa asseverat; & primò quidem in Bibliotheca Capituli Metropolitanæ Ecclesiæ Mediolanensis duos reperiri Codices Historiarum Landulphi Senioris juxta fidem laudati Puricelli *cit. dissertat. Nazarian. cap. 37. num. 8. & cap. 39. num. 13. & 21.* quorum saltem uni adnexæ sunt Historiæ Arnulphi, & Landulphi Junioris, Scriptorum pariter Mediolanensium. Secundò verò commonet idem Eustachius, huic Landulphi Codici hunc appositum fuisse, recentiore tamen manu, Titulum: *Chronica Datii Archiepiscopi Mediolani nuncupata*; idem colligitur ex responsionibus Antonii Mariæ Pasterlæ, ejusdem Capituli Metropolitanæ Bibliothecarii, ad quaesita Johannis Mabillonii super veritate Datiani Chronici, quod in eadem Bibliotheca asservari præfenterat, prout in *Analectis ejusdem Mabillonii tom. 1. pag. 5. ad 2. & 3.* habetur his verbis: *Non modo non esse eadem manu descriptum: verum neque ab eodem Auctore; nam primam partem scripsit Landulphus senior; secundam Arnulphus; & tertiam Landulphus junior, omnes Mediolanenses Historici. Titulus Chronicorum est recentior, isque est hujusmodi: Chronica Datii Archiepiscopi Mediolani nuncupata.* Hæc

fontè

fortè insinuare voluit Carolus à Basilica Petri in fragmentis Historicorum Mediolanensium illis verbis: *Libellis quibusdam Historicis imperitè prapositum Datii nomen videmus.* Sed reverà Chronicon Datii non esse, & talem Titulum illi Codici ab imperito fuisse adjectum, qui cùm Chronicon Datii non inveniret, & nomen Landulphi fortallè non observaverit, putavit, hanc, quam esse Landulphi ignorabat, Historiam Datio esse adscribendam. Ita fatetur ipsemet Eustachius, & ita evenisse, censet Muratorius, qui aliis etiam verbis exhibet, alium similem Titulum, quem eisdem planè characteribus, figuris in priori pagina scriptum se legitse asseverat, nimirum; *Chronica Datii Archiepiscopi Mediolanensis mei Francisci Castellus S. Mediolanensis Ecclesie Ordini. 1575.* En igitur, subdit Muratorius, ut in eo Titulo apponendo, erravit Franciscus Castellus, Vir alioquin eruditus, nam quamvis ad Datium quempiam referri forsan potuit Chronicon illud, at nunquam profecto ad Datium Antistitem Mediolanensem, qui tot seculis post mortem suam acta, literis consignare nequivit. Hinc dicere possumus, censuisse Castellum (eodem seculo, quo *Corius, & Alciatus* viventem, quamquam juniorem) non aliud esse Datii Chronicon, quam Landulphi Historiam. Quamquam in calce Codicis Metropolitanì scriptum sit vetustissimis characteribus, *explicit Liber Historiarum Landulphi Historiographi*, nihilominus hæc nil obtinere, quò minus Datio eam Historiam Castellus inscriberet, quippe qui probè nosset, eam veteres Chronici Datiani mentionem faciunt, non de alia, quam de Landulphina Historia agere. Animadvertit etiam Muratorius, quod in eadem pagina, in qua Franciscus Castellus affixit præfatum Titulum, ab alia manu exarata leguntur hæc verba: *Primus Landulphus, Secundus Arnulphus, Tertius Landulphus*, qui omnes scripsere inter annum Domini 1000. & 1100. & ferè de Rebus schismaticis illius temporis, ut

mirum sit, bonum Castellum Datii Titulum imposuisse. Miratur P. Eustachius n. 469. quomodo Puricellus, qui præfatas Landulphi Historias perlustravit de supradicto Datii apposito Titulo, nec verbum habuerit, quare nihil supposita Caroli à Basilica Petri verba obstarent, locus esset dicendi non solum recentiori, sed recentissima manu, hoc est post ipsum Puricellum illi Codici additum ejusmodi Titulum. Hæc Eustachius, qui subdit, quòd, ubi ab Auctoribus de Chronico Datii agitur, v. g. ubi *Te Deum laudamus*, in Augustini Baptismo, ab ipso unum cum Ambrosio decantatum, aut alia hujusmodi è Datii Chronico referunt, non sunt intelligendi de hoc Landulphi Codice, cum ea inscriptione: *Chronica Datii Archiepiscopi Mediolani nuncupata*: sed de alio opere historico, à Landulphi Historia distincto, ab eodem S. Datio conscripto. Verum hujusmodi Eustachii assumptum omnino collabescit, quia, ut optimè observat Muratorius in sua allegata Præfatione ad Historiam Landulphi, omnia ea, quæ à Gualvaneo, aliisque tanquam è Datii Chronico afferuntur, iisdem verbis in Landulphi Historia perhibentur. Incredibile autem videtur, Landulphum, cum Historiam suam scriberet, unum Datium explicare voluisse, totamque ferè Historiam suam ex ejusdem libris concinnasse; deinde Gualvaneus, & alii supra allegati Scriptores antiqui Mediolanenses unius Datii mentionem sæpè quidem fecerunt, nullam verò Landulphi, cùm tamen hujus Chronicon eorum ævo extaret, evidens igitur est, illos Scriptores Datium cum Landulpho confusisse. Denique Gualvaneus Flamma in enumerandis libris, unde suam contexuit Historiam, inter alios refert Chronicon Datii: *Chronica Datii, & Arnulphi*, in duobus autem Metropolitanæ Bibliothecæ vetustis Codicibus conjunctæ simul habentur cum Landulphi, *in Arnulphi historia*; nimirum apud veteres subsequi solebat Arnulphus; hinc clarè apparet, Gualvaneo idem fuisse

fuisse Chronicon Datii; ac Chronicon Landulphi. Cur verò Landulphi Historia sub Datii nomenclatura apud antiquos etiam celebrata fuerit, certis documentis profectò allequi nequimus; neque hic insudandum, ait Muratorius, cum reliqua omnia ad id statuendum confluant, nempe Historiam hanc Landulphi antiquis cognitam, memoratamque fuisse sub Datii nomine, neque necessarium esse, alium à Landulpho excogitare Dadium, eidem Landulpho Synchronum, ut excogitavit Puricellus, sed sine ullo fundamento, ut fatetur etiam ipsemet P. Eustachius.

Neque excipias, quòd Puricellus, & P. Eustachius aliqua à Gualvano, Corio, & Alciato adducta asserant, tanquam excerpta à Datii Chronico, quæ nunc in Historia Landulphi, aut frustra quærentur, aut aliter exhibentur, ita ut inferri possit, aliam à Landulphina fuisse Datianam Historiam: non enim ex hac diversitate Textuum inferri legitime potest varietas Auctorum præfate Historiæ; Verborum quippe, & sententiarum diversitas, vel tribuenda est Gualvano, qui aut amplificat, aut ex aliis Historiis, aut de ingenio, & eruditione sua explicat Landulphi sensa, vel dicendum est cum Muratorio, olim fuisse, & adhuc esse Landulphi unius Codices inter se discordes, quòd forte idem Scriptor, aut alius quisquis addiderit, sive minuerit, aut priora immutarit. Aliqua hujusmodi adnotat diversa Landulphi sensa Muratorius in laudata sua Præfatione, quæ curiosus Lector conferre poterit cum Codice, unde Landulphi Historiam ipse Muratorius descripsit, & facile intelliget, Landulphina Historiæ Codices MSS. non omnes in iisdem consentire, multaque aut addita, aut dempta fuisse.

Unicum superest argumentum à nobis diluendum, quo P. Eustachius confidenter jactat num. 484. se probare, S. Dadium Historias verè conscripsisse, quia nimirum Paulus Diaconus, qui florit anno 780. *Hi-*

*Gavant. Rubr. Brev.*

*storiarum lib. 16.* sic habet: *tanta siquidem per universum mundum eo Anno, maximèque apud Liguriam fames excreverat, ut sicut Vir Bestissimus Datus, Mediolanensis Antistes, retulit, pleraque Matres infelicium natorum comederent membra, quod, & præstat Anastasius Bibliothecarius in S. Sylverio dicens: eodem tempore tanta fames fuit per universum mundum, ut Datus, Episcopus Civitatis Mediolanensis, relatione sua hoc evidenter narraverit, quòd in partibus Liguria &c.* Ex iis P. Eustachius deducit, liquido constare, à S. Datio Historiam aliquam sui temporis conditam fuisse. Verum Doctissimus Bollandus tom. 1. *Astor. Sanct. in vita S. Datii ad diem 14. Januarii §. 1. num. 13.* de hisce Datii scriptis ait: *Possent tamen relationes videri sortissis epistolica narrationes,* cui Bollandi opinioni libenter accedo, non enim ex prædicta famis relatione à S. Datio exarata, inferri legitime potest, ipsum, & suorum, & superiorum temporum historias scriptis consignasse; multoties siquidem contingit, quòd sacri Antistites in similibus eventibus Pastorales exscribant Epistolas ad suum Clerum, Populumque directas, eos adhortando ad publicas pœnitentias subeundas, precesque effundendas, ut divinæ Justitiæ flagella removeantur, sic Doctissimus & zelantissimus Henricus Xaverius Bensuncius præfens Massiliæ Antistes anno vigesimo currentis seculi, quo in prædicta Civitate magna grassabatur lues, piissimam, elegantemque adornavit epistolam Plebi suæ directam, in qua mirabili profectò stylo describebat illius temporis Calamitates, quibus sua Diœcesis premebatur, referebatque damna Massiliæ illata ab ea, quæ tunc ibi sæviebat, gravi pestilentia. Si quis historicus, seu Annalista ad comprobandas suas enarrationes mentionem faceret hujusce Relationis, in dicta Pastoralis contentæ, possetne inferri, laudatum præclarissimum Præfulem Chronica, seu Historias sui temporis elucubrassè? Minimè gentium. Ex quo igitur S. Datus aliquam exaraverit

E c

Rela-

Relationem maximæ famis, quæ per totam Liguriam suo tempore excreverat, non inde sequitur, Historias suorum, & multò minus superiorum temporum concinnasse. Non bene igitur P. Eustachius ex prædicta Relatione à Paulo Diacono, & ex eo à Vulgato Anastasio allegata infert, & adstruit, liquidò constare, S. Datium Chronicon aliquod composuisse. Quinimò cum Paulus Diaconus nonnisi pro dicta fame comprobanda, Datii Testimonio utatur, & in nullius alterius rei eundem Præsulem Testem advocet, signum manifestum est, nullum Chronicon ab eo scriptis traditum fuisse. Rursus, quoniam hujusce famis in supralaudati Landulphi Codice nulla fiat mentio, omne ruit argumentum, quo probetur, eundem Landulphum ex Datii Chronico aliquod hausisse, quod in sua historia complexus sit. Semper itaque firmum remanet, nihil certi statui posse super prædicto Datii Chronico, & super prælaudatis Auctoribus Hymni, seu Cantici *Te Deum laudamus* in eodem Chronico significatis.

Laudatus P. Eustachius §. 12. & 13. procedit ad comprobendam suam sententiam aliis etiam conjecturis, & argumentis, ita ut non subsistente etiam veritate Chronici Datiani, minimè excludi debeant à compositione Hymni *Te Deum laudamus* prælaudati Sancti PP. Ambrosii, & Augustini. Igitur comprobare studet hanc suam opinionem allegatus Auctor ex M. S. Libro Psalmodum, quem Carolus Magnus anno 772. Hadriano I. Summo Pontifici dono misit, qui postea ab eodem Hadriano S. Willehædo I. Ecclesiæ Bremensis Episcopo, de anno 788. donatus in eadem Ecclesia seculorum octo, & ultra spatio asservatus, modò verò in Bibliotheca Cæsarea custoditur testante eruditissimo Lambecio tom. 2. *Comment. ad eandem Bibliothecam lib. 2. cap. 5. pag. 294. post num. 130.* In appendice ejusdem Psalterii Hymnus *Te Deum laudamus* reperitur sub hoc Titulo num. 7. *Hymnus,*

quem S. Ambrosius, & S. Augustinus invicem condiderunt, Te Deum laudamus. Ex quibus, & ex aliis conjicit P. Eustachius, quòd si illis temporibus hæc erat de præfati Hymni Auctoribus opinio, cum putandum non sit, sine fundamento prædictum opinamentum invaluisse, conjicit, inquam, ex Datii Chronico talem notitiam fuisse desumptam, prout & Sapientissimus Mabillonius Cap. 6. de Azimo ex prædicto Caroli Magni Psalterio sufficienter sic insinuat: *hinc apparet, persuasionem de Auctoribus istius Cantici (scilicet Ambrosio, & Augustino) non esse admodum novam, & recentem: sed aut ipsius Datii tempore, aut paulò post receptam.* Ex prædictis tamen argumentis, & ex aliis conjecturis, quas congerit Eustachius §. 13. nihil aliud probatur, nisi quòd ante Landulphi ævum, & Historiam ab ipso concinnatam locum habuit apud aliquos sua sententia de Auctoribus prædicti Cantici, sed nunquam evincitur, prædictam opinionem ex Chronico Datiano derivatam fuisse, cum reverà ante Landulphinam historiam de tali Chronico Datii nullum habeatur verbum, nulla penitus mentio fiat à scriptoribus antiquis, & Landulpho superioribus. Dicendum igitur potius est, quòd antiquæ illi opinioni fucam probabiliter fecit sermo 92. S. Ambrosii, qui habetur in *edit. Parisien. ann. 1549.* & qui est inscriptus: *De Augustini Baptismo* in hoc enim sermone leguntur hæc verba: *In quo una vobiscum cum divino instinctu Hymnum Cantavimus de Christi fide;* hic sermo, & hæc verba, quæ Divo Ambrosio supplicata fuerunt, occasionem dederunt opinandi, S. Antistitem locutum fuisse de Hymno *Te Deum laudamus*, & hinc originem habuit illa antiqua nonnullorum opinatio, quam Pater Eustachius derivatam fuisse arbitratur ex Chronico Datiano, quod profectò nunquam extitit, ut cum Muratorio supra ostendimus. Sed quia pariter prædictus sermo 92. non est genuinus Ambrosii factus, immò omnino supposititius, eumque redarguunt docti viri, (ut

(ut asserit Posssevinus in Apparatu sacro) in quibus est etiam Baronius, & Bellarminus, Cardinales, quorum postremus ait, talem sermonem longissimè distare à stylo, & gravitate Ambrosii, nec ullo modo credibile esse, quod in eo sermone dicitur, Ambrosium saepe Deum orasse, ut eum à captionibus Augustini liberaret. Augustinus enim non disputando cum Ambrosio, sed eum concionantem audiendo, ad Fidem Catholicam conversus est, ut ipse idem testatur *lib. 5. Confess. cap. 13. & lib. 6. cap. 1.* Ea, quæ asseruntur in dicto sermone, referuntur pariter à Landulpho *supracit. lib. 1. cap. 19.* unde liquidò constat, ea, quæ ibi enarrat, non eruisse ex Chronico Datii, sed ex hoc supposito sermone Ambrosiano. Hunc sermonem Benedictini PP. adeò Ambrosio indignum existimarunt, ut in novissima Ambrosii editione illum omiserint.

Quamvis autem laudatus Bellarminus Ambrosio dictum sermonem 92. abjudicet, nihilominus versatur in vulgari, & Communi opinione, quæ Cantici *Te Deum laudamus* Ambrosium, & Augustinum Auctores cognoscit; ait enim, *extare Chronicon S. Datii Episcopi Mediol. qui Justino imperante floruit, in cuius Chronico lib. 1. cap. 10. scribitur: Completo Baptismo S. Augustini, toto obstupescente Populo, repente Canticum illud à SS. Ambrosio & Augustino alternatim fuisse cantatum,* hæc Bellarminus, cuius sententiam de Datii Chronico satis supra refutavimus; quod vero ait, Datium, Justino imperante, floruisse, quod etiam à Gerardo Vossio dictum est *de Historicis Latinis Cap. 11.* falsum omnino est, cum Datius sub Justiniano, Justini successore, floruerit. Ex prædictis omnibus clarum fit, prædictam illam antiquam opinionem, quæ ante Landulphi Historiam invaluerat de Auctoribus Cantici *Te Deum*, falso pariter fundamento fuisse innixam, nempe dicto Ambrosiano sermone, & quamvis verum sit, ut ait Mabillonius, eam opinionem receptam fuisse, aut Datii tempore,

aut paulò post, nunquam tamen evincitur, neque Mabillonius asserit, ex Chronico Datiano eam fuisse depromptam. Quapropter confidenter nimis loquitur P. Eustachius, quando infert, nullum esse fundamentum denegandi à SS. Ambrosio, & Augustino Compositum fuisse Hymnum *Te Deum laudamus*, cum potius è contra certum sit, nullum esse fundamentum, talem opinionem tuendi, quia hæc desumpti non potest neque ex Chronico Datii, quod nunquam extitit, neque ex cit. serm. Divi Ambrosii, qui ab omnibus sapientibus rejicitur.

II. Gavant. pag. 77. col. 2. n. 1. -- *Qui etiam melius censent, totum Hymnum uni Ambrosio debere &c.* Auctores, qui præfatum Hymnum, seu Canticum soli Ambrosio adjudicant, sunt Johannes Petrus Puricellus in *Dissertatione Nazariana supracit. cap. 39. num. 7. & 8.* Edmundus Martene ad *cap. 11. Regula S. Benedicti* hæc dicit: *Solus à Smaragdo, & aliis quibusdam creditur Ambrosius, scilicet Auctor, quia Smaragdus in dicto Cap. Regul. Benedict. Ambrosianum eum vocat Hymnum.* Qua forte de causa Petrus Boërius ad dictum Cap. 11. Regul. ex Titulo, inquam, *Ambrosiani*, scripsit: *Hic autem Hymnus factus est à B. Ambrosio post Baptismum S. Augustini.* Eundem Hymnum eodem Titulo prænotavit & Gualterus Tervanensis in vit. S. Caroli, Comitis Flandriæ, *Cap. 38.* apud Dufresne Verb. *Hymnus Te Deum laudamus*, & Scriptor miraculorum S. Pelini apud Ughellium in *Italia Sacratom. 9. Col. 38.* ubi legitur: *Quod perspicentes Clerici intraverunt Ecclesiam, & Te Deum laudamus, Ambrosianum scilicet Hymnum, succinunt ante sancti sepulturam.* Novissimè verò Tobias Lohner in *Instruct. pract. de Offic. Divin. part. 2. tit. 1. §. 11.* Rursus in Codice etiam non solum num. 555. anno 1472. exarato, sed & in altero num. 430. Bibliothecæ Cassinensis supra 350. annos antiquo *Te Deum laudamus* sic inscribitur: *Hymnus S. Ambrosii.*

Verùm ex his omnibus minimè firmari potest hæc secunda opinio, quæ soli Divo Ambrosio tribuit præfatum Hymnum; ex Codicibus etenim allegatis Bibliotheca Casinensis nihil solidè delumi potest, ob libertatem Amanuensium jam supra à nobis observatam in apponendis Titulis, & quam nemo inficiari potest. Præterquàm quòd alii Codices reperiuntur in eadem Bibliotheca Casinensi Teste D. Erasmo Gattola allegato à P. Eustachio num. 445. in quibus *Te Deum laudamus* sequentibus inscriptionibus adnotatur: *Hymnus S. Ambrosii, & S. Augustini. Hymnus, quem S. Ambrosius, & S. Augustinus composuerunt.*

Similiter nihil juvat illud de *Ambrosiani* Titulo, ob quem Martene adstruit, soli Ambrosio tributum fuisse illum Hymnum à Smaragdo, quia hæc sunt verba Regulæ S. Benedicti: *Post quartum Responsorium, incipiat Abbas Te Deum laudamus, quo prædicto, legat Abbas lectionem de Evangelio cum honore, & tremore, stantibus omnibus, qua perlecta respondeant omnes Amen, & subsequatur mox Abbas Hymnum Te decet laus.* Post quæ verba Smaragdus subjungit: *Cantoris* (loquitur de Abbatibus, non Diaconis) *nō gestent officium, & idè non possunt Ambrosianum alie bano Hymnum incipere;* unde non satis apparet, quem Hymnum ex istis duobus *Ambrosianum* appellare voluerit Smaragdus, & quando utrumque in mente habuerit, nihil inde probatur, quia Smaragdus S. Benedicti phrasim adoptavit, qui omnes Hymnos Ambrosianos vocat, sive ab Ambrosio compositi fuerint, sive ad suorum Hymnorum imitationem ab aliis Auctoribus fuerint elucubrati, ut testificatur Walfridus Strabo de *Rebus Ecclesiæ* Cap. 25. dicens: *Hymni dicuntur per Horas Canonicas, quos Ambrosianos nominamus, vel illos vult (S. Benedictus) intelligi, quos consecit Ambrosius, vel alios ad imitationem Ambrosianorum compositos.* Et Cornelius Schultingius tom. 1. part. 2. *Bibliothec. Ecclesiæ. sècl. 2. cap. 7.* asserit: *Hymni autem*

*omnes dicuntur Ambrosiani, non solum quos Ambrosius fecit: sed omnes etiam alii Ambrosiani dicuntur, qui eodem tempore facti sunt à quos inque Auctore, ut quæro quoque versu sententiam absolvant.* Hæc omnia confirmant eruditissimi Benedictini Sangermanenses tom. 3. Sancti Ambrosii in Admonitione ad Hymnos ejusdem S. Antistitis, ubi dicunt, quòd S. Benedictus, *dum in sua Regula Divini Officii rationem sui prescribit, Ambrosianum, scilicet Carmen, quod etiam alibi Hymnum vocitat, ad singulis Horas Cantari jubet. Verumtamen qui commentaria scripserunt in eandem Regulam, vocem, Ambrosianum, post Radulphum ita interpretantur, ut eos Hymnos, vel quos consecit Ambrosius, vel alios ad imitationem Ambrosianorum compositos designet.* Prælaudati Monachi adnotant eodem loco, quòd *Hymnus Te decet laus, Ambrosia us vocatur lib. 1. miraculor. in S. Richardi;* sed quoniam sensu ita dictus sit, haud satis liquere affirmant, cum enim ille non constet metris, neque ab Ambrosio, neque ad formam Ambrosianorum Hymnorum factum oportet. Ex quibus colligitur, à Smaragdo perperam appellatum esse Ambrosianum Hymnum *Te Deum laudamus*, vel *Te decet laus*, quia uterque caret Metro; Hymni autem, qui Ambrosiani vocitantur, sive ab Ambrosio sint compositi, sive ad ejusdem imitationem, metrici semper sunt. Ex iis igitur, & ex aliis Testimoniis, quæ legi possunt apud allegatum P. Eustachium num. 448. non est, cur ex Titulo *Ambrosianus* dicto Hymno ab aliquibus appposito, dicatur, quòd idem Hymnus à Divo Ambrosio compositus fuerit.

Ad ea, quæ asserit Puricellus loc. supra cit. nimirum, quòd S. Ambrosius composuerit Hymnum de Trinitate, quem quotidie recitabant Fideles; ut idem Ambrosius testatur in *orat. de Basilic. non traden. Hæc*, per hæc verba: *Hymnorum quoque meorum carminibus deceptum populum seruiunt (Ariani). Planè nec hoc abnuo. Grande Carmen istud est, quo nihil potentius; quam Confessio Trinitatis,*

qua quotidie totius populi ore celebratur? Certatim omnes student fidem sateri, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum norunt versibus predicare. Quem Hymnum alium esse non posse opinatur Puricellus, quàm Te Deum laudamus propter Trinitatis Confessionem, quæ in eo habetur, ob illa verba. *Per singulos dōs benediximus te*, & quia veteres Ambrosiani hunc Hymnum de Fide Christiana nuncupabant, quem Hymnum cum S. Augustinus adhuc Catechumentis dicere potuerit, potuit itidem in Baptismo suscipiendo cum S. Ambrosio concinere. Ad hanc Puricelli conjecturam occurrit Theophilus Raynaudus *Evrom.* 10. num. 179. dicens, verificari posse omnia, quæ ab eodem Puricello asseruntur de Hymno S. Ambrosii *Jesus Redemptor Gentium*, vel de altero *Deus Creator omnium*, ut vult Waldensis tom. 3. tit. 19. nam. 4. dicens, *posset fieri, ut illum Hymnum intelligat* (in ea concione Ambrosius) quem ejus esse de Trinitate compositum versibus jam Augustinus edixit Deus Creator omnium, vel etiam de illo splendor paternæ gloriæ, ut in tom. 5. operum S. Ambrosii, in quo SS. Trinitatis Mysterium proponitur, & qui illi persecutionum Arianorum temporibus valde congruebat pro fide conservanda. Posset etiam dici, omnes Ambrosii hymnos Confessiones Trinitatis vocari, quia in omnibus tunc à se editis Hymnis, & in Ecclesia canendis, populo traditis, ad finem cujuscumque ipsorum glorificationis esset SS. Trinitatis, ut explicat Baron. ad Annum 387. & confirmat Suarez de Religione lib. 4. cap. 2. n. 13. dicens: *quatinus in Hymnis à S. Ambrosio editis semper in fine addit glorificationem Trinitatis.* Unde Guyetus lib. 3. cap. 5. quest. 6. loquens de Hymnis, hac habet: *Ultimam stropham obinet glorificatio Trinitatis, qua hymni omnes, æquæ ac Psalmi semper concluduntur ex antiquissimo Ecclesia usu, quod adstruxit Ambrosius orat. in Auxen. de Basilicis non traden. ubi de hymnis à se conscriptis, & in Ecclesia à Populo decantatis sermonem habens, sic ait: Quid po-*

tentius, quàm Confessio Trinitatis, qua quotidie totius Populi ore celebratur? Certatim omnes student fidem sateri. Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum norunt versibus predicare. Et sic, ut optimè ponderat P. Eustachius n. 449. cum habeatur clarè, quid intellexerit S. Doctor pro Hymno de Trinitate seu Trinitatis Confessionem continente, à se composito, non est, cur ad hæc Ambrosii verba verificanda recurratur ad *Te Deum laudamus*, ut contendebat Puricellus.

III. Gavant. pag. 77. col. 2. eod. n. 1. - - *Legi pro Titulo Hymnus S. Abundii.* Præter supra dictas opiniones circa Auctorem Hymni *Te Deum laudamus* aliæ etiam circumferuntur, quæ aliis Auctoribus eundem Hymnum referunt. Ita Gavantus in Breviario MS. Collegii Aniciani de Urbe antiquissimo legit: *Te Deum laudamus*, hoc Titulo prænotatum: *Hymnus S. Abundii*, cujus tamen Auctoris nullibi aliàs mentio habetur, unde prorsus ignoratur, quis sit. Natalis Alexander in sua *Historia Ecclesiastica seculo 4. cap. 6. num. 12.* Canticum *Te Deum laudamus* refert cuidam Monacho Ordinis Benedictini, Silebuto nomine, idque constare asserit ex antiquo Breviario Chori Monasterii Casfinensis descripto paulò post Ann. 1086. in quo hocce Canticum inscribitur: *Hymnus Sisebuti Monachi*: cui pariter idem Canticum tribuitur in altero Codice MS. Vaticanae Bibliothecæ laudato à doctissimo Card. Bona in *Lb. de Divin. Psalmis.* Verùm mirari profectò est, Natalem Alexandrum ita facile hunc errorem amplecti, & à semetipso cognitum, cum eodem loco fateatur, hujus Cantici *Te Deum* mentionem fieri in Regul. S. Benedicti. ab eodem instituta, & quod plaris est, in Regul. S. Casarii Arelatensis, quam Benedictina antiquiorem esse, probat P. Eustachius num. 421. quare sine aperta contradictione affirmare non potuit, Sisebutum, Ordinis S. Benedicti Monachum, hujus Hymni parentem fuisse.

Non defunt etiam, qui eundem Hymnum Nicetæ adscribant, ducti auctoritate Plakerii Latini-gallici, cujus mentionem fecit Jacobus Usserius Armacanus in tract. de Symbol. Roman. Eccles. sed cum ignoretur, quis fuerit iste Nicetas, qua ætate floruerit, hujus Hymni auctor judicari non potest, præsertim cum ex verbis, ab Usserio laudatis, colligatur, Nicetam recitasse Hymnum cum quibusdam additionibus, ab eodem Usserio relatis, non autem composuisse prædictum Hymnum.

Denique Benedictini PP. qui S. Hilarii Pictaviensis opera recens ediderunt A. 1693. eruditisque notis illustrarunt, in Præfatione §. 3. num. 22. citant fragmentum Epistolæ MS. Abbonis Floriacensis, in quo res veluti nota, & constans ponitur, hujus Hymni parentem esse Hilarium, his verbis: *In Dei palinodia, quam composuit Hilarius, Pictaviensis Episcopus &c.* Et quidem Hymnos ab Hilario fuisse compositos, gravissima Concilii Toletani IV. S. Hieronymi, & Isidori auctoritate probatur. Hunc verò Hymnum S. Hilario tribuere propter unius Abbonis testimonium, non satis consultum videtur, cum iste Auctor vixerit post Hilarium Seculo VI. Incertum itaque prorsus est, cui debeat hic Hymnus vendicari, quamvis de ejus antiquitate dubitari non possit. Suspicio ego, hunc Hymnum seu potius Canticum vel à S. Hilario Arêlatensi, vel ab aliquo Lirinensi Monacho fuisse compositum, certum enim videtur, hunc Hymnum fuisse conscriptum pro Matutinis Officiis, ut ex postremis ejusdem versibus facile colligi potest: *Per singulos dies benedicimus te; dignare Domine die isto sine peccato nos custodire;* quæ aptata sanè sunt viris Choro addictis, & quotidie Deo laudes in exordio diei persolventibus; hinc fortasse Cæsarius, Hilarii successor, qui primus Hymni mentionem fecit, Regulæ suæ eundem inseruit.

IV. Gavant. pag. 77. col. 2. eod. n. 1. -- *Gelasius autem cantari de rebus &c.* Quod

asserit Gavantus, Gelasium decrevisse cantari *Te Deum*, id colligit ex Benzon, in *Magnifi at*, cui tamen nulla fides adhiberi debet, cum alia adducat idem Auctor, quæ aliena sunt à veritate, sicut falsum omnino est, Gelasium instituisse decantationem hujus Cantici, cum hoc neque ex suo Decreto, neque ex alio documento erui possit.

V. Gavant. pag. 77. col. 2. n. 3. -- *Radulph. propos. 13. etiam de Festis Simplicibus &c.* Radulphus à Gavanto citatus allegando caput Innocentii III. *Consilium extra de celebrat. Missar.* asserit, hunc Hymnum omittendum esse in diebus profestis, hoc est, ut ait Glossa, privatis, quasi procul à Festo, quando videlicet tres sunt Lectiones; rationem reddit Innocentius *cit. Can.* ut videlicet inter Commemorationem, & Sollemnitatem differentia ostendatur, unde juxta Radulphum etiam in Festis Simplicibus, quæ Sollemnitates non censentur, sed potius Commemorationes, prætermitti debet *Te Deum*. Quia tamen jure novo Breviarii Pii V. Festorum nomine hac in parte veniunt etiam Festa simplicia, idcirco usû Romano, & juxta dispositionem superioris Rubricæ in iis nequaquam amplius est omittendum *Te Deum*, sicut nec in ullis duplicibus, & semiduplicibus, etiam translatis temporibus Adventus, & Quadragesimæ. Immo præfatus Hymnus juxta Ritum Romanum recitatur etiam in Officio feriali toto tempore Paschali. Juxta Regulam tamen Monasticam S. Benedicti nunquam dicitur *Te Deum*, nisi quando habetur Officium duodecim Lectionum.

VI. Gavant. pag. 78. col. 1. n. 7. -- *Festum Innocentium non admittit hunc Hymnum, nisi in die Octava &c.* Hoc Festum admittit Hymnum etiam quando venit in Dominica, ut patet ex superiori Rubrica, & ex nostro Gavanto *cel. 6. cap. 6. n. 3.* ubi etiam reddit rationem harum dispositionum, & n. 7. admittit, cantandum esse eundem Hymnum in ea Ecclesia, in qua Titulus Eccle-

sia (non tamen solius Altaris majoris) fuerit SS. Innocentium.

Quando recitantur illa verba: *Te ergo quaesumus &c.* omnes in Choro, detecto capite, genuflectunt, & quidem utroque genu, im-

mo in Cerem. Episcoporum *lib. 2. cap. 5.* adnotatur, quod etiam adhibeatur Organum, hæc verba sunt cantanda à Choro, & omnes, ut diximus, genuflectunt.

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Cap. XX. De Symbolo S. Athanasii.

I. Gavant. pag. 78. col. 1. n. 1. -- *S. Athanasius dum esset Roma, scripsit Latine Symbolum, de quo hic loquimur . . . . . Anno 340. ut scribit Baronius &c.* Gavantus in hærens Baronii sententiæ celeberrimum Symbolum, de quo nunc est sermo, Athanasio adjudicare non dubitat; immò cum eodem Annalium Ecclesiasticorum parente censet, Romæ editum fuisse ab Athanasio, & coram Pontifice Julio I. & aliis fuisse recitatum; cui quidem sententiæ adstipulatur etiam Card. Bona *lib. de Divin. Psalm. cap. 16.* Verùm quamvis horum Virorum commendatissimæ auctoritati plurimum tribuam, nihilominus adduci non possum, ut prædicto eorundem placito acquiescam. Considero siquidem, quod S. Athanasius non fuerat de doctrina apud Julium Pontificem accusatus (Eusebiani enim, ejus hostes, Nicenæ Fidei se assentiri simulabant) sed accusatus fuit Athanasius, quod à Synodo damnatus, nec ab ea restitutus, Sedem contra Canones recepisset. Insimulatus pariter fuit idem S. Antistes, quod ejus Alexandriam reditus multarum eadum causa fuisset, & denique, quod Ægypti, ac Lybiæ Viduis triticum eripuillet à Constantini munificentia eisdem donari solitum. Cum igitur non hæreseos, sed aliorum criminum reus ab Eusebians accusaretur S. Athanasius, & non solùm Fidei ejus integritas nota esset Julio Romano Pontifici, Catholicisque omnibus, sed respectum etiam esset ejusdem Athanasii studium pro Nicæni Concilii defensione, necnon exploratum, eundem S. Antistitem in odium Fidei calumniis impetum, & depo-

sitione, ac exilio afflictum fuisse; hinc incredibile omnino videtur, quod Julius Pontifex ad comprobendam Athanasii orthodoxiam illum coegerit ad emittendam coram se, & aliis Catholicæ Fidei professionem. Secundò ad non subscribendum Baronianæ sententiæ suadeor etiam, quia cum Athanasius nunquam ab Apostolicæ Sedis Communionem separatus, sed ea semper gavilus fuerit, eo etiam tempore, quo ab Eusebians accusabatur, non satis intelligo, cur Eminentissimus Baronius hanc Fidei professionem Athanasio necessariam fuisse arbitretur, ut Ecclesiæ Romanæ Communionem frui valeret. Tertio denique moveor, quia si Romæ conditum, & palam recitatum fuisset hoc Symbolum, quis sibi suadere poterit, quod nullum exemplar in Scriniis Apostolicæ Sedis custoditum fuerit; & quod S. Leo, qui sæpius post quartam Synodum scribens ad Orientales Episcopos, propriam Orientalium Ecclesiarum traditionem appellat, exinde nullam mentionem fecerit Athanasiani Symboli, in quo tam expressè, & tam distinctè Nestorii, & Eutychetis hæreses confodiuntur? Ultro quidem admitto, multo invicem intervallo distare posse aliquando Scriptoris aetatem, & ejus operis notitiam, necnon sub veri Auctoris nomine celebritatem; sed si verum esset, Athanasium hanc Fidei Teseram Romæ edidisse, & palam recitasse, iterum dico, difficile planè videtur, quod opus adeò pretiosum, & monumentum hoc commendatissimum S. Leonis notitiam, & diligentiam omnino effugerit; præcipuè quia in Pontificiis archivis hujusmodi Fidei pro-

professiones sedulo conservabantur, cum utilissima forent ad nascentes hæreses profligandas.

Inter Auctores igitur, qui præfatum Symbolum Sancto Athanasio tribuunt, veritati propius accedunt, & congruentius loquuntur illi, qui Treveris ab eo scriptum fuisse opinantur, quia sinceriores sui notitiam Trevirensi Metropoli debet hoc monumentum; cum enim multis argumentis, & antiquis monumentis comprobetur à clarissimo Viro Josepho Anthelmio in sua doctissima *disquisitione de Symbolo Athanasiano sect. 2.* hanc Fidei Confessionem ab initio nullius Auctoris nomen prætulisse, & deinceps Athanasii nuncupationem quinto labente Seculo ex conjecturis, ac opinione primum illi datam fuisse; prædictæ sententiæ hunc colorem profectò affundere potuit mox memorata hujus Symboli exploratio Treviri primum facta, & exinde ex Trevirensibuseductio; cum enim, dum in Galliis exulabat, Treverim per biennium incoluisset Athanasius; & Symbolum suo nomine adornatum, Catholicam suam doctrinam splendide referat, ab eo in eadem Urbe digestam hanc Fidei Confessionem cum aliquo fundamento credi potuit; præsertim verò, quia idem monumentum ibidem asservatum, ibidem primò detectum, & deinde in alias Orbis Regiones transmissum fuit. Hujusce opinionis assertor est Duran. in *rationali Divin. Offic. lib. 4. cap. 25.* ubi Symbola recensens, de hoc subjungit: *Secundum Symbolum. Quicumque vult salvus esse &c. ab Athanasio Patriarcha in Civitate Treveri Compositum.* Sed longè ante Durandum ab Othone Frisingensi in *Chronic. lib. 4. cap. 27.* observatum fuit, quòd *Athanasius manens in Ecclesia Treverorum sub Maximino, ejus Ecclesie Episcopo: Quicumque vult salvus esse &c. à quibusdam dicebatur edidisse.* Quæ quidem opinatio nusquam verisimiliùs ortum traxisse credi potest, ut dixi, quam ab exploratione Symboli ejusdem Treveris primum facta, ut optimè

etiam ponderat cit. Anthelmio *sect. 2. cap. 3.*

S. Athanasium Auctorem hujus Symboli cognoscant Bellarmin. de *Scriptoribus Ecclesiasticis*, Possévinus in *apparatu Sacro*, Annatus in suo *apparatu ad Positivam Theologiam lib. 4. art. 17.* nullum tamen exprimendo locum, in quo S. Doctor hanc Fidei confessionem confecerit. Ad comprobandam suam sententiam utuntur allegati Auctores, præsertim Annatus, his argumentis, nimirum, quia Symbolum hoc velut genuinum Athanasii scriptum agnoscunt, & citant SS. PP. Gregorius Nazianzenus, Augustinus, & Angelicus Doctor Thomas Aquinas. Gregorius quidem Nazianzenus, dum in *orat. de Laudibus Athanasii*, ut laudet S. Antistitem, inter alia dicit, eum *Imperatori donum verè Regium, & magnificum obtulisse, scriptam nimirum Fidei professionem*, per quam scriptam Fidei professionem, intelligi à S. Gregorio Symbolum illud sub nomine S. Athanasii vulgatum in divinis Officiis, notat expressè Genebrardus, Aquisgranensis Archiepiscopus, in *Præfat. ad suum Commentarium hujusce Athanasiani Symboli.* Notat idem pariter operum S. Gregorii Interpres, & Illustrator Jacobus Billius.

Sanctus verò Augustinus eandem Fidei Confessionem esse S. Athanasii germanum opus, manifestè declarat, dum *tract. in Psal. 120.* explicans illud Davidicum: *Per diem sol non uret te*, sic ait: *De hoc sole P. Athanasius Alexandrinus Episcopus ita publice locutus est, Filius, inquit, Dei à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus.* Quæ sunt expressa S. Athanasii verba in eodem Symbolo. Alia sparsim in suis operibus pronunciat sensa, & verba, quæ in eodem Athanasiano Symbolo continentur S. P. Augustinus, & quæ refert Annatus ibidem, sed quæ non fatetur Augustinus à S. Athanasio fuisse prolata, seu scripta.

Denique, quòd S. Thomas idem Symbolum S. Athanasio asservat, id liquet, quia passim

passim expressa ejus Symboli verba sub nomine Athanasii refert, & citat.

Auctores verò, qui S. Athanasio hoc Symbolum eripiunt, sunt Natalis Alexander in sua *Historia Ecclesiastica seculo 1<sup>o</sup>. cap. 6.* Oudin. in *supplement. ad Bellarmin. de Scriptor. Ecclesiast. ad An. 340* & ad *opera Athanasii §. v.* Gotefridus Hermantius, Bellovacensis Canonicus, in  *suis observat. ad vitam S. Athanasii gallicè* à se compositam, Josephus Anthelmus in  *sua disquisit. supradict.* & recentissimè omnibus istis præferendus Clarissimus Montfauconius, Monachus Sangermanensis, Athanasianorum operum diligentissimus Editor, & Illustrator  *tom. 3. in fin.* & alii plures ab iisdem citati, quorum aliqui occurrunt Auctoritatibus SS. PP. mox adductis in favorem communioris sententiæ dicendo, quòd S. Gregorius Nazianzenus nomine Confessionis Joviano Imperatori à S. Athanasio oblata, quæ verè donum Regium & magnificum fuit, non intelligi Symbolum illud, quod Athanasianum vocatur. Fuit igitur tale donum Epistola Synodica ab Athanasio ad Jovianum scripta nomine omnium Episcoporum Ægypti, Thebaidos, & Lybiarum, quæ & Nicænum Symbolum complectitur, & quædam ad profligandam Pneumathomacorum nascentem hæresim, negantem nempe Spiritus Sancti Divinitatem. Præterea addi posset, certum esse apud omnes Scriptores tum asserentes, tum abjudicantes Athanasio, hoc Symbolum ab initio conscriptum fuisse latino, non verò græco idiomate; Confessionem autem Fidei, quam obtulit Athanasius Imperatori Joviano, græcè fuisse exaratam, non est, qui audeat inficiari; non potest igitur confundi hæc Confessio cum Symbolo, de quo nunc est quæstio, & quod nonnisi post multum tempus Athanasii nomine adornatum fuit.

Ad Augustini adductam Auctoritatem quod attinet, fatentur aliqui ex citatis Auctoribus, quod validum profectò esset argumentum, si talia verba legerentur apud Au-

Gavani, Rubr. Brev.

gustinum, sed Lovanienfes olim jam adnotarunt, hæc nullatenus legi in MSS. omnibus à se perlustratis D. Augustini operibus, idem advertunt doctissimi Viri Monachi Sangermanenses in sua recensione operum ejusdem Augustini. Genuina igitur verba Augustiniana in loco suprà adducto hæc sunt:  *ergo alium solem fecit Deus, qui oritur super bonos, & malos, quem vident boni, & mali, alius est autem ille sol, non factus, sed genitus, per quem facta sunt omnia.* En igitur, nullam apud S. Augustinum eo loci mentionem factam fuisse S. Athanasii.

Nullus est itaque ex allegatis textibus, qui possit favere Auctoribus vendicantibus hoc Symbolum S. Athanasio. Quapropter communior hanc sententiam melius probatam iri crediderim auctoritate aliquorum Summorum Pontificum, præsertim Gregorii IX. qui per suos Legatos ad Græcos pro Græcorum cum Latinis unione missos An. 1233. tribuit Athanasio hoc Symbolum, & Eugenii IV. qui An. 1439. in Decreto de Armenorum unione, dum eis hoc commendat Symbolum, inter alia dicit:  *Sex<sup>to</sup> compendiosam illam Fidei Regulam per Beatissimum Athanasium editam ipsis præbemus, videlicet: Quicumque vult salvus esse &c.* Quod & idem ante in sua Ecclesia commendaverat Hincmarus Rhemenfis circa annum 852. singulis Ecclesiæ Ministris, ut discerent explicationem Symboli Apostolorum, Orationis Dominicalis, & Symboli S. Athanasii. Comprobari potest etiam hæc sententia auctoritate Canonum Eduensium, quos Jacobus Sirmundus publici juris fecit, & in annum 670. eos rejiciunt idem Sirmundus, Pet. de Lalande, Gotefridus Hermant. Cointius autem ad annum 673. retrahit. Canon verò ille, qui Symbolum Athanasio tribuit, sic habet:  *Si quis Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, vel Clericus, Symbolum, quod sancta inspirante Spiritu, Apostoli tradiderunt, & Fidem S. Athanasii Præsulis irreprehensibili er non recensuerit, ab Episcopo condemnetur.* Sed

F F

hæc

hæc opinio, & fama de Symbolo Athanasiano longè etiam ante Canonum Aduensium ætatem invaluerat. Usserius enim Armacanus ab Anthelmio in sua cit. disquisit. allegatus, monuit observata sibi Psalteria duo latina MSS. in quibus Apostolicum, & Athanasianum Symbolum descripta sunt apicibus antiquissimis. Et in priori, quod, inquit, *Grego. ii. Papa I. tempore recentius non esse colligi ur, tum ex antiquo Pictura genere, tum ex literarum forma grandiuscula*: Athanasianum, *Fidei Catholica* præfert Titulum; alterum verò Symbolum Apostolorum, ætatumque totidem omnino, quot hodiernum nostrum continens Capitula. Posterius verò Psalterium sic commendat: *In posteriore, quod Regis Æthelstani aliquando fuit Apostolicum viceversa Symbolum simpliciter; alterum autem: Fides S. Athanasii Alexandrini nuncupatur. Æthelstanus autem Anglorum Rex trigesimo supra nongentesimum annum regnabat: sed ex alio Psalterio Gregorii Magni ætatem referente probatur id, quod supra innuimus, nempe, quòd Athanasiani Symboli fama ante Canonum Aduensium ætatem percrebuerat: cum enim Gregorius Magnus anno 590. Pontifex creatus fuerit, & post annum 13. obierit, consequens est, quòd Symbolum ejus ætate descriptum non alia de causa Psalterio sit insertum, quàm ut cum Psalmorum precibus recitaretur, & hinc est, quòd Leodegarius Augustodunensis, qui post annos circiter 70. ejusdem Athanasiani Symboli lectionem Clericis suis tam impensè commendavit, non quid novè excogitatum suscepit, sed illam Fidem Catholicam nullius nomine prænotatam, & Athanasii, ex multorum sententia, creditam, ipse simpliciter, & absolute, Fidem S. Athanasii pronunciavit. Ex quibus magis, magisque firmatur, Scriptoris hujus Symboli fortunam primùm ignoratam, & deinceps in conjectura positam, ex opinione tandem in Athanasium concessissè.*

Hæc sunt potiora, & firmiora fundamen-

ta, quibus innititur communior sententia, quæ tribuit S. Athanasio hoc Symbolum; cui sententiæ profectò obstare non videtur, quòd istud Athanasii opus nunquam fuerit citatum contra Eutychianos à S. Leone, nec contra Nestorianos à S. Cælestino; & quòd nulla mentio facta fuerit hujus doctrinæ Athanasianæ, in Conciliis Ephesino, & Chalcædonensi; responderi enim posset huic difficultati, quòd hoc Symbolum, vel nondum cognitum erat prædictis Pontificibus, & Conciliis, vel saltem, quòd nondum Athanasii nomen præferebat. Neque hoc incredibile videri debet; cum enim S. Augustinus jam Presbyter, & Episcopus ordinatus epist. 110. fateatur, se Nicanos nondum novissè Canones jam à centenis annis, & ultra vulgatos, & à 318. PP. palam, & in generali cœtu congregatis editos, & promulgatos: (en verba Augustini in cit. Epistola: *Athue in Corpore passio Beata memoria Patre Episcopo meo Sene Vaerio Episcopus ordinatus sum, & sed cum illo, quòd Concilio Nicano præbitum suis se nesciebam.*) Cur igitur non potuerunt similiter, innuò à fortiori præfati Pontifices Romæ, & Concilia in Oriente istud Athanasii opusculum ignorare, quòd non palam, non in generali Synodo, sed privata, & à solo S. Athanasio conscriptum fuerat?

Parum etiam urget contra hanc sententiam, quòd in eodem Symbolo refutentur hæreses Nestoriana de duabus in Christo personis, & Eutychiana de unica in eodem Christo natura, quæ quidem hæreses nondum tunc exortæ fuerant. Non, inquam, urget hæc difficultas, quia Athanasius potuit conscribere hoc Symbolum non tantùm præcisè, ut jam suo tempore exortas hæreses confoderet gladio suæ doctrinæ, sed ut Fidem Catholicam, & Orthodoxam veritatem manifestaret ad præcavendos futuros errores, & hinc est, quòd hoc Symbolum, non hæresum refutatio, sed Fidei manifestatio appellatur à S. Thoma 2. 2. quæst. 1. art. 10. ad 5. ubi ait: *Athanasius non composuit ma-*  
nife-

nifestationem Fidei per modum Symboli, sed magis per modum cujusdam doctrine, ut ex ipso loquendi modo apparet: sed quia integram Fidei veritatem ejus doctrina breviter continebat, auctoritate Summi Pontificis est recepta, ut quasi Fidei Regula habeatur. Deinde liquet, quod ex aliorum SS. PP. scriptis nonnullæ refutantur hæreses, quæ tamen ortæ nondum erant, quando veteres illi PP. scriptis suas doctrinas consignarunt; nec inde ullus dicere audeat, hæc scripta non esse prædictorum PP. germana opera. Innumera penè sunt antiquorum PP. assertiones, & doctrinæ paginis traditæ, quibus hoc assumptum demonstrari posset, à quibus referendis, ne nimius sum, abstineo, & solum concludendo innuo, quod necessaria sunt tales PP. doctrinæ, quibus futura hæreses prædamnantur; harum enim doctrinarum allegatione, & traditione novi insurgentes Hæresiarchæ, & errorum Magistri, tanquam novi erroris disseminatores convincuntur, afferendo nimirum doctrinas antiquorum Patrum suis impiis erroribus omnino adversantes.

Validiora itaque videntur argumenta, quibus ad confutandam hanc sententiam utitur Montfauconius loc. supracit. nimirum, quod si quis Fidei formulas vel ab Athanasio, vel Athanasii ævo conscriptas cum hoc Symbolo conferat, tantum animadvertet inter illa discriminis, ut vel hinc solum arguere poterit, & alii ævo, quam Athanasiano, & alii Scriptori, quam Athanasio Symbolum hoc adjudicari debere. Percurrat, qui voluerit, quas Athanasius accuratè colligit sui ævi Fidei Confessiones, & nunquam reperiet formulam istam: tres personas, aut græcè τρεῖς ὑποστάσεις, in Catholicorum Symbolis admittam, & promulgatam: licet enim una, eademque semper fuerit Ecclesiæ doctrina de Trinitatis Mystero, nondum tamen hæc formulæ receptæ, vel in Confessione erant, ut fusè comprobatur in Professione ge-

nerali præfixa Athanasii operibus citatus Montfauconius. Hæc confirmat etiam dissidium ortum inter Orientales Orthodoxos circa nomen hypostaseos, quam controversiam in Concilio Alexandrino post Constantii mortem, & Confessorum ab exilio reditum celebrato cum Eusebio Vercellensi, & aliis anno Christi 362. nonnihil sedavit Athanasius ipse. Vocatis namque & iis, qui tres hypostases, & alii, qui unam tantam constituebant, primos interrogavit, num sic tres hypostases ponerent, quomodo Ariani, alienas, peregrinasque, ac diversæ à se invicem substantiæ, & unamquamque hypostasim per se, ac seorsim divisam esse, ut cetera creatura, & qui ex hominibus nascuntur? Etc. At illi responderunt, se nequaquam id sentire, sed sese in Trinitatem credere, non quæ nomine tenus, sed quæ verè Trinitas est, & subsisteret: & Patrem, ut verè existentem, & subsistentem, & Filium, ut existentem, & subsistentem, necnon & Spiritum Sanctum agnoscere, non tamen se dixisse tres Deos, aut tria principia, sed se scire, esse Sanctam Trinitatem, ut tamen sit una Deitas, & unum principium, & Filium se agnoscere esse coessentialem Patri, & Spiritum Sanctum non creaturam, neque alienum, sed proprium, & indissregatum ab essentia Patris, & Filii. Deinde quaesivit Athanasius ab iis, qui unam tantum hypostasim statuebant, utrum ad mentem Sabellii loquerentur, ut sublato vellent ex Trinitate Filium, & Spiritum Sanctum, quasi Filius essentia careat, aut Spiritus Sanctus non subsistat. At ipsi professi sunt, se longè alia sentire. Nam idcirco singularem Trinitatis hypostasim se statuere, quia ὁμοῦς αὐτῶν idem esse cum eἰς αὐτὰ intellegebant, & quia Filius ex essentia Patris est, & quia in tribus est identitas natura, unam autem se Deitatem, unam naturam credere, neque aliam Patris, aliam Filii, aut Spiritus Sancti esse naturam. His auditis assensu sunt alterius partis homines, atque ita omnes convenerunt, ut omnibus hærelibus anathematis gladio confossis, aliam Fidei formu-

Iam non exigent, aut aliam verborum conceptionem, præter eam, quam Nicæna Synodus expresse rat. Ista constant ex Epistola Synodica Concilii Alexandrini ad Antiochenos apud S. Athanasium. Hanc interpretationem de tribus hypostasis, & una hypostasi Paulinus ipse subscribens approbavit.

Ex quibus colligitur, orthodoxos fuisse, qui de una, vel tribus in Sancta Trinitate hypostasis dissidebant, nec de veritate Mysterii, sed de verbis dumtaxat, quibus in eo explicando utendum esset, fuisse inter eos questionem, ut egregie confirmat S. Gregorius Nazianzenus de Laudibus S. Athanasii, de quo ait, *quod utraque parte leniter, & humaniter accessit, verborumque sententia diligenter, & accurate perpeisa, postquam concordantes reperit, & neque quoad doctrinam quidquam inter se dissidentes, ita negotium transiit, ut nominum usum ipsis concedens, rebus eos constringeret.*

Ille tamen concordia modus non adeo placuit Posteris Latinis, quibus hypostasis substantiam significare videbatur, atque adeo tres hypostases dicere, idem erat, ac tres asserere substantias; unde S. Augustinus *l. b. 5. de Trinit. cap. 8.* hæc habet - Essentiam dico, *ousia* græcè dicitur, quam usitatus substantiam vocamus. Dicunt quidem, & illi hypostasin; sed nescio, quid volunt interesse inter *ousia* & *hypostasin*, ita ut plerique nostri, qui hæc græco tractant eloquio, dicere conlueverint, *ousia* *ousia*, *três hypostases*, quod est latinè, unam essentiam, tres substantias. Sed quia nostra loquendi consuetudo jam obtinuit, ut hoc intelligatur, cum dicimus essentiam, quod intelligitur, cum dicimus substantiam: non audemus dicere: unam essentiam; tres substantias; sed unam essentiam, vel substantiam, tres autem Personas: quemadmodum multi Latini ista tractantes, & digni auctoritate dixerunt, cum modum alium aptiorem

non inuenirent, quo enunciarent verbis, quod sine verbis intelligebant -

Sed paulò ante S. Augustinum sub Damasi Pontificatu discussa fuit hæc de hypostasis controversia, de qua nonnulla scribit ad Damasum ipsum S. Hieronymus *Epist. 57.* quam his verbis concludit - Sufficiat nobis dicere unam substantiam, tres Personas subsistentes, perfectas, æquales, coæternas. Taceantur tres hypostases, si placet, & una teneatur. Non bonæ suspicionis est, cum in eodem sensu verba dissentiant, aut si rectum putetis, tres hypostases cum suis interpretationibus debere nos dicere, non negamus; sed mihi credite, venenum sub melle latet, transfiguravit se Angelus Satanæ in Angelum lucis; bene interpretantur hypostasin: & cum id, quod ipsi exponunt, habere me dicam, hæreticus iudicor. Quid tam anxie unum verbum tenent? Si sic credunt, ut interpretantur, non damno, quod retinent. Si sic credo, ut ipsi sentire se simulant, permittant & mihi meis verbis sensum suum loqui. Quamobrem obtestor Beatitudinem tuam per Crucifixum in Mundi salutem, per *ousias* Trinitatem, ut mihi Epistolis tuis, sive tacendarum, sive dicendarum detur auctoritas. Ex quibus rursus evidens est, eos, qui vel unam tantum, vel tres hypostases in Sanctissima Trinitate admittebant, de solis verbis dissentisse, non de summa Fidei disceptasse. Sed S. Hieronymus merito trepidabat, & venenum sub melle latere dicebat. Ariani siquidem hypostasis nomine substantiam intelligebant, & idè periculosum esse existimabant, tres asserere hypostases. Quod autem sic vocem illam usurpaverint Ariani, patet ex Epistola Synodica Concilii Sardicenis, quam refert Theodoretus *lib. 2. cap. 8. Hæreticorum factio, inquit, pertinaciter asseverat Patris, ac Filii, & Spiritus Sancti, diversas esse hypostases, & à se invicem separatas, nos verò hanc à maioribus accepimus, ac didicimus, & hanc tenemus Catholicam, atque Apostolicam*

traditionem, & Fidem, ac professionem, unam esse hypostasim, quam ipsi heretici substantiam appellant Patris, ac Filii, ac Spiritus Sancti. Apud S. Epiphanium *Epist.* 7. extat Paulini Fidei professio eadem omnino cum ea, quæ inter S. Athanasii opera Synodica Concilii Alexandrini Epistola subjecta legitur, qua pium agnoscit loquendi modum, quo tres in Deo hypostases asseruntur, quod, cum objectum fuisset Sancto Hieronymo, ut in eam sententiam traheretur, quæ tres hypostases propugnabat, ait: *Ignoro Paulinum &c.* Hic tamen Paulinus teste Acacio, Episcopo Beroënsi, in Epistola ad S. Cyrillum Alexandrinum, tres hypostases disertè dicere recusabat ob eandem causam, qua movebatur Hieronymus. *Hic, inquit, & si tres hypostases palam dicere recusaret, re tamen, & virtute ab illorum sententia, & Fide, qui hoc profitebantur, non recedat, sed abatur hic autem piissimos Occidentales Episcopos, propter eam quod Romana lingua angustia, sicut Græca phrasim, tres hypostases dicere, commodè non ferat.*

S. Epiphanium laudat Basilius Magnus, quod tres hypostases statuendas agnosceret; sic nempe habet *Epist.* 325. ad ipsum data: *Illud insuper, & mentem meam bene sati habuit, quod ad reliqua egregiè, accurateque (ut Theologum decebat) disputata, adjecit tua diligentia, necesse esse omnimodo confiteri tres hypostases.*

Ex quo autem illud dissidium terminavit, hypostasim, seu substantiam pro Persona Concilia semper usurparunt. Hoc perspicuum est ex Concilio secundo Oecumenico in Synodica ad Damasum Epistola, quæ scripta fuit post dissidium supra expositum, super controversia de Hypostasibus, in qua Epistola PP. unam divinitatem, & potestatem Patris, & Filii, & Spiritus Sancti profitentur, sive in tribus perfectis substantiis, sive in tribus perfectis personis.

Idem constat ex Concilio Ephesino, anathematismo 4. *Si quis duabus personis, sive*

*hypostasibus eas voces attribuit, quæ in Evangelicis, & Apostolicis scripturis passim occurrunt, & alias quidem homini tanquam seorsim à Dei Verbo confidendo scribit, alias vero tanquam Deo convenientes soli Dei Patris Verbo adaptat, anathema sit.* Et Anathemate 2. *Si quis non confitetur Dei Patris Verbum carni secundum hypostasim unitum, unumque tantum una cum sua Carne esse Christum, eundem nimirum Deum simul, & hominem, anathema sit.* Quibus verbis significatur, unitum secundum hypostasim, idem esse, ac, unitum secundum Personam.

His duobus Conciliis concinit quoque Concilium Chalcedonense *actio* 5. in secunda Confessione Fidei, qua dicitur, *Christum Filium Dominum unigenitum in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indivisè, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentiâ naturarum propter unionem, magisque salva proprietate utriusque nature, & in unam personam, a que substantiam concurrentem, habet textus Græcus *ἕν ἐν ἁπόσιτον ἕν μίαν ὑπόστασιν.**

Ex hucusque dictis magnum præsidium accedit argumento, quod insinuavit citatus Montfauconius contra sententiam tribuentem Athanasio Symbolum, de quo nunc disceptamus. Magis enim, magisque comprobatur, & factis, & auctoritatibus, quod nonnisi post extinctum dissidium super nomen hypostaseos in Fidei Professionibus, & ab Oecumenicis Conciliis adhibitum fuit nomen Personæ, ad significandas tres divinas substantias, & nonnisi post illud tempus usurpatum fuit dictum nomen; ita ut responderet Græco vocabulo *hypostasim*. Unde semper magis evincitur, quod Symbolum sub nomine Athanasii divulgatum, neque correspondet tempori, quo conditum fuisse asseritur ab Auctoribus hujus sententiæ, nimirum anno circiter 343. quando S. Antistes Treviri commorabatur, neque correspondet eidem Antistiti, nam si Divus Athanasius hoc Symbolum composuisset, & tanquam

quam Fidei tesseram ab omnibus firmiter tenendum declarasset; cum in eo disertè dicat, non esse confundendas personas, neque substantiam separandam; aliam esse personam Patris, aliam Filii, aliam Spiritus Sancti; quod totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales; & Christum Dominum unum esse non confusione substantiæ, sed unitate personæ; in apertis esset, Athanasium ipsum ex tunc perfectissimè intellexisse, quid veniat nomine *persona* in Latino idiomate, & quid nomine *substantia*. Unde nullam ambiguitatem, nullam æquivocationem, nullam obscuritatem illi amplius ingerere poterant Græca vocabula *hypostasis*, *usias*. Et cum hanc perfectam intelligentiam, & correspondentiam dictorum vocabulorum allecutus esset, aliisque proposuisset ante suum regressum ad Orientales Regionibus, & Metropolim Alexandrinam, cur non adhibuit hanc suam doctrinam, suaque tam clara vocabula ad edocendos id, quod verè per illa verba significabatur, dissidentes orthodoxos in suprascripto Concilio Alexandrino ob obscuram, & ambiguam significationem nominis *hypostases*? Certum est, quod postquam supra allegata Concilia nomen *hypostasis* acceperunt pro *persona*, & postquam declararunt, plures, nempe tres, esse hypostases in Divinis, non fuit amplius in libertate dicendi, unam esse in Deo hypostasim. Si igitur S. Athanasius in dicto Symbolo jam statuerat, & declaraverat, nomen Latinum *Personam* correspondere nomini Græco *hypostasis*, non permisisset prædictis Catholicis, in Concilio secundo Alexandrino anno 362. dissidentibus supra prædictum nomen, dicere utrumque; & unam, & trinam esse hypostasim, juxta tamen eorum rectam explicationem; sed illos potius docuisset id, quod verè intelligendum erat nomine *hypostasis*, nimirum, non Divinam substantiam, sed Divinas subsistentias, seu Personas, & sic declarasset, illos teneri ad dicendas tres hypostases; numquam verò unam tantum.

Magnæ etiam admirationi profectò locus daretur, si præfatum Symbolum tam clara, & eleganti latinitate donatum; mysteria, ac dogmata nostræ Fidei clarè, & disertè adèò complectens, composuisset Athanasius apud Occidentales degens; & deinde suis Regionibus restitutus, & ab exilio revocatus, eandem Fidei confessionem, opus verè aureum, Græco suo, & naturali idiomati non reddidisset, ut Clerum, Populumque suum, & universam Orientalem Ecclesiam, clarissima hac doctrina, & Catholicis dogmatibus perfectè imbueret, & ut pretiosum hoc pharmacum illis præberet contra venenum illarum hæresum, quæ jam ibidem exortæ fuerant, Ariana scilicet, & Sabelliana, necnon illarum, quæ postea in eisdem Regionibus disseminatæ sunt, quales fuerunt Nestoriana, & Eutychiana, à quarum periculo præcavendo mirabiliter juvare poterat sana, Orthodoxa, & Catholica doctrina in eodem Symbolo contenta, & clarissimo stylo explicata.

Dicendum est igitur, S. Athanasium, postquam editum fuit Symbolum Nicænum, procul omnino fuisse à condenda nova Fidei formula, ut ipsemet testatur in Epistola ad Antiochenes, in qua Nicæna Synodi Symbolum suis omnibus numeris absolutissimum esse adstruit, & juxta Sardicenis Concilii Decretum nullam amplius edendam esse professionem Fidei, ne illa, qua Nicæa scripta est, suis numeros non habere videtur: neve illis, quibus libido est, semper nova statuere, occasio hujusmodi suppeditaretur, ut iterum, atque iterum de Fide definiant. Et reverà huic Sardiceni Decreto insistendo Catholici inter se dissidentes super nomen *hypostases* coram Athanasio in Concilio Alexandrino omnes convenerunt, ut alia Fidei formula non exigere, aut alia verborum conceptio, nisi illa, quam Nicæna Synodus expresserat.

Quòd si hanc œconomiam servavit Athanasius apud Orientales manens, ubi aliqua occurrebat occasio novam condendi Fidei for-

mulam, eodem modo se gessisse dicendum est, & multò magis, quando apud Occidentales degebat, quia hic præsertim nulla idonea occasio excogitari potest, propter quam idem S. Antistes hoc novum Symbolum Treveri, vel in alia Europæ Civitate commorans edere permotus fuerit, & à prædicto suo proposito deflectere. Ubiunque enim maneret, semper eadem rationes urgebant, quæ PP. Sardicenses impulerant Decreto sancire, ne quid ulterius de Fide scriberetur. Et si aliqua fuisset occasio ab hoc Decreto recedendi, iterum dico, hæc in Oriente præsertim locum habuisset: nam toto eo tempore, quo Alexandrinam rexit Ecclesiam Athanasius, Ariani Fidei Nicænæ oblatrare, ejusque Symbolum variis artibus, & machinationibus impetere non quieverunt, sed adversus hæc molimina pro muro æneo stetit S. Antistes, Symbolum Nicænum semper acerrimè propugnans, nullum aliud novum proponens, ne quibus libido erat nova semper statuere, occasio hujusmodi suppeditaretur, ut iterum, atque iterum nova dogmata edocerent, & definirent.

Aliis etiam utitur argumentis Montfauconius ad tuendum suum assumptum, quòd hoc Symbolum non correspondet ævo Athanasiano, idque colligit ex illo versiculo: *Spiritus Sanctus à Patre, & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens*; quamquam enim Athanasius, Spiritum Sanctum ex Patre, atque ex Filio emanare, non semel docuerit in suis, quæ jam extant, operibus; iis tamen formulis, scilicet, *procedere*, nunquam est usus, multòque minùs illæ in Symbolis, Fideique Confessionibus locum tunc habuerunt.

Prædictis suis momentis addit Montfauconius, Symboli verba, sententiasque, Latinum indicare Scriptorem, neque ullam versionis ex Græco factæ notam præferre. Si versum ex Græco fuisset, multa Græcæ dictionis in Latina interpretatione comparerent, uti solet in ejus ævi versionibus obser-

vari. Neque dici posse videtur, ab Athanasio fuisse Latinè compositum: namque Scriptorem redolet, pro illa ætate latinum sermonem perfectissimè callentem, non solum quippe verbis, sed etiam numeris, periodorum commensuratione, ac rotunditate, modulisque latinis elucubraturum est hoc Symbolum, ita ut vix credi possit, S. Athanasium, si in ætate jam provecta hunc laborem ediscendæ peregrinæ linguæ subierit, perfectè adeò, & excellenter peregrinum idioma assecutum fuisse, sibi que familiarem reddidisse.

Demum si hujus Symboli auctor fuisset Athanasius, ei inseruisset *Consubstantialis* vocem, pro qua tuenda toto vitæ curriculo concertavit, tantisque periculis perfunctus est. Hæc sunt argumenta, quibus Montfauconius, Anthelmus, & alii Symbolum *Quicumque* Athanasio incunctanter abjudicandum arbitrantur. Quæ quamvis valida profectò sint; nihilominus simile cum eisdem Auctoribus non ausim ferre judicium; ne mea prolata sententia firmiter opponi videar communiore, & piæ opinioni, quæ asserit S. Athanasio hanc Fidei confessionem, quam tanquam Canonicam Catholicæ Fidei Regulam suo consensu universa amplexata est Ecclesia.

Procedimus tamen nunc ad aliorum sententias, & cui Auctori adscribendum sit idem Symbolum, varias, & diversas opiniones proponendas. Josephus Anthelmus *in d'iquo sit. Supra cit.* probare conatus est, Vincentium Lirinensem Auctorem esse Symboli, quod Athanasii nomine adornatur; præcipuum ejus argumentum petitur ex convenientia sententiarum Commonitorii Vincentiani cum sententiis Athanasiani Symboli. Nullius tamen roboris est hoc argumentum, cum hujusmodi sententiarum collatio in iis præsertim, quæ Fidem spectant, inter varia diversorum planè Auctorum opera fieri possit, & Symbolum ex Commonitorio derivatum, ac expressum verisimilius dici possit ab Auctore Vincentio Lirinensi longè recentiore, ut optimè ponde-

rat Natalis Alexander, quam ab ipso Vincen-  
tio compositum. Contra Anthelmi senten-  
tiam facit etiam silentium Gennadii, qui *Vin-*  
*centium Li inensem* commendat, & Commo-  
nitorium, quod absconso nomine suo, sub  
Titulo Peregrini adversus hereticos vulga-  
vit, Symbolum pariter celebrasset, si ab eo-  
dem Vincen-  
tio editum, ac vulgatum esse,  
cognovisset.

Quesnellius in *appendice ad d'ferr. 14. in*  
*opra S. Leonis Magni*, nervis omnibus de-  
monstrare contendit, à Vigilio Tapsensi, in  
Africa Episcopo, qui floruit sub fine V. Se-  
culi, Symbolum hoc prodidisse; idque probat  
præsertim auctoritate Codicis Thuanæi, in  
quo præter Dialogum adversus Arianos, Sa-  
bellianos, & Photinianos sub Athanasii no-  
mine à Vigilio editum, proximè legitur Sym-  
bolum Athanasianum sub hoc Titulo: *Fides*  
*dicitur à S. Athanasio Episcopo*. Reverà huic  
Vigilio familiare fuit saviante Wandalorum  
in Africa persecutione opera à se elucibra-  
ta, non suo, sed antiquorum PP. nomine præ-  
notare; sic præfatum Dialogum sub nomine,  
ut diximus, S. Athanasii composuit, ut ipse-  
met in Præfatione hujus Dialogi fatetur his  
verbis: *Sabellium, Photinum, Arium, atque*  
*ad nostras partes Athanasium adduxi, ut veritas*  
*ad omnium notitiam perveniret*.  
Quesnellianam conjecturam firmare potest,  
quod Theodulphus, Abbas Floriacensis, &  
deinde Episcopus Aurelianensis, qui claruit  
anno 835, hoc Symbolum citet ex illis Atha-  
nasii libris, qui Vigili Tapsensis esse jam cer-  
tò dignoscuntur, cura, & studio eruditissimi  
P. Chiffletii; quinque in antiquo, & probè  
noto Codice Floriacensi cum Vigili libris  
adversus Nestorium, & Eutychem conjungun-  
tur. Ex quibus alia desumitur conjectura  
favens Quesnellianæ opinioni, scilicet, quia  
idem Vigilius libris suis Nestorianos, atque  
Eutychanos impetere solebat, quod consi-  
lium à Symboli Auctore sibi quoque propo-  
situm fuisse videtur; & sic optimè correspon-  
deret temporì, quo hæc elucubratio exarata

censetur, nimirum post Synodos Ephesinam  
& Chalcedonensem, in quibus Nestorianæ,  
& Eutychanæ erroneæ doctrinæ diligenter  
discussæ, & tanquam impia dogmata pro-  
scripta fuere: ideo autem Vigilius hoc Sym-  
bolum Athanasii nomine adornavit, ait  
Quesnellius, quia summam Athanasianæ Fi-  
dei, præsertim eam, quæ respicit Mysterium  
SS. Trinitatis, clarè continebat; & ne quis-  
quam Africanorum Episcoporum de condita  
hujus Fidei formula in suspicionem apud he-  
reticos deveniret, ac propterea in certissi-  
mum vitæ discrimen adduceretur; aliunde  
Pastoralis Officii partes esse existimavit peri-  
clitanti Populo suo suppetias ferre, & sim-  
plicioribus Christianis eam Fidei professio-  
nem exhibere, quæ Catholicam doctrinam  
contra Arianæ, Nestorianæ, & Eutychanæ  
sectæ errores purè, nitidè, breviterque ex-  
poneret. Movetur etiam Quesnellius ad tri-  
buendum Vigilio Tapsenti hoc Symbolum,  
quia insignes aliquæ locutiones, ac formu-  
læ Vigilio familiares in eodem Athanasiano  
Symbolo reperiuntur. Quesnellii sententiæ  
adhæret Natalis Alexander, & nonnihil prop-  
endit in eam Josephus Blanchinus in sua  
Enarratione Pseudo-Athanasiana *pagin. 15.*  
verùm hanc Quesnellianam opinionem re-  
fellit Josephus Anthelmus his rationibus ad-  
ductus; quia P. Chiffletius, qui quamvis  
omnes penè ingenii divitias explicet, ut Vi-  
gili Tapsensis libros à se editos, atque lu-  
cubrations multiplicet, nihilominus inter  
ejusdem Auctoris opera Symbolum Athana-  
sianum recensere non audet. Hujus autem  
docti viri recessus grave contra hanc senten-  
tiam præjudicium statuit, ait Anthelmus  
*sect. 3. num. 5. & num. 8.* fusiùs invehi-  
tur in Quesnellianam opinionem, ejusque  
conjecturas, inter quas gravior est illa, quæ  
adstruit, insignes aliquas locutiones, ac for-  
mulas Vigilio familiares in prædicto Symbo-  
lo reperiri, ex qua conjectura priores alie  
robur mutantur; & ideo idem Anthelmus  
in hac refellenda omnem impendit operam;

& primò quidem ait, qu' d formulæ Symbolo propria eruta sunt è tractatu, qui contra Varimadum Arianum scribitur; cùm autem tractatus ille Vigilii factus non sit, nec talis P. Chiffletio, Vigilianorum operum illustratori, videatur, quem ideò ab aliis ejusdem indubitatis operibus secernit *Vindictarum opusculo 2. cap. 9.* Hinc sequitur, Quænellium fundamento valde dubio suam opinionem firmare: rem autem incertam pro re certa statuenda in medium adducere, prudentis, & sapientis curæ non est. Progredditur Anselmius *num. 18.* ad ostendendum, libros tres contra Varimadum, alterius esse quàm Vigilii. Quapropter magis, magisque demonstrat, locutiones, ac formulas in Symbolo contentas, non Vigilio, sed alteri Auctori fuisse familiares. Consulat curiosus Lector citati Anselmii prolixam ejusdem assumpti comprobationem, ex qua certo certius evinci ipse arbitratur, Symbolum Vigilii asseri nequaquam posse.

Alii Auctores, qui Symbolum istud non esse Athanasii, neque Vincentii Lirinensis, neque Vigilii Tapfensis, asseruerunt, dividuntur in alias opiniones; alii enim Eusebio Vercellensi tribuerunt hanc lucubrationem; alii vero Anastasio Sinaitæ, confundendo forsitan Anastasii nomen cum Athanasio, ut suspicatur Montfauconius. Alii denique, ab Anonymo, Theologo Gallo, editum fuisse hoc Symbolum, conjecerunt, Pipini, vel Caroli Magni temporibus, occasionem præbente controversia de processione Spiritus Sancti, de qua in Gallicis Synodis tunc actum est. In hanc sententiam descendit P. Pithoeus *lib. de Processione Spiritus Sancti*, & in eam se propendere profitetur Vossius *in Dissertat. de tribus Symbolis.* Hæc tamen Pithoei sententia quoad secundam partem, nempe quoad temporis circumstantiam, facile refellitur, cùm ex supradictis, & ex aliis argumentis ab Anselmio productis *sect. 2.* manifestè probeatur, altiùs ab octavo Seculo repetendam esse hujus Symboli originem. Quòd autem

Gavant. Rubr. Brev.

(quando Athanasio abjudicetur) præclarissimum hoc opus alicui Gallo Scriptori sit tribuendum, ut etiam censet Montfauconius, non pauca, nec contemnenda concurrunt conjectura: reverà etenim aliis Regionibus Galliam præferendam esse videtur, tum quia in Galliis cæpit manifestari Symbolum, & in earum Metropoli, Treveri primò reperiuntur ejusdem Symboli exemplar, tum quia à Gallis Scriptoribus primò fuit celebratum, & à Gallicanis Synodis, necnon Episcopis primò receptum, atque commendatum; & denique in Gallicanis Ecclesiis primò decantatum fuit. Ex his omnibus haud temerè conjicitur, operam hanc in Galliis constructam fuisse, & ex hac Regione primùm prodiiisse; cùm autem eadem Regio fuerit semper, præsertim verò Seculo quinto præcellentium Scriptorum fecundissima parens; ideò inconsultum nonnullis videtur, & profus illiberale, alium extraneum, & non potius Gallum, credere Auctorem illum, qui aureum hoc opus, & omni præconio commendandum elucubravit. Ex his opinionibus eam seligat Lector, quæ sibi magis ariserit, & quæ solidioribus fundamentis innixa sibi visa fuerit; cùm nulla, circa Auctorem ejusdem Symboli, sententia definitiva ab Ecclesia fuerit adhuc pronunciata.

II. Gavant. pag. 78. col. 1. num. 2. -- *De usu ejusdem Symboli ad Primam &c.* Quo tempore hoc Symbolum Romano Officio insertum fuerit, exploratum non habemus. Amalarius tamen, qui de hac re agit, testatur, sua ætate recitatum fuisse. In Regula verò S. Benedicti nulla ejus fit mentio, neque etiam in novo Breviario Cluniacensi. Hincmarus Rhemensis in Synodo quadam anno 842 statuit, ut perlegeretur hæc Fidei Confessio, quam S. Athanasii Symbolum appellat. Nonnulli pariter censent, in Concilio quodam Augustudonensi S. Leodegarii ætate habito, scilicet anno 670. hoc Symbolum recitatum fuisse; existimant enim, eò respe-

G g

xix

xillè Canonem illum, qui de Fide S. Athanasii, & Symboli Apostolorum agit.

III. Gavant. pag. 78. col. 1. num. 3. -- *Non dicitur in Dominicis infra octavam Nativitatis Domini &c.*) Gavant. *scilicet* 4. cap. 3. num. 6. declarat, in Dominicis per annum post recitatos Psalmos ad primam debere dici etiam Symbolum S. Athanasii. Hic verò excipit eas Dominicas, in quibus omittitur recitatio ejusdem Symboli. Honorius Augustodonensis lib. 2. cap. 19. refert, in quibusdam Ecclesiis quotidie ad primam cum Oratione Trinitatis: *Omipotens, qui dedisti famulis tuis vera Fidei Trinitatis &c.* recitatum fuisse. In Catalogo Abbatum Floriacensium ad Ligerim tom. 1. Miscellan. Balluz. refertur, Theodulphi Abbatis tempore ad primam tres Psalmos quotidie perfectos fuisse, atque post eos explicationem Symboli S. Athanasii ab illo Abbate compositam. Idem legere est in Ordinario S. Apri Tullensis, atque in Consuetudinibus Cluniacens. ab Udalrico collectis lib. 9. cap. 3. ubi habetur: *Quicumque &c. nullo die omitti ut à nobis, sed in privatis diebus dicitur simul cum aliis Psalmis, in Dominica post preces.* Ex quibus colligitur, quòd Monachi illi post Psalmos quotidie recitabant dictum Symbolum; Dominicis verò diebus post preces. Sed novum Breviarium Cluniacense hunc morem non servavit, immò Symbolum hoc penitus prætermisit. Carthusiani quoque illud quotidie recitant post Psalmos Horæ Primæ, sicut etiam Ecclesia Senonensis, ut refert Grancolas in *Comment. Historic. in Breviar. Rom. lib. 1. cap. 35.*

IV. Gavant. pag. 78. col. 2. n. 4. -- *Non tamen quotidie dicendum est, ubi celebratur octava &c.*) Inharendo Rubricæ, superius expositæ *scilicet* 5. cap. 3. num. 2. declarat hoc loco Gavantus, in Dominica SS. Trinitatis debere recitari Symbolum hoc, licet Officium non fiat de Dominica; ratio hujus dispositionis est, quia in hoc Symbolo clarissima, & distin-

ctissima sit explicatio, & confessio hujusce Mysterii SS. Trinitatis; Utrum verò ubi hoc Mysterium, seu Festum Titulare est, debeat hoc Symbolum per totam octavam recitari, disputant Auctores. P. Theophilus Raynaudus in *Netroclytis spiritualibus part. 1. fol. 16.* contendit, per totam octavam quotidie recitandum; eò quòd Officium per totam octavam celebrandum sit, ut in ipso Festo; nec Symbolum in hoc Festo dicatur ratione Dominicæ, utpote de qua non sit Officium. Et ita Lugduni, ubi Societas Jesu Templum Sanctissimæ Trinitatis dedicatum habet, de factò practitari docet. Gavantus tamen hoc loco censet, hoc Symbolum non nisi soli Dominicæ convenire, atque adeò in tali casu non nisi in ipso Festo, & die Octava (quæ eundem cum Festo ritum, licet non eandem clarem, habere debet) dicendum, uti de factò in aliquibus locis practicitur, saltem quoad ipsum Festum. Et hanc sententiam Pater Lohner probabiliorem censet *p. 2. prax. Divin. Offic. tit. 3. §. 5. num. 2.* Ex quo in tali casu ipsi dumtaxat Festo ratione Mysterii concessum videatur, quemadmodum de factò in Festo Epiphaniæ ratione Mysterii omittitur Invictorium cum Psalmo *Venite*, quod tamen per totam reliquam octavam deinceps dicitur; quo exemplo persuadetur laudatus Lohner, ut neque per totam octavam, sicut vult Raynaudus; neque in die octava, ut tenet Gavantus, dicendum sit hoc Symbolum; suadet tamen interea, ut suæ quisque Diocesis, aut Ecclesiæ consuetudinem servet. Nunc verò tota hæc difficultas submovetur à Decreto S. R. Congregationis edito die 8. Junii 1709. in *Uracaren.* dato sub num. 247. & ab alio similiter edito die 5. Maji 1736. in *Einsfiden.* sub num. 313. in quibus demandatur, quòd Symbolum Athanasianum recitetur tantum in Dominica Sanctissimæ Trinitatis, & in ejusdem die octava.

## MARTYROLOGII RUBRICÆ.

**L**ectio Martyrologii recitatur quotidie in Choro ad Primam ante versum, Pretiosa, excepto triduo ante Pascha, quibus diebus omittitur.

Legitur autem semper precedenti die Lectio illa, quæ memorias Sanctorum sequentis diei continet, præponendo Kalendas, Nonas, vel Idus, & quantitatem Lune ejusdem sequentis diei.

Lector non petit benedictionem, sed absolutè incipit à Kalendis ut supra: quia etiam in fine leget Lectionem brevem ad absolutionem Capituli.

Festa, de quibus eo die fit Officium, semper primo loco ponuntur: quod etiam servandum erit & in Festis Mobilibus, quæ pronuntianda sunt, ut infra dicitur; & in Sanctis propriis particularium Ecclesiarum in hoc Martyrologio non appositis, qui in iis tantum Ecclesiis & locis, ubi præcipue memoria eorum celebris habetur, legi poterunt etiam primo loco, si de illis ibidem agatur Officium: si verò non agatur, post Sanctos in hoc Martyrologio descriptos, ordine suo, videlicet Martyres post Martyres, Confessores post Confessores, & Virgines post Virgines.

In fine cujuslibet diei semper additur: Et alibi aliorum plurimorum Sanctorum Martyrum, & Confessorum, atque Sanctarum Virginum. Et respondetur à Choro: Deo gratias.

Festa Mobilia cum singulis annis mutantur, non potuerunt in Martyrologio adscribi: sed hoc loco posita sunt, ut unumquodque post Kalendarum, & Luna pronuntiationem, immediatè præponatur Lectioni Martyrologii illius diei, in qua eo anno celebrabitur, hoc modo.

Sabbato ante Dominicam secundam post Epiphaniam.

Festum Sanctissimi Nominis JESU.

Sabbato ante Dominicam Septuagesimæ.

Dominica Septuagesimæ, in qua deponitur Canticum Domini, Alleluja.

Feria tertia post Dominicam Quinquagesimæ.

Dies Cinerum, & initium jejunii sacratissima Quadragesimæ.

Feria quinta post Dominicam Passionis.

Festum septem Dolorum Beatissima Virginis Mariæ.

Sabbato ante Dominicam Palmarum.

Dominica Palmarum, quando Dominus Noster JESUS CHRISTUS, juxta Zacharia prophetiam, sedens super pullum asina, Jerosolymam intravit; cui turba cum ramis palmarum obviam venit.

Feria quarta majoris Hebdomadæ.

*Cæna Dominica, quando Christus JEsus, pridie quàm pro nostra salute crucifigetur, mysteria Corporis, & Sanguinis suis discipulis tradidit celebranda.*

*In die sancto Paschæ, antequàm legantur Kalendæ.*

*Hac die, quam fecit Dominus, Sollemnitatis sollemnitatum, & Pascha nostrum: Resurrectio Salvatoris nostri JEsu Christi secundum carnem.*

*Deinde pronunciantur Kalendæ, & Martyrologium sequentis diei.*

*In Vigilia Ascensionis.*

*In Monte Oliveti Ascensio Domini nostri JEsu Christi.*

*In Vigilia Pentecostes.*

*Dies Pentecostes, quando Spiritus Sanctus Jerosolymis super discipulos igneis linguis advenit.*

*Sabbato infra Octavam Pentecostes.*

*Festum sanctissima, & individua Trinitatis.*

*Feria quarta post Octavam Pentecostes.*

*Festum sanctissimi Corporis Christi.*

*Sabbato ante Dominicam infra Octavam Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis.*

*Festum sanctissimi Nominis Beatæ Mariæ Virginis, quod Innocentius Undecimus ob insignem victoriam à Christianis de Turcis insultantibus Viennæ in Austria reportatam, celebrari mandavit Dominica infra Octavam Nativitatis ejusdem Beatæ Mariæ Virginis.*

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Cap. XXI. De Martyrologio.

I. Gavant. pag. 78. col. 2. n. 1. - De quo Baronius multa in *Præfatione* &c.) Quamvis Gavantus noster lectorem suum ad Baronium amandet pro ampliori Martyrologiorum notitia, nos tamen pauca hoc loco tradere audeamus. Itaque Martyrologiorum originem ab ipsis Ecclesiæ Primordiis repetendam esse, facile tibi persuaserit, quisquis accurate perpendit, quantâ olim diligentia dies eorum notarentur, qui proprio sanguine Fidem Ecclesiæ Catholicæ propugnarent, ut eorum triumphus in sacris conventibus publica laudatione celebraretur: huic enim consuetudini Martyrologiorum initia debemus. Viri eruditi morem à Seculo Apostolorum fluxisse contendunt; cum S. Clemens I. ut notat etiam Gavantus, Notarios constituisse, ac per

Urbis Regiones divisisse legatur, qui Martyrum acta colligerent, quæ dum Anterus postmodum diligenter inquireret, & reconderet, ne interirent, vel ab Ethnicis fœdè corrumperentur, viam sibi ad palmam aperuisse creditur. Anastasius enim Bibliothecarius in libro de Gestis Pontificum Romanorum de Antero hæc scribit: *Hic gesta Martyrum diligenter à Notariis exquisivit, & in Ecclesia recondidit. Propter quod à Maximo Præfæcto Martyrio coronatus est.* Fabianus, Anteri Successor, Prædecessorum diligentiam imitatus, urgente Domitiani persecutione septem instituit Subdiaconos, ut Notarius jam à S. Clemente constitutus incumbere, ne aliqua fraus in colligendis Martyrum actis interveniret: *Hic fecit septem Subdiaconos, qui septem*

No-

Notariis imminerent, ut gesta Martyrum in integro colligerent: Sunt verba Libri de gestis Romanorum Pontificum. Porro necessaria erat hujusmodi cautio, ut ait Franciscus Dominicus Bencini in notis ad Vitam Fabiani, dum ex his actis nedum gloriosi Tituli Confessoribus, verum & coronatis Martyribus condignae laudes in Ecclesia decernebantur. Specialis autem Fabiani temporibus urgebat necessitas in sciendis veris Confessoribus discriminandisque à reliquis: siquidem cum ob Martyrii, aut Confessionis vera merita facultas concederetur subscribendi libellis poenitentium ad relaxandas poenas, plures confingebant merita ad prerogativam sibi vendicandam subscriptionum libellorum, de quo saepissime conqueritur S. Cyprianus; cui malo ut remedium afferret Fabianus, Subdiaconus elegit, qui Notariis praesent. Ecclesiae Romanae curam imitata est Africana Ecclesia, ut discimus ex S. Cypriano, cujus aurea verba recitare non pigeat - Denique & dies eorum, inquit, Epist. 37. quibus excedunt, annotate, ut Commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus. Quamquam Tertullus, fidelissimus, & devotissimus Frater noster, pro certa sollitudine, & cura sua, quam Fratribus in omni obsequio operationis imperit . . . . . scripserit, & scribat, ac significet mihi dies, quibus in carcere Domini Fratres nostri ad immortalitatem gloriosa mortis exitu transeunt, & celebrentur hic à nobis oblationes, & sacrificia ob Commemorationes eorum, quae citò vobis cum Domino protegente celebrabimus. Hinc frequenter de Martyribus Epistola ultra, extraque ex provinciis in provincias transmittentur, ipsique fideles Sanctorum certaminibus, ut eorumdem acta, exitusque adnotarent, cum codicillis adstabant, quemadmodum apud Eusebium, & sinceriora acta Martyrum unusquisque facile inveniet. Hinc sacros census, & municipales Fastos, hoc est proprium singularium Urbium indiculos, in quibus dies natales Sanctorum posteritati

commendarentur, ortum duxisse, omnes consentiunt. Sacros hos census, & fastos perduellibus opponebat Tertullianus, ut morem hunc ab Ecclesiae crepundiis ortum duxisse convinceret. Coronatur, inquit, lib. de Cor. Milit. cap. 13. & vulgus nunc ex principium proprietatum exultatione, nunc & municipalium solemnitate proprietate, & est omnis laetitia publica luxuria captatrix. Sed tu peregrinus es mundi hujus, Civis supernae Hierusalem. Noster, inquit, Mancipatus in Caelis. Habes tuos census, tuos fastos. Et quidem Seculo quarto codicem aliquem in usu fuisse, qui toto anno florentes Martyres contineret, satis clarè insinuat S. Asterius Amalenus, qui sub Juliano Apostata vixit. Siquidem oratione in SS. Martyres ita rem attingit ex Combessii versione. Ecce enim per universum orbem impletus est Christi Athletarum Circulus, nec est locus ullus, quo non eorum memoria habeatur, annique tempora omnia &c. Quocirca ut aliquis sedulus esset Martyrum amans, atque omnium passionibus festi vult & celebritate litare, ne diem quidem in anno, non festum praeteriret. Quomodo verò Festi dies singulos per annos peragi possent sine aliquo codice memoriali? Horum Martyrum acta publicè legebantur in Ecclesia, immò in ipso Missae Sacrificio eorum nomina recitari consueverant. Augustinus in serm. 101. inter editos à Lovaniensibus, ait: Habent honorabilem locum Martyres Sancti; advertite in re itatione ad Altare Christi; loco meliore recitantur, non tamen pro Christo adorantur. Cum autem sub persecutionum rabie innumeri quotidie Martyres excrescerent, & tandem pace Ecclesiae redditâ plurimi vitæ inculpabilis viri sub Confessorum Titulis Sanctorum Catalogo mererentur adscribi, antiquis Indiculis, & Calendariis satis ampla facta fuit accessio: quocirca opus fuit ad celebrantium, vel audientium minuendum laborem, nomina tantum, locum, & dies passionis, vel depositionis compendiosius in commentarium redigere, non quidem

quorumcunque Martyrum, sed in suis Urbibus; vel Regionibus clariorum. Gregorii Magni temporibus Romæ fuisse hujusmodi codicem, qui nomina solum Martyrum, locum, & diem passionis exhiberet, ipse testatur in epistola ad Eulogium, Patriarcham Alexandrinum, qui cum peteret à Gregorio acta Martyrum ab Eusebio Cæsariensi conscripta, hæc respondit. *Vestra beatitudo scribere studuit, ut cunctorum Martyrum gesta, que pie memorie Constantini temporibus ab Eusebio Cæsariensi collecta sunt, transmittere debeamus, sed neque si collecta sunt, neque si sunt, ante vestre beatitudinis scripta cognovi. Ago ergo gratias, quia SS. vestra Doctrina scriptis eruditus capi scire, quod nesciebam. Præter illa enim, que in ejusdem Eusebii libris de gestis SS. Martyrum continentur, nulla in Archivo hujus vestre Ecclesie, vel in Romana Urbis Bibliothecis esse cognovi, nisi pauca quædam in unius codicis volumine collecta.*

II. Gavant. pag. 79. col. 1. n. 5. - - Porro Martyrologii Romani n. scitur proprius Auctor &c.) Insistendo Gavanti vestigiis aliqua nunc de Martyrologiorum Auctoribus differemus. Acta Symphorose apud Surium die 18. Julii testantur, Eusebium Cæsariensem memoria prodidisse, quod Julius Africanus, qui floruit Seculo tertio aliquantulum adulto, Romæ, ac totius Italiae Martyrum gesta descripsit; immo ipsa S. Symphorose acta in nonnullis MSS. Codicibus teste Ruinartio Julio Africano tribuuntur. Et quidem genuina esse hujusmodi acta, non dubitat ipse Ruinartius, cum illis inter sincera, & selecta locum dederit: ob sinceritatem, & brevitatem commendantur etiam à Tillemontio. Nihilominus quia nullibi legitur apud Eusebium, quod illi acta attribuunt, putant Tillemontius, ac Jo. Pinus ad diem 18. Julii, id à recentiori aliquo additum fuisse; quapropter Ruinartius, & Bollandistæ totam illam sententiam prætermittendam esse duxerunt; nec Pino placuit Carduli conjectura, qui existimat hoc ab Eusebio traditum in Commen-

tariis, quos de Martyribus edidit, quod fieri potuisse non dubitat Tillemontius; cum enim hoc Eusebii opus antiquitas nobis inviderit, frustra contenditur, aliquid in eo scriptum non reperiri, nisi certum aliunde suppetat argumentum. Crederem ego, Julium Africanum in libris de Chronographia, quos accuratissimè editos fuisse testatur Eusebius lib. 6. *Histor. c. 31.* & in quibus præcipuos eventus, qui ab orbe condito usque ad Eliogabali Imperatoris tempora contigerant, Auctor retulerat, plurimum Italiae Martyrum, eorumque Martyrii fecisse mentionem, idque postea ab Eusebio proditum in citatis Commentariis, quæ legens actorum Symphorose Scriptor, vel recentior aliquis, existimavit, Julium Africanum totius Italiae Martyrum acta collegisse. Quidquid sit de hac collectione Africana, certum est, Eusebium ipsum Cæsariensem plurima SS. Martyrum gesta conscripsisse, quem propterea nonnulli primum Martyrologii Auctorem affirmant; verum ut optimè observat Florentinus admonit. 3. difficillimum est credere, Eusebium Cæsariensem descripsisse Martyrum codicem, qualem laudat Gregorius Magnus. Etenim cum Eulogius Alexandrinus à Gregorio petiisset - - Cunctorum Martyrum gesta, que pie memorie Constantini temporibus ab Eusebio Cæsariensi collecta erant; Respondit Pontifex, ea in Romanis Bibliothecis non inveniri, & vulgarem tunc Romæ Codicem de Martyribus exhibuit, in quo non quis qualiter passus, sed tantummodò nomen, locus, & dies passionis indicarentur. Hujusmodi verò Codex longè distabat à gestorum collectione ab Eusebio contexta, cum ista non modò locum, & dies passionis, sed integrum certamen Martyris contineret. Id manifestè demonstrat Eusebii locus lib. 4. *Histor. Eccles. cap. 15.* ubi Martyrium S. Pionis commemorat - - *Cujus singulas Confessiones, inquit, & libertatem in dicendo, utque coram Populis, ac Præsibus pro Fidei nostra defensione peroraverit: Conciones item de Institutione Fidei, præ-*

terea cohortationes, atque invitationes ad eos, qui persecutionis tempore lapsi fuerant: allocutiones etiam, & Consolationes, quas in carcere pectus adeuntibus ipsum Fratris adhibuit; quae super his tormenta, quantosque dolores sustinuerit: clavorum insuper confixiones, & mirabilem in medio rogo constantiam: mortem denique ipsam, qua cuncta illa miracula consecuta est, si qui volent cognoscere, eos ad epistolam de illius Martyrio uberrimè conscriptam amandamus, quam nos in opere de priscis Martyribus, quorum passiones collegimus, ordine suo inseruimus -- Libro autem V. cap. 21. de Apollonio Senatore agens ait -- Porro cuncta ab illo in iudicio dicta, & quaecumque Perenni interroganti respondit, & orationem illam, quam pro Fidei nostra defensione in senatu habuit, quisquis nosse voluerit, ex antiquorum Martyrum passionibus à nobis collectis poterit percipere -- Ex quibus colligere possumus, Eusebii opus amplissimum fuisse, atque integras Martyrum historias continuisse, ac proinde à contracto illo Gregorii Codice, & à vulgato Martyrologii characterè longè dissimile. Quamvis tamen Eusebius primus Martyrologii Auctor verè dici non possit, nihilominus eo nomine audit apud Florum, Ussuardum, & Adonem, fortasse quia ex magna ejus collectione excerpta sunt paucula illa aëta, ex quibus postea constat Martyrologium. Huic operi primum incubuisse Hieronymum, creditu facillimum est. Nam Cassiodorus Ascetas suos in Divinis Lectionibus instituens cap. 32. Hieronymi opus commendat, quod de passionibus Martyrum conscripsit -- *Passiones Martyrum legite constanter, quas inter alia in Epistola Hieronymi ad Chromacium, & Heliodorum destinata procul dubio reperistis, qui per totum orbem terrarum florere* -- Martyrologii utique Cassiodorus nomen illi non tribuit, sed Epistolae passionis Martyrum, cum verò epistolam dixerit, quis magnum codicem fuisse existimabit? Edidit Florentinius vetus Martyrologium sub Hieronymi nomine, quod ipsius esse validissimis argumentis

demonstrat, certè illud notis à Gregorio Magno codici suo attributis ita respondet, ut nomine, & Martyribus per totum orbem florentibus Hieronymi Epistolae congruat, cuius meminit Cassiodorus. Hoc Martyrologium à Beda, Floro, Adone, Notkero, & Ussuardo tanquam Hieronymi laudati probat in Admonitionibus praevis Florentinius, ut ea de re dubitari non posse videatur.

Post Gregorii tempora diversa esse ceperunt Martyrologii exemplaria, ac plures mutationes acceperunt, factumque est, ut non tantum ipsa nomina Martyrum, diem locaque passionum continerent, sed quid quis sit passus, saepe breviter narraretur, superadditis etiam aliis Martyribus, & Confessoribus. Cum autem non aequè omnes ab omnibus adderentur Ecclesiis, inde accidit, conijiciente Baronio, ut quot esset Ecclesia, totidem ferè haberentur Romani Martyrologii exemplaria, eademque inter se diversa: primus, qui aliquid veteri Martyrologio addidisse creditur, fuit Ven. Beda, de quo hæc refert Auctor Catalogi Scriptorum ejus post Praefationem ejusdem Bedæ lib. de temp. Martyrologium scripsit de Natalitiis Sanctorum diebus, in quo omnes, quos invenire potuit, non solum qua die, verum quo genere certaminis, vel sub quo Judice vixerint, diligenter adnotare studuit -- Putat Baronius, Bedam nihil aliud fecisse, quam Romanum Martyrologium, Româ in Angliam à S. Augustino allatum, novis aliquot Additionibus cumulasse, quas satis prolixas fuisse colligit ex iis, quæ ex eodem recitat Amalarius de Officiis Ecclesiasticis lib. 2. c. 24. -- Vulgatum est hoc Martyrologium tom. 3. operam Bedæ anno 1563. ac deinde seorsum typis Plantinianis anno 1564. Metricum Martyrologium sub nomine Bedæ vulgavit Dacherius tom. 10. spicileg. primæ editionis. Dubitat Bollandus in Praefat. Gen. §. 58. an uspiam germanum Bedæ Martyrologium existat? Sed dubitationem omnem exemere Viri DD. Enschen. & Papeb. qui genuinum Bedæ

Beda Martyrologium à Flori auctariis accuratè distributum ediderunt tom. 2. SS. Martii. Quia verò Beda aliquot dies Martyrum nominibus vacuos reliquit, Flori Lugdunensis Ecclesiæ Diaconi curâ suppleti sunt, ut testatur Ado Viennensis in Prefatione sui Martyrologii; ejusdem Flori mentionem fecit Ufuardus, & Sigebertus, de Viris illustribus cap. 64. -- Post Bedam, ac Florum, strenuam condendo Martyrologio operam navavit Ufuardus; de quo hæc Sigebertus Gemblacen. in lib. de scriptor. Ecclesiastic. cap. 85. -- *Ufuardus Monachus provocatus studio Hieronymi, & Beda, qui Fæstivitates Sanctorum annuatim recurrentes partim annotaverant, maximè autem animatus studio, & jussu M. Caroli Imperat. cui displicebat, quod Hieronymus, & Beda studentes nimis brevitati, præterierant multa necessaria, & quàmplures Kalendarum dies intactos reliquerant, in gratiam ejus studuit opus imperfectum supplere, & Fæstivitates Sanctorum per singulos Kalendarum dies annotans integrum Martyrologium effecit.* -- Quod hic ait Sigebertus, Hieronymum plures Kalendarum dies intactos reliquisse, falsi convincitur ex ipso Ufuardo, qui Bedæ soli defectam illum attribuit in Epistola ad Carolum Calvum -- In hac fatetur Ufuardus, se plurimum profecisse ex Floro, quem memorabilem virum appellat, additamentis. Prima hujus Martyrologii editio ea est, quam frequenter citatam habes sub nomine Lubecana an. 1475. quam maximam Jo. Baptist. Sollerius appellat, quia ejus forma in lato, spilloque folio expansa est, & ab illa Lubecana distinguitur an. 1490. Secunda hujus editio facta est Ultrajecti an. 1480. immixta Aurea Jacobi de Voragine. Tertia Coloniae eodem anno, ac secunda Lubecana, sicut & alia Parisiis eodem anno 1490. sub solo titulo Martyrologii, ut testatur Rosveydus. Descriptas hæcenus Ufuardi editiones antecellit Veneta procurante Belino, Ord. Eremit. S. Augustini, an. 1498. cui Titulus -- *Martyrologium secundum morem Romanae Cu-*

*ria* -- Parisiis denuo editum est hoc Martyrologium an. 1521. & aliam ejusdem editionem Paritiis curavit an. 1536. Eribertus Rosveydus. Castigatior Belianis editionibus est utraque Coloniae an. 1515. & 1521. quam utramque Hermanno Grefgen adscribunt Bollandus, & Socii. Prodiit etiam hoc Martyrologium Lovanii 1568. cum additionibus Jo. Molani, & censura Jo. Hefsels de legendis quibusdam Sanctorum. Postremo omnium pulcherrimam Martyrologii Ufuardini editionem adornavit Jo. Baptista Sollerius tom. 6. Sanct. Junii.

Inter opera Rabani legitur Martyrologium, quod in Codice Monasterii S. Galli reperitur, atque editum est ab Henrico Canisio tom. 6. Antiq. Lect.

Bollandus videtur dubitare, an Rabani sit Martyrologium illud, cum nemo veterum memoria mandaverit, à Rabano Martyrologium aliquod fuisse conscriptum; sed Bollandi successores Papebrochius, Jo. Baptista Sollerius, & Castellanus in Prefat. ad I. Bimestre pro certo habent, Rabanum in pluribus supplevisse Bedæ Martyrologium exemplo Flori: immò Papebrochius in Prologo n. 11. credit, Rabanum, ac Florum eodem tempore Bedam supplevisse, scilicet circa annum 830. Aliter censet Castellanus loc. cit. ubi ait, Rabanum Martyrologium scripsisse circa annum 845. tunc nempe, cum, demissa an. 842. Abbatia Fuldenis Prefectura, privatus ibi degeret, ut probabile omnino sit, Flori laborem in augendo Beda ad Rabani manus pervenisse. Sollerius rejecta Papebrochii sententia, Castellano adhaeret. Eodem Seculo nono floruit Wandelbertus, Prumiensis Monachus, qui Flori ope, & subsidio usus, ut ait ipse in Epist. ad illustrem virum Otricum, Martyrologium metro edidit an. 842. Martyrologium hoc legitur tom. 1. operum Bedæ sub Titulo Ephemeridum Bedæ, sed Molanus in prima Ufuardi editione vero Auctori restituit. Bollandus illud se ex MS. Codice accuratius editurum

turum pollicetur in *Præfat. art. 9. cap. 3. §. 8.* Ado etiam, Viennensis Episcopus, ejusdem Seculi Scriptor; luculentius scripsit Martyrologium, quod à Jacobo Mosandro, tum à Rosveydo editum est; sed jam illud ante utrumque vulgaverat Lipomanus *tom. 4.* Adonem ante Ufuardum suum edidisse Martyrologium, probare conatur Sollerius in prænotatis ad Ufuardi Martyrologium; iis tamen utitur argumentis, quæ facile solvi possent, si unum excipias, quod omnium est validissimum, & invictum, atque hoc est -- Ufuardi Martyrologium dedicatur Carolo Calvo jam Imperatori: atqui Carolus Imperator non fuit ante an. 875. ergo vel illo anno compositum, vel anno sequenti. Atqui Ado suum scripsit Martyrologium circiter an. 857. illud enim certè composuit antiquam ad Cathedralam Viennensem evehere-tur, at indubium est, Cathedralam Viennensem conscendisse anno 860. ergo ante prædictum annum Martyrologium ab eo descriptum est. Negat etiam Sollerius, nullam Ufuardum Adonis fecisse mentionem, & putat, hæc Ufuardi verba: *Adhibui Flori memorabilis viri collecta è pluribus in eodem negotio secundi libri Commenta.* de Adone intelligenda esse; quæ idcirco Ufuardus Florum esse credidit; quod transmissum ad se Adonis Martyrologium Auctoris nomen in fronte operis non haberet. Id creditu difficile videtur; argumentum tamen illud Chronologicum rem extra dubium ponit. Adoni suppar Notkerus, Monachus Cænobii S. Galli apud Helvetios; Martyrologium quoque composuit, quod ab Henrico Canisio vulgatum est *tom. 4.* antiquæ lection. mutilum tamen, observante Bolland; qui plura de Notkero desiderat, adeat Papebrochium in *Comment. ad diem 6. Aprilis pag. 570.* ubi hunc à variis Notkeriis accuratè distinguit. Putant aliqui, Ditmarum Mersburgensem in Lasconia Episcopum Martyrologium aliquod composuisse, quod in ejus Chronico ita legatur: *Sanctorum Reliquias, & munda ca-*  
*Gavant. Rubr. Brev.*

*runtem receptacula, cum aliis utilitatibus plurimis tum in prædiis, quam in nunciis ego acquisivi, & ne te forsitan laterent, Martyrologio inscripsi.* Bollandus tamen contendit, ex illis verbis concludi non posse, an ipse Ditmarus Martyrologium confecerit, an ab alio descriperit, aut eo dumtaxat usus fuerit. Hæc sunt Martyrologia, quæ ab antiquis Scriptoribus edita sunt. Plures etiam recentiores edendis, vel illustrandis Martyrologiis suam operam collocarunt, quos inter Galestinus, Cæsar Baronius; sed nobis sufficit, aliqualem veterum notitiam suppeditasse. Qui plura desiderat, adeat Bollandum in Præfatione generali, Florentinum in Admonitionibus præviis, & Andream du Saulay, necnon nostri Francisci Mariæ de Aste Disceptationes in Martyrologium Romanum. Antequam huic de Martyrologiis animadversioni finem imponam, observare lubet, Valesium in eam descendisse opinionem, ut crederet, nullum unquam fuisse proprium, ac peculiare Martyrologium Ecclesiæ Romanæ ante illud, quod jussu Sixti V. editum est Barorii notationibus illustratum. Portentosam hanc Valesii sententiam clarissimis argumentis evertit doctissimus Florentinus loco supra laudato. Mabillonius Præfatione secunda in Seculum quartum *cap. 6. num. 174.* ait, se Valesii opinionem (quam ibidem extensè refert) penitus refutare nolle: se tamen dissimulare non posse auctoritatem Concilii Cloveshovien-sis anno 747. celebrati, in quo disertè de Martyrologio Romano mentio habetur in Canone 13. definiente -- Ut per gyrum totius anni Natalitia Sanctorum una eademque die juxta Martyrologium ejusdem Romanæ Ecclesiæ cum sua sibi convenienti psalmodia, seu cantilena venerentur -- Nihil inquit Mabillonius hoc Testimonio apertius. At Testimonio quo nihil clarius afferri potest, an non penitus refutatur Valesii sententia invito etiam Mabillonio?

III. Gavant pag. 79. col. 2. num. 9. -- *Tranilato tamen Feflo alicujus Sancti &c*) Contendit hoc loco Gavantus, quod in translatione Fefli alicujus Sancti fieri non debeat translatio de eodem in lectione Martyrologii, nisi in casibus, qui in Martyrologio exprimuntur. Hanc sententiam docent etiam communiter ceteri Rubricista, praesertim Biffus *lit. M. n. 101. §. 7.* & Guyetus *lb. 2. cap. 14. quest. 5.* Querit tamen eodem loco Guyetus, an appellatio Sancti transferri possit in lectione Martyrologii, quando Festum ipsius non simpliciter transfertur, sed penitus mutatur à die proprio, in quo semper impeditur, in alium, cui perpetuo addicatur, quod modo contingit in Feflo S. Mariae Magdalena de Pazzis, qua à die 25. Maji modo impedita Feflo S. Gregorii VII. in perpetuum fuit translata ad diem 27. ejusdem Mensis. Quaestioni affirmativè respondet Guyetus, si tamen id fiat ab Ecclesiarum Praesidibus. Hac opinio Guyeti omnino conformis est Decreto S. R. C. 5. Maji 1736. in *Einsfiden.* in quo statuitur, ut pridie Feflo S. Canuti, quod pro Ordine Benedictino fixè est repositus ad diem 20. Februarii, hoc elogium legatur in Martyrologio -- S. Canuti Regis, & Martyris septimo Idus Januarii -- non variata tamen dispositione Martyrologii Romani, quod etiam confirmatur altero Decreto ejusdem Congregationis in *eadem Einsfiden.* quo permittitur annunciari in Martyrologio Fefla ad diem fixum translata pridie quam celebrentur. Utrumque Decretum datur in nostro Indice, primum quidem sub n. 306. alterum verò sub n. 314.

Quæri etiam hinc potest, num dies Octava Feflorum propriorum annunciari debeat in Martyrologio, sicut etiam Vigiliae, & Beati nondum canonizati? Quod attinet ad Octavas, Ceremoniale Monasticum *lib. 2. cap. 7. §. 3.* asserit, annunciandam esse Octavam: consentit Biffus *lit. M. n. 101. §. 4.* si tamen de ea sequenti die faciendum sit Officium. Guyetus non omnino dat manus,

quia neque diei Paschæ, nec Ascensionis, nec Fefli Corporis Christi Octavarum annunciatio in Martyrologio ipso in serie Feflorum Mobilium praescribitur, quod utique fieri oportuerat, si de jure esset, ut Octavae omnes annunciarentur. Et vero nihil pronius erat, quàm, ut in praefata Rubrica Martyrologii Feflis propriis adderentur simul & eorum dies Octavae, si earum annunciatio aequè fieri debuisset. Hac ratione Guyetus impugnat usum annunciandi Octavas. Sed nescio, an omisso Octavarum Feflorum Mobilium praedictum inferre possit Octavis Feflorum non Mobilium. Certè quodcumque Festum non Mobile habens Octavam annunciatur in Martyrologio cum sua Octava: praeter exemplum Octavarum Paschæ, & Pentecostes ad rem non facit, nam hujusmodi Fefla propria non habent diem Octavam, & Rubrica Breviarii discretè affirmat *tit. 7. num. 2.* quod -- in Paschate Resurrectionis, & Pentecostes Officium Octavae terminatur in Sabato sequenti ad Nonam; unde mirum non est, si eorum Octavae non annunciarentur. Octavarum Ascensionis, & corporis Christi, quamvis nulla sit mentio in Rubrica Martyrologii, usus tamen communis Ecclesiarum est, ut annunciarentur. Utemur ergo libertate, quam postea nobis Guyetus ipse concedit, & cum Biffo opinabimur, Octavarum, saltem quarum sequenti die fiet Officium, mentionem fieri posse in Martyrologio. De Vigiliis Feflorum propriorum, nullo modo consentit idem Guyetus, fiat aliqua enunciatio, sive ipsarum fiat, sive non fiat Officium, sive in iis fervetur, vel non fervetur jejunium, cui opinioni adhæret Biffus *loc. cit. §. 3.* Nam, inquit, ex Rubrica Martyrologii solum habetur, addenda esse Fefla, de quibus sequenti die faciendum est Officium, Vigiliis autem non venire nomine Fefli, est satis compertum. Sed cum in Martyrologio Romano Vigiliae etiam plurimum Feflorum annunciarentur, nescio, quare permitti non possit annunciatio aliarum Vigiliarum in Eccle-

siis particularibus. An non Rubrica permit-  
tit annunciari Festa particularia? cur ergo  
prohibita censetur annunciatio Vigiliarum?  
Qui principale concedit, videtur etiam con-  
cedere accessorium; & certè quamvis Rubri-  
ca de Festis tantùm expresse loquatur, vult  
tamen Bissus, eorum Octavas enunciari posse.  
Neque nos movet ratio illa, quòd Vigiliæ  
non veniant nomine Festi; probaret enim,  
malè appositam esse Martyrologio Romano  
commemorationem Vigiliarum, quæ in illo  
habentur, cùm ipsæ Festa non sint. De  
Beatissimis concedunt idem Guyetus & Bissus,  
fieri posse in Martyrologio appellationem, &  
quidem primo loco, si de iis ex concessione  
Summi Pontificis alicubi fiat Officium. Si  
verò de iis non fiat Officium, putant, etiam  
eorum nomina in propriis locis palàm pro-  
nunciari posse, sed post ceteros Sanctos. In  
utroque placito viri doctissimi non patientur  
nos adversarios. Quoniam verò diximus, in  
Martyrologio legendo pronunciari posse no-  
mina Sanctorum, quæ in ipso non recensentur,  
advertendum est cum Bissus *loc. cit.* §. 1. c.  
ad id brevè admodum Oratione utendum esse,  
quare præter nomen Sancti, locum, & diem  
obitus, sive passionis, si fuerit Martyr, non  
erit opus aliud addere. Et quamvis idem  
Bissus velit, de ipsis prædicari posse breve  
aliquod elogium ad excitandam majorem er-  
ga ipsos venerationem; ego tamen inconsul-  
ta S. R. C. crederem abstinendum esse ab  
hujusmodi elogiis.

Circa modum legendi in Choro Martyro-  
logium Lector exactè servare debet disposi-  
tiones Rubricæ Martyrologio præfixæ, quam  
suprà exhibuimus, quibus addi potest, quòd  
idem Lector accedere debet, detecto capite,  
ad legile, super quo ponendum est Martyro-  
logium, & præmissa Cruci Altaris reveren-  
tia, vel genuflexione, præsertim si Sacra-  
mentum aderit, postquam Hebdomadarius  
dixerit *Benedicamus Domino*, & responsum  
fuerit à Choro *Deo gratias*, incipiet lectio-  
nem Martyrologii, Choro interim, & Heb-

domadario sedentibus. Quòd si præcipua  
aliquod Festum, vel Patroni nomen pronun-  
cietur, fieri debet ab omnibus reverentia  
capitis detectioni, & inclinationi conjuncta:  
Postquam finita fuerit lectio Martyrologii,  
Lector facta debita reverentia, vel genufle-  
xione, ut suprà, & salutatio priùs Choro,  
revertitur ad locum suum. Chorus respon-  
det *Deo gratias*, & surgunt omnes prosequen-  
te Hebdomadario *Pretiosa &c.*

Speciali autem Sollemnitate, & Ritu in  
omnibus Ecclesiis cantari solet, & debet Mar-  
tyrologium in Vigilia Nativitatis Domini, de  
quo Gavantus agit *sect. 10. cap. 3. num. 7.*  
Nos verò in eadem Vigilia Nativitatis Do-  
mini de Ritibus in ea servandis in dicto Mar-  
tyrologio cantando disseremus.

IV. Gavant. pag. 80. col. 1. n. 14. -- *Le-  
gitur autem Martyrologium post orationem ad  
Primam &c.* In nostris Observationibus ad  
*cap. 3. sect. 4.* suspendimus loqui de *Martyro-  
logio, de Pretiosa*, & de reliquis præcibus, quæ  
recitantur ad Primam, quia sectando Ga-  
vanti vestigia de his omnibus hoc loco sermo-  
nem nos habituros promissimus. Postquam  
igitur de Martyrologii origine, & Auctori-  
bus satis, ut arbitror, locuti sumus, nunc  
procedimus ad examinandam circumstantiam  
tum temporis, tum etiam loci, in quo Mar-  
tyrologium impræsentiarum legitur, & an-  
tiquitus legebatur. Itaque legitur Marty-  
rologium in Choro post Orationem ad Pri-  
mam, ut notant Rubricæ cujuscumque Bre-  
viarii eidem Primæ Horæ insertæ. Sed an-  
tiquus Monachorum mos erat manè Capitu-  
lum vocare, seu Monachos congregare in  
suis Monasteriis ad Martyrologii, Necrolo-  
gii, sacræque Regulæ lectionem, culparum  
emendationem, ac laboris injunctionem,  
distributionemque faciendam à Capitibus,  
seu Superioribus Cœnobiorum, qui simul  
cum aliis conveniebant, ut volunt nonnulli,  
seu quòd veriùs credit Martene *lib. 1. cap. 5.  
de Monachorum Ritibus à Regulæ Capitulo*,  
quod in tali Monachorum Congregatione le-

gebatur, hæc Capitulum fuit appellata. Immo etiam locus ipse, ubi hæc tractabantur, Capituli nuncupationem accepit, de qua re fuse disserit Hæftenus *lib. 8. tract. 1. disquisit. 1.* Multa etiam *loc. cit.* describit Martene, præsertim de loco ejusdem Capituli, de modo, quo Monachi congregabantur, necnon de tempore, quod erat post Primam, & aliquando etiam post Tertiam, & de his, quæ in Capitulo peragebantur. Idem Martene *num. 7.* asserit, quod congregati omnes atque in unum sedentes ad actus Capitulares procedebant, ex quibus tres dumtaxat memorat Radulphus *in lib. d. observant. Canonum, propof. 14.* ubi ait -- In Officio autem Capituli, quod fit post Primam, sunt tria: Primò, memoria Sanctorum in recitatione Martyrologii cum *ÿ. Pretiosa*, & Capitulo *Sancta Maria.* Secundò, memoria Defunctorum in Anniversariis recitandis cum *Miserere mei Deus*, & Collectis. Tertio, quia tunc ad labores diurnos præparari debemus, addunt preces congruentes, dicendo *ter Deus in adjutorium &c.* Hæc laudatus Radulphus, quibus subnectit Martene, quod multo plures Capitulares actus recenseri possent, & 1. lectio Martyrologii cum Collecta sequenti; 2. Divini invocatio auxilii, ad reliquos diei actus per *ÿ. Deus in adjutorium &c.* 3. Lectio Regulæ, aut alicujus Homiliæ; 4. Commemoratio Defunctorum per lectionem Necrologii; 5. Commemoratio item Benefactorum viventium cum precibus; 6. Officialium institutio; 7. Culparum correctio; 8. Laboris injectio, de quibus singillatim, & breviter quidem idem Martene agit.

Primus itaque actus Capituli erat lectio Martyrologii, ita pariter statuente Synodo Aquilgranensi *Canone 66.* his verbis: *Ut ad Capitulum primitus Martyrologium legatur:* Quæ tamen lectio antea in usu fuisse docet antiquus Ordo Conversationis Monasticæ. Circa hanc Martyrologii lectionem observandum est cum Martene, primò, quod Lector

in medio Capituli constitutus benedictionem postulabat ad legendum, ut tradit Ordo Conversationis Monasticæ anno 1659. Neapoli editus, in quo habetur: *Et petat benedictionem Lector, & recitentur nomina Sanctorum.* Liber usum Cisterciensium *cap. 70.* ait: *Lector vero veniens ante Analogium aperit librum, & inclinet se ad benedictionem; & Bursfeldenses in Ord. Cap. 11.* ita præscribunt: *Procedat in medium, qui lecturus est, ad benedictionem humiliter se inclinans, qua data, respiciat, sed nemo ante Præsidentem.* In antiquis vero Germaniæ Consuetudinibus manuscriptis ad solum Prioris Sacerdotis nutum legi debet Martyrologium: *Et festibus cunctis Prior Sacerdos dat lectori signum, ut legat.* Sed neque in Concordia Dunstani, neque in Decretis Lantfranci, neque in M. SS. Consuetudinibus S. Germani à Pratis ulla fit mentio petendæ Benedictionis ad Lectionem Martyrologii.

Secundò, idem Lector eos semper annuntiabat Sanctos; quorum Natalis dies in diem sequentem incideret, sive ut habet antiquus Ordo Conversationis Monasticæ *Cap. 3.* *quorum Festa crastina dies incipiet,* quibus diem mensis, & lunæ præmittebat; & ita præscribit Ceremoniale Bursfeldensium *Cap. 11.* *Lector legat lectionem de Martyrologio præmittens quotam mensis, & Lunam juxta Computationem Kalendarum, & pronuncietur non præsens dies, sed semper crastinus.*

Tertio, in illa Lectione non dicit Lector, ea finita, *Tu autem &c.* sed aliorum plurimorum Sanctorum &c. De qua clausula ita in Chronico Chronicorum fol. 166. *Ulfardus,* qui jussu Caroli Magni compilavit Martyrologium, reperit, singulis diebus plusquam trecenta Festa concurrere, ideo statutum fuit, ut diceretur: *Et aliorum plurimorum Sanctorum Martyrum &c.*

V. Gavant. eod. n. 14. *Pretiosa in conspectu Domini &c.* Finita Martyrologii lectione, surgere debent omnes, & dici ab Hebdomadario *Pretiosa in conspectu Domini,* cui cæteri

ceteri de Choro respondent *Mors Sanctorum* *ijus*. Liber autem Usuum Cisterciensium Cap. 70. ait: *Tunc surgant Fratres, & versant se ad orientem dicentes Versum, qui in Colletano habetur, id est, Præiosa in conspectu Domini, Sacerdote Hebdomadario incipente; quem sequebatur dicenda à Sacerdote Oratio: Ipsi, & omnes Sancti Dei intercedant pro nobis, ut mereamur ab eo adjuvari, qui vivit, & regnat in secula seculorum, Amen.* Cui quidem orationi Religionis, ac devotionis ergo in Beatissimam Dei Genitricem, juxta præsentis Rubricas præmittitur Sacratissimum B. M. nomen hoc modo: *Sancta Maria, & omnes Sancti &c.* Quæ additio utique non reperitur in antiquo Ordine Conversationis Monastica, neque in manuscriptis Consuetudinibus S. Germani à Protis, neque apud Crodogangum in Regul. Canonice, neque in Cereimoniali Bursfeldensium; sed non ideo ita recentioris est institutionis, nam extat in manuscripto Breviario Cassinensi Institutionis Oratorii, in quo utrumque dicendi modum, diversis tamen in locis se reperisse asserit Martene *loc. cit. num. 12.* Hæc Oratio à Sacerdote, ut innuimus, dicebatur; in Ordine tamen Monastico apud Hæftenum, & in MS. Sangermanensi præscribitur, quod dicatur à Priore.

VI. Gavant. eod. num. 14. *Repetito versus: Deus, in adjutorium meum intende &c.* Recitata prædicta Oratione à Sacerdote, ad Deum Trinum elevamur, ait Gavantus, repetito versus: *Deus, in adjutorium meum intende.* De hoc eodem versus laudatus Martene n. 14. ait, quod erat secundus Capitularis actus, & n. 17, quod ter à Priore, vel à Sacerdote ex integro talis versus dicebatur, terque item à Congregatione repetebatur, ut patet ex antiquo Ordine Conversationis Monastica: *Dicatur versus ad solvendum silentium, id est, Deus, in adjutorium meum intende: Domine, ad adjuvandum me festina, tribus vicibus Priore incipente, ceteris autem respondentibus ad ipsum.* Tertio extat super hac re

Capitulum XI, Monachorum Sangallensium relatum in Seculo IV. Benedictino *part. 1. pag. 741.* ubi leguntur hæc verba. (*Ut versus ad Capitulum, id est, Deus, in adjutorium meum, à Presbytero ter, terque à Congregatione repetitus dicatur, & dicta Gloria post hoc non adjungant Alleluja*) idem præscribit Cereimoniale Bursfeldensium relatum à Martene *loc. cit. loco Alleluja post Gloria Patri dicitur Litania seu Kyrie eleison &c.* ad quam Monachi flecebant genua, surgebantque ad Orationis Dominicæ conclusionem; ita enim tradit liber Usuum Cisterciensium *Cap. 70. Prosterantur super sedes superiores, aut incurvantur super genua secundum tempus dicentes simul Kyrie eleison. . . . & quando Sacerdos dixerit: & ne nos inducas in tentationem, erigantur, donec Sacerdos dicat: Dirigere, & sanctificare &c. & tunc incurvantur.* Cereimoniale verò Bursfeldense præscribit: *Deinde Litaniam, scilicet Kyrie eleison: Christe eleison: Kyrie eleison: alterna imper Choros dicant, & consequenter prostrati, aut pro temporis qualitate incurvati sub silentio Pater noster usque ad & ne nos, quam partem postquam ceciderit ad sonitum Præsulem fratribus, Sacerdos dixerit, & Convenus responderit: Sed libera nos à malo; subjungat Sacerdos versus: Respice &c. Denique subnectat orationem: Dirigere &c.* Cujus orationis varia exemplaria refert Martene *loc. supradict. num. 19.* Hæc oratio ex antiquo Ordine Conversationis Monastica dicenda præscribitur à Priore, ex libro Usuum Cisterciensium à Sacerdote, ad quam semper incurvati debent esse omnes; ea finita Prior ex eodem Ordine Monastico subjungebat: *Adjutorium nostrum &c.* ceteri respondebant: *Qui fecit Cælum, & terram.*

Tertius Capitularis actus prædictas preces, (quæ non erant simplex præparatio ad laborem manuum, sed ad omnes diurnos actus respiciebant, ut satis indicant prædicta Collectæ verba illa: *Dirigere, & sanctificare &c.*) immediatè sequebatur Lectio Regule, de qua multa tradit sæpè laudatus Martene in

suo eruditissimo Commentario ad eisdem Regul. Cap. 66. Ad hanc sedebant omnes, ita tamen, ut prius assideret, qui Capitulo præerat, in cuius sine subjungebat Lector: *Tu autem Domine &c.* sed nullam initio videatur petiisse benedictionem. Huic Regulæ lectioni substituta est juxta Ritum Romanum brevis lectio, seu Capitulum, quod dicitur in fine Primæ, petendo tamen benedictionem ab Hebdomadario, quo brevi Capitulo lecto, subjungitur à Lectore: *Tu autem Domine &c.*

Lectionem Regulæ, vel Homiliæ excipit in Sancti Germani à Pratis MSS. Consuetudinibus, & Ceremoniali Bursfeldens. lectio Necrologii: in quo descripta erant eorum nomina, qui ex hac vita migraverant, defumendo initium ab insignioribus viris, post quos Episcopi de Ecclesia benemeriti, qui

eam construxerant, Benefactores, Amici, & alique Defuncti nominatim appellabantur, eorumque merita in Ecclesia narrabantur, atque preces pro illis effundebantur.

De hujusmodi Necrologii lectione nulla fit mentio neque in Antiquo Ordine Monastico, neque in Concordia Dunstani, neque in statutis Lanfranci, neque in MSS. Consuetudinibus Germaniæ; nihilominus Necrologiorum satis antiquus videtur usus; nam Regis Oswaldi Depositionis diem annotatum fuisse in Codice Defunctorum, legimus apud Bedam, quem etiam Annalem vocat *lib. 4. Histor. Anglicana Cap. 14.* Alia de his Necrologiis, & de aliis Capitularibus actibus legi possunt apud eundem Martene, & apud Grancolas *lib. 1. in Breviar. Rom. Cap. 36.*

## De Antiphonis B. M. in fine Officii, XXXVI.

### RUBRICA.

- 1 **A**ntiphona Beata Maria posita in fine Psalterii post Completorium, singula dicuntur pro temporis diversitate, ut ibi annotatur, præterquam in triduo majoris Hebdomadæ ante Pascha.
- 2 Dicuntur autem extra Chorum, tantum in fine Completorii, & in fine Matutini, dictis Laudibus, si tunc terminandum sit Officium; alioquin, si alia subsequatur Hora, in fine ultima Hora. In Choro autem semper dicuntur, quandocumque terminata aliqua Hora discedendum est à Choro.
- 3 Numquam verò dicuntur post aliquam Horam, quando subsequitur cum Officio diei Officium Defunctorum, vel septem Psalmi Pœnitentiales, aut Litanie, præterquam post Completorium, in quo semper dicuntur, etiam si prædicta subsequantur: neque etiam dicuntur, quando post aliquam Horam immediatè subsequitur Missa. Dicuntur autem flexis genibus, (præterquam in diebus Dominicis, à primis Vesperis Sabbati, & toto tempore Paschali) Hebdomadario tamen ad Orationem surgente.

## Novæ Observationes & Additiones ad Gavanti

### Cap. XXII. De fine Officii, & Antiphonis finalibus Beatæ Mariæ.

- I. Gavant. pag. 80. col. 2. n. 5, Sequitur autem una ex Antiphonis B. Virginis, quas non legi apud antiquos &c.) Verè Gavantus affirmat, se in antiquis monumentis non legisse Antiphonas, quas in fine Completorii statis anni temporibus recitare solemus; siquidem


in nullo, quod sciam, Breviario reperiuntur ante annum 1520. quamvis apud Franciscanos jam ab an. 1249. ut optime advertit Gavantus, in usu essent. Earum mentio est in MSS. statutis Capituli Floriacensis Abbatum Floriaci, & Prioris, & Conventus de Regula cap. 4. apud Martene de Antiq. Monach. Rivib. cap. 12. num. 17. his verbis - In fine Completorii loco Antiphonarum, quæ dicantur de Beata Maria, videlicet: *Compleri sunt*, & *Ecce completa sunt*, debet alia Antiphona, scilicet *Alma Redemptoris*, aut *Salve Regina*, seu quælibet alia Antiphona ad libitum Cantoris singulis diebus in Conventu sollemniter celebrari - - Nescio, an de hujusmodi Antiphonis intelligendum sit decretum Capituli Generalis Anglorum Monachorum An. 1444. Northamptonæ celebrati, quod refert Martene loc. cit. - - Ne Serpens versutus, quos Vigilantes nequit subvertere, dormientes noctanter illudat, opus esse censemus ante sonum ejus implorare suffragium, per quam exitit caput ipsius Serpentis contritum: hinc est, quod statui-mus, ut singulis diebus statim post Completorium in honore B. Virginis una in Choro cantetur Antiphona . . . post quam sequatur oratio de eadem - - Quod jam diu sancitum fuerat in Capitulo Provinciali An. 1343. ibidem celebrato. Sed fortasse Antiphonæ B. Virginis in his decretis non sunt aliud nisi illæ, de quibus fit mentio in laudatis statutis Floriacensibus, nempe *Compl ti sunt*, & *Ecce completa sunt*. Bursfeldenses in Ceremoniali ante annos ducentos edito, has Antiphonas cum sua collecta vocant Laudes Beate Mariæ. Præcipua ex illis Antiphonis, & cujus in Ecclesia ulus antiquior videtur, est *Salve Regina*, cujus recitationem in Ecclesia, præceptam fuisse à Gregorio IX. An. 1274. contendit Sigonius; Cardinalis Qui-gnonius suo Breviario eam inserit, ex quo Pius V. transtulit in Romanum. S. Ludovicus Galliarum Rex, teste Nangio, eam in fine Completorii quotidie recitari volebat.

Id pariter decretum fuit à Concilio apud Pennam Fidelem in Hispania An. 1302. In Laudem Sanctæ Virginis in singulis diebus post Completorium canatur *Salve Regina &c.* alta voce cum versu: *Ora pro nobis &c.* & Oratio *Concede nos Famulos &c.* Carthusiani non in fine Completorii, sed ad Vesperas dicunt hujusmodi Antiphonam; Carmelita in fine cujuslibet horæ; Cistercienses toto anni tempore, Cluniacenses verò nunquam recitant. Fratres Prædicatores quotidie post Completorium faciunt processionem canentes in honorem Virginis prædictam Antiphonam; quod primum Parisiis institutum fuit, teste Thoma Cantipratensi lib. 2. de Apol. cap. 10. Auctorem hujus Antiphonæ Gavantus facit Petrum Compostellanum ex Durando, vel Hermannum Contractum ex Trithemio, sed longè probabilius est, compositam fuisse ab Hermanno Contracto, Monacho Reichriariensi in Svevia, ita appellato, quia ab infantia membra contracta habebat, & obiit An. 1074. Inter opera D. Bernardi habentur IV. Sermones in *Salve Regina*, in quibus tamen Jacobus Merlonus Horstius nihil aut parum invenit dignum ingenio vel stylo S. Bernardi. Guillelmus Einfiengrenius in Chronico Spirensi refert, S. Bernardum Apostolica Sedis ad Germanos Legatum cum quadam die hujusmodi Antiphona recitaretur in Ecclesia Spirensi, genua flexisse, & hæc verba adjunxisse: *O Clemens, ô pia, ô Dulcis Virgo Maria*: Hæc tamen narratio falsitatis omnino argui debet, si verum est, quod statuunt Possévinus in Apparatu, & citatus Horstius, nimirum meditationem quamdam in *Salve Regina*, quæ legitur post supposititios illos Bernardi sermones, Auctorem habere Anselmum Mantuanam Lucensem Episcopum; cum hic ante Bernardum Clarevallensem vixerit, & in meditatione illa prædicta verba legantur. Aliquam verborum mutationem passâ est hæc Antiphona: nam Hermannus Contractus ita scripsit - - *Salve Regina misericordie, vite dul-*

do &c. & sic recitabant etiam Dominici Parisiis, cum processionem illam instituerunt, de qua paulo ante meminimus, & sic etiam nunc recitant Carthusiani. In sermonibus citatis habetur quidem Regina misericordiae, sed caetera verba leguntur perinde ut in Brevario Romano. Reliquarum Antiphonarum Auctor ignoratur, nisi quod Antiphonam *Alma Redemptoris* nonnulli eidem Hermanno Contracto adscribunt. Nobis tamen non placet antiqua illa traditio, cuius meminit Sigonius *lib. 2. Regni Italici*, quaeque docet, Antiphonam *Regina Caeli leta e* ab Angelis inventam fuisse, cui traditioni miramur Gavantum aliquam fidem praestare potuisse. Protestantes vitio nobis vertunt, quod in recitatione huiusmodi Antiphonarum, iis titulis B. Virginem decoremus, qui soli Deo debentur. Iniqua prorsus accusatio; nos enim B. Virginem non alia ratione vitam nostram, Spem nostram appellamus, nisi quia ipsa nobis genuit Christum Dominum, qui verè spes nostra est, ac vita, & à quo ipsa suis precibus spem nobis ac vitam impetrare potest. Quod spectat ad tempus, quo unaquaeque ex his Antiphonis recitari solet, id accuratè à Gavanto notatum est, praeter unum aliquod, quod modò examinabimus.

II. Gavant. pag. 81. col. 1. n. 7. -- Ita ut si Purificatio transferatur, Antiphona haec quoque non dimittatur &c.) Asserebat Gavantus, quod Antiphona *Alma Redemptoris* &c. taliter debeat dici usque ad Purificationem inclusivè, ita ut, si Purificatio quoad Officium transfertur, praedicta Antiphona quo-

que non dimittatur, nisi in fine Officii Purificationis; immò verò si Purificatio alicubi octavam habeat, dicebat idem Gavantus, quod Antiphona *Alma Redemptoris* deberet dici usque ad completorium diei octavae exclusivè, seu usque ad finem octavae, & in Comprobationem harum assertionum adducebat Decretum emanatum pro PP. Carmelitis Discalceatis. Verùm hæc Gavanti sententia non potest amplius admitti; quia Decreta edita sub die 11. Januarii 1681. & die 10. Januarii 1693. & die 4. Aprilis 1704. quæ dantur in nostro Indice sub numeris 114. 179. & 232. apertè derogant Decreto supra allegato à Gavanto pro PP. Discalceatis, & declarant, quod die 2. Februarii post Completorium dimissa Antiphona *Alma Redemptoris* semper dicatur Antiphona *Alma Regina Cælorum*, etiam si Purificatio quoad Officium transferatur, vel alicubi octavam habeat, sicut habet in nostra Congregatione ex Concessione Clementis X. die 20. Augusti 1671. ut patet ex ejusdem Pontifici Constitutione, quæ incipit *Ad Pastorale*, & quæ est num. 44. in Bullario Romano Cherubini, nunc verò in Bullario recentissima Romanae editionis tom. 7. num. 75. Attentis præallegatis Decretis corrui etiam opinio Guyeti, quæ habetur in Heortologia *lib. 4. sect. 3. cap. 18. quest. 5.* (ubi sectatur sententiam Gavanti) propter Decreta posteriorius edita & superius allegata, quæ professio derogant anterioribus, ut in puncto de Decretis Sac. Cong. docet, & probat Urylsay, celebris hujus Almae Urbis Advocatus, *Discept. Eccles. tom. 1. part. 3. Discept. 14. n. 82.*



## SECTIO SEXTA.

### DE PROPRIO DE TEMPORE.

#### Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

##### Cap. I. De Adventu.

I. Gavant. pag. 83. col. 2. num. 1. -- *Neque sit Commemoratio Crucis, ne videatur passus, antequam natus &c.* Omittuntur ab Adventu usque ad Octavam Epiphaniæ Sanctorum Suffragia, necnon Commemoratio de Cruce, ea videlicet ratione, quam adducit Gavantus, & quæ pariter allegatur in MSS. Consuetudinibus Monasterii Lyrensis, quia videlicet non natum, vel adhuc parvulum, inconveniens est prædicare Crucifixum.

Huc spectant sequentia Decreta, nimium

Cum multis Congregationibus, Religionibus &c. Concessum sit à S. Sede Apostolica, ut semel, vel pluries in singulis hebdomadibus, vel mensibus celebrentur varia Officia per annum, v. g. de SS. Sacramento, vel de Sanctis in diebus non impeditis aliquo Festo duplici, vel semiduplici, hujusmodi Indulta non habent locum in Feriis Adventus, Quadragesimæ &c. prout in Decreto dato in nostro Indice sub num. 236. unde suspensio prædicti Indulti non solum incipit

à die 17. mensis Decembris, quando incipiunt Feriæ digniores usque ad Vigiliam Nativitatis Domini inclusive, ut videntur supponere PP. Cappuccini in Rubricis particularibus sui Breviarii num. 7. sed à Feria secunda Dominicæ primæ Adventus.

Concurrente Dominica 2. Adventus die 7. Decembris cum Festo Immaculatae Conceptionis B. M. V. & die octava Sancti proprii, debet fieri prius Commemoratio de octava Sancti proprii, deinde de Dominica, juxta dispositionem Tabellæ secundæ de Concurrentia Dominicæ Majoris, sive primæ, sive secundæ Classis cum die octava; ut ibi Regula tertia, quemadmodum docet Rubrica Breviarii Romani num. 11. Ita S. R. C. 10. Januarii 1693. & datur in nostro Indice sub num. 180.

In Feriis Adventus quæ Antiphonæ dicendæ sunt tum ad Laudes, tum ad Horas, satis declaratur in Rubricis Breviarii, sicut etiam quando sit dicendum Officium Defunctorum.

#### Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

##### Cap. II. De Antiphonis majoribus Adventus.

I. Gavant. pag. 84. col. 1. n. 1. -- *Quæ per septem dies ante Nativitatem Domini recitantur &c.* Quando advenit dies XVII. Decembris (in qua, ut notat Gavantus, & ante ipsum Rubricæ, regulariter ponuntur Antiphonæ propriæ ad Laudes in Officio de tem-

*Gavanti, Rubr. Brev.*

pore, & in quocunque Officio Antiphonæ Majores O. ad *Magnificat*, vel post in Officio de aliquo Festo) cessant, ac suspenduntur omnes Octavæ particulares, unde usque ad diem Epiphaniæ inclusive, non modo nullum amplius Festum Ecclesiæ alicujus particula

I i cula

ularis celebrari intra illud tempus potest cum Octava, sed etiam Octavæ jam antecederent cceptæ, seu inchoatæ tunc abrumuntur, ita ut nil amplius, ne quidem Commemoratio de ea fieri possit in Officio, & Missa, ut expressè præscribit Rubrica generalis VII. Breviarii in fine num. 1. Quare si occurrat dies Octava Festi habentis Octavam, v.g. Titularis Ecclesiæ, Dedicationis &c. in die 17. Decembris, ne quidem in pridianis Vesperis fieri debet Commemoratio de die

illa Octava: cum enim sequenti die, dies Octava Festi Officium non habeat, nec etiam conveniet, ut habeat primas Vesperas etiam tantum partiales, aut Commemorationem ex primis Vesperis, uti ad citatam Rubricam discurret noster Gavantus *sect. 3. cap. 8. num. 9. ac 13.*

Huc spectant Decreta edita à S. R. C. die 17. Novembris 1607. & die 17. Maji 1692. & quæ dantur in nostro Indice sub num. 30. & 170.

### Cap. III De Dominica quarta Adventûs.

*caret novis Observat. & Additionibus.*

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Cap. IV. De Vigilia Nativitatis Domini.

I. Gavant. pag. 85. col. 2. n. 1. -- *Si Vigilia venerit in Sabbato &c.* De hac Vigilia, quando venerit in Sabbato, satis disponitur in Rubricis Breviarii hujus diei, nimirum quomodo recitandi sint Psalmi ad Laudes; sicut etiam satis disponitur, quomodo recitandum sit Officium, quando occurrat in Dominica 4. Adventûs; unde hoc loco ea præmittimus, cum faciliè legi possint in eodem Breviario.

II. Gavant. pag. 85. col. 2. num. 4. -- *Legitur Martyrologium cum majori quàm aliàs sollemnitate &c.* Hic breviter innuit Gavantus, quod hac die cantatur Martyrologium cum majori, quàm aliàs, sollemnitate, fufius verò describit hanc sollemnitatem *sect. 10. cap. 3. num. 7* sed adhuc aliqua desiderantur, quæ tamen describuntur tum à Castaldo *lib. 3. sect. 1.* tum à Bauldry *part. 4. cap. 2.* qui afferunt, Sacristam, aut alium ante Primam in medio Chori, vel ante Altare parare debere Pulpitum, seu Legile panis violaceo tectum, super quod ponitur debet Martyrologium grandioris formæ, si fieri potest, tectum etiam eodem colore.

In Sacristia parari debent duo candelabra cum cereis accendis, Amictus, & Alba, si his utitur Sacerdos cantaturus Martyrologium, deinde Stola, & Pluviale pariter violaceum; vel paretur Amictus tantum cum Cotta, & Pluviali, juxta Ecclesiæ consuetudinem. Thuriferarius etiam parat ignem pro Thuribulo, & Naviculam. Præfatus Sacerdos dum *Prima* cantatur in Choro sollemniter, induitur memoratis sacris indumentis, & dum dicuntur versus post Capitulum, præcedentibus Thuriferario cum Thuribulo, & Acolyto cum Navicula, necnon Ceroferrarius cum Cereis accensis, procedit ad locum in medio Chori, vel ante Altare ubi cantari debet Martyrologium, & factâ Altari ab eo, & à Ministris debitâ reverentia, sicut in Missa sollemni, dum dicitur Oratio: *Domine Deus omnipotens*, ministrantibus Acolythis imponit ter incensum in Thuribulum cum solita benedictione, formans signum Crucis, ut de more; deinde accepto Thuribulo ter incensat Martyrologium, interim Acolyto elevante simbriam Pluvialis à dexteris, & post incensationem, Thuriferarius accepto Thuribulo, post eum

stat

stat cum Acolytho; Ceroferarii etiam stant hinc inde à lateribus ejusdem cantantis Martyrologium, faciem, sicut ipse, vertentes, & omnes dicto modo manent usque in finem.

Dicto in Choro *Deo gratias*, & omnibus stantibus detecto capite, incipit Cantor lectionem Martyrologii, in quo neque seipsum, neque librum signabit, sed stans manibus junctis, cantat tono competenti, primò pronuntiando Kalendas, deinde proseguendo lectionem. Cum dicit in *Bethlehem jude &c.* elevat vocem, & statim omnes (præter ipsum Lectorem, & Ceroferarios, qui semper stant immobili) genuflectunt; postea altiori, ac sollemniori tono, qui dicitur passionis, subdet: *Nativitas Domini nostri Jesu Christi secundum carnem.*

His peractis, & factis debitis reverentiis cum Acolytho, ac Ceroferariis, eodem ordine, quo venerat, revertitur in Sacrarium, ibique paramenta deponit, in Choro verò adstantes omnes, ad reliquam lectionem, quam aliquis Lector, more solito, cantabit, detecto capite sedebunt.

In aliis Ecclesiis, in quibus hoc Martyrologium non cantatur adeò sollemniter, debent saltem observari ea, quæ in Directorio Chori Romani præscribuntur.

Advertendum est hoc loco, Bauldry n. 7. asserere, quòd ad prædicta verba genuflectere debet etiam ipse Celebrans, nempe is, qui Martyrologium decantat; verùm noster Gavantus apertis verbis loc. supracit. num. 7. excipit Lectorem Martyrologii ab hac obligatione genuflectendi; cui Gavanti sententiæ omnes subscribere debemus, sequendo regulam illam generalem, quæ habetur in Ceremoniali PP. Carmelitarum à Sebastiano Fantonio concinnato lib. 1. Rubr. 52. nam. 3. & in Ceremoniali Clericorum Regularium Minorum à P. Dominico Flumara composito part. 1. cap. 13. nimirum: *quidquid cantatur ab Hebdomadario, Sacerdotibus, vel Cantoribus, ab ipsis stantibus dicitur,*

*& capite detecto.* Etiam in Ceremoniali Clericorum Regul. S. Pauli lib. 1. cap. 10. §. de Hebdomadario, hæc habentur: *Hymnum Veni Creator Spiritus, & Ave Maris Stella, ipse stans cantabit, & primis illis verbis pronuntiatis, genuflectet.* Et in allegato Ceremoniali Cleric. Minor. part. 1. cap. 12. præscribitur, quòd, *quando in Vesperis sollemnibus Celebrans intonat Hymnum Veni Creator Spiritus, mentes tuorum visita, & Ave Maris Stella, Dei Mater alma, non genuflectit, nisi post cantum ipsorum duorum versuum, sed omnes alii de Choro genuflectunt à principio.* Neque id tantum præfati Clerici Regulares, sed etiam Minores Conventuales S. Francisci part. 8. cap. 6 & Minor. Observ. part. 4. cap. 11. necnon Augustinieneses Discalceati in suo Ceremoniali lib. 2. cap. 5. idem omnino præscribunt. Denique Castaldus noster in praxi lib. 2. sect. 5. cap. 8. num. 10. ita statuit: *Si verò Hymnus sit Veni Creator Spiritus, vel Ave Maris Stella, dum Celebrans Hymnum intonat, omnes genuflectunt, ipse verò Celebrans postquam illum intonavit, in suo genuflexorio, vel in aliquo pulvino ad id parato pariter genuflectit;* ex quibus omnibus apertè deducitur, hujus Martyrologii Cantorem dum pronunciat prædicta verba, quamvis omnes genuflectere debeant, ipsum tamen stantem eadem cantare debere; & reverà Diaconus in tertia Missa sollemni diei sequentis cantando Evangelium, dum profert illa verba: *Et Verbum caro factum est,* cæteris genuflectentibus, ipse stans, non verò genuflexus decantat, inclinato quidem capite; & qui cantando Passionem Christi Domini munus gerit Evangelistæ, dum profert illa verba: *Et inclinato capite tradidit spiritum,* quamvis omnes ad eadem verba genuflectant, ipse tamen non procumbit, nisi prolatis iisdem verbis, & dum fit aliqua pausa. Ex quibus omnibus magis, magisque confirmatur, Martyrologii Cantorem in prædicto casu non debere procumbere, nisi aliqua pausa sit facienda per spatium Orationis Dominicæ, ut

trahit Bauldry *num. 8.* nam si verè, ut decens esset, fiat prædicta pausa, statim postquam decantata fuerunt illa verba: *Nativitas Domini nostri Jesu Christi secundum carnem*, tunc profectò etiam Martyrologii Cantor genuflectere deberet, sicuti fit ab eo, qui cantat Passionem, ut mox diximus.

Unicus nunc mihi ingeritur scrupulus super colore Stola, & Pluvialis adhibendi à supradicto Cantore hujus Martyrologii. Dixi supra, inhærendo Castaldo, Bauldry, & aliis, communiter prædicta indumenta sacra debere esse violacea correspondentia colori hujus Vigiliæ; verùm quia agitur de cantando Martyrologio, in quo annunciatum Festum summæ lætitiæ, nempe Nativitatis Domini nostri Jesu Christi secundum carnem, non videretur incongruum, si legile, super quo cantandum est Martyrologium prædictum, tegetur panno albi coloris, & si ejusdem Martyrologii Cantor indueretur pariter Stola, & Pluviali ejusdem coloris. Neque obesse possit, quod Altaris antependium, & aliæ vestes Sacerdotum in hac die sint coloris violacei, nam etiam in Sab-

bato Sancto, quamvis Celebrans, & Subdiaconus induti sint vestibus violacei coloris, & Altare tectum sit palliolo pariter violaceo, nihilominus Diaconus cantaturus Præconium Paschale deponit Casulam plicatam violaceam, & induit Dalmaticam coloris albi, & sic etiam pulpitem, seu legile, super quo cantare debet Præconium, tegitur velo argenteo, vel aureo, non verò violaceo; sicut igitur ad annunciandum Festum Paschale utitur Diaconus prædicto colore lætitiæ, quamvis ceteri induti reperiantur colore violaceo, ita congruum videtur, quod Presbyter, qui cantaturus est eam tant in Martyrologii partem, in qua Nativitas Salvatoris nostri annunciatum, adhibeat indumenta coloris indicantis lætitiæ, nempe albi, non verò coloris violacei, qui significare solet tristitiam. Et reverà hic Ritus observatur in Ecclesia Cathedrali Macerateni. Sed quamvis hujusmodi ponderationes hoc mihi suadeant, nihilominus recedere non audeo à communi praxi, & sententia nostrorum Doctorum præscribentium in tali circumstantia usum coloris violacei, non verò albi.

#### Cap. V. De Natali Domini.

*caret novis Observat. & Additionibus.*

### Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

#### Cap. VI. De Festis infra Octavam Nativitatis Domini.

I. Gavanti pag. 87. col. 1. n. 1. - - *Habent privilegium non commune aliis Festis secundæ Classis &c.* Festa Sanctorum Stephani, Johannis Apostoli, & Innocentium prorsus singularia sunt, quia in paucis ordinarias, & generales Rubricarum leges sequuntur; & in aliis ab iisdem legibus discrepant. In primis Festum S. Stephani, & Sanctorum Innocentium in Tabula Festorum, nec inter Festa primæ, nec secundæ Classis recensentur, cum tamen Festo S. Stephani, Festum

S. Johannis Apostoli, quod est secundæ Classis, in primis Vesperis cedat. Secundò, quia non modò Octavas integras habent (quod satis indicat, ea Festa esse ad minimum secundæ Classis) sed etiam contra privilegia duplicium secundæ Classis Commemorationem diei infra Octavam, in ipso suo Festo admittunt, ut observat Gavanti supra. Tertiò, quia in die Festo nullum eorum integras habet Vesperas, sed dimidiatas tantum, seu à Capitulo inchoatas. Quartò, quia nec cedunt

dant sibi mutuò juxta Regulas Breviarii, cum Festum S. Johannis, utpote Apostoli, dignius videatur Festo S. Stephani, utpote Martyris dumtaxat; & tamen in primis Vesperis cedere debeat S. Stephani Festo; ob quam causam Castaldus in nostro Ceremoniali lib. 3. cap. 5. num. 1. Festum S. Stephani ad primam Classem duplicium revocandum esse arbitratur.

II. Gavant. eod. n. 1. - - *Mihi placet, ut dicatur secunda Classis &c.*) Castaldi sententiam improbat Gavantus, & censet, Festum S. Stephani esse tantum secundæ Classis. Lohner tamen *pa. 1. 4.* de specialibus quibusdam Festis, & Officiis §. 2. Castaldi sententiæ accedit, & tanquam probabiliorem admittit; his pernotus rationibus: tum quia sic generales Rubricæ in omnibus tribus his Festis magis servantur, dum de singulis ratio reddi potest, cur alteri cedat, nempe quia minus dignum erat; tum quia valde credibile est, quòd sicut Ecclesia primarios duos Apostolos in prima Classe collocavit, ita etiam Stephanum, Ecclesiæ Protomartyrem, eodem honore prosequuta fuerit; tum quia sic ratio reddi potest, cur Ecclesia Festum S. Stephani, & Sanctorum Innocentium inter Festa primæ, & secundæ Classis in Catalogo Festorum non posuerit, scilicet, quia ex ipso eorum Officio id satis colligi potuit, nempe Festum S. Stephani inter Festa primæ Classis numerandum esse, quia Festum S. Johannis Apostoli, quod est secundæ Classis, ei sem cedit (quod non contingeret, si secundæ Classis pariter esset Festum S. Stephani, quia tunc Festum S. Johannis in paritate Ritûs, ob majorem dignitatem Apostoli, quàm Martyris, præferendum esset) & Festum SS. Innocentium esse secundæ Classis, ob Octavam, quam habet, & minus dignum Festo S. Johannis, quia eodem in paritate Ritûs ob dignitatem Apostolatûs cedit; quæ omnes rationes cum pro Festo S. Laurentii non pugnent, hinc ex paritate ejusdem Sancti cum S. Stephano, ean-

dem Classis dignitatem Gavantus, quamvis conetur, evincere tamen non potest.

III. Gavant. pag. 88. col. 1. num. 11. - - *Eo autem anno, quo occurrit in Sabbato &c.*) Occurrente alicubi Festo Dedicationis propriæ Ecclesiæ in Festo SS. Innocentium, quando hæc accidit in Sabbato, decernit hic Gavantus, quòd Festum SS. Innocentium debet transferri in Feriam II. sequentem quoad Officium, & Festum S. Thomæ Cantuariensis incidens tunc in Dominicam debeat celebrari prima die non impedita post Octavam Epiphaniæ; sed hæc Gavanti sententia repugnat, & Rubricæ generali *tit. 10. de Translatione Festorum num. 5.* & Decretis editis, præsertim die 22. Decembris 1696. & die 16. Septembris 1702. datis in nostro Indice sub *num. 191. & 226.* aliisque ibi indicatis; in quibus statuitur, quòd Festum Semiduplex occurrens in Dominica infra aliquam Octavam non excludentem Officia Semiduplicia, debeat transferri in Feriam II. immediatè sequentem, si non sit impedita alio Festo Duplici, vel Semiduplici, tanquam in diem propriam; unde Officium Semiduplex in Dominica infra Octavam non privilegiatam occurrens, sicuti est Octava Nativitatis Domini, tantum habet juris in eadem Feria II. non impedita, ut non cedat non solum Duplici secundæ Classis, sicut est Festum SS. Innocentium, sed neque primæ Classis translato; quare cogimur in prædicto casu recedere à Gavanti sententia, & statuere, quòd tunc debet celebrari Officium S. Thomæ in illa Feria II. & Festum SS. Innocentium prima die non impedita post Octavam Epiphaniæ. Hanc nostram sententiam tenet etiam Henricus Pisart in Directorio Canonico *cap. 2. proprio de tempore n. 9.* nec non P. Halden *part. 2. tit. 12. & part. 3. in Corollariis tituli de-occurrentiæ, & concurrentiæ, coroll. 3.*

Ubi Festum S. Silvestri est Titulus Ecclesiæ, optimè declaravit Gavantus *n. 9.* quòd in primis Vesperis ejusdem Festi dicuntur

quidem Antiphonæ, & Psalmi sub Ritu Duplici usque ad Capitulum de Nativitate Domini, ut in secundis Vesperis Festi: à Capitulo verò fit de S. Silvestro cum sola Commemoratione de Octava Nativitatis, nisi id Festum veniat in Dominica; tunc enim ante Commemorationem de Octava Nativitatis fit in prædictis primis Vesperis primò Commemoratio de Dominica infra Octavam Nativitatis per Antiphonam: *Dion medium silentium &c.* Lectiones primi Nocturni erunt de Communi Conf. Pont. *Fidelis sermo.* Secundo verò de Octava Nativitatis, de aliis autem tribus Octavis in tali Ecclesia nulla

fit Commemoratio nec in Officio, nec in Missa. In secundis autem Vesperis ejusdem Festi in prædicta Ecclesia non amplius habent locum Antiphonæ: *Tecum principium &c.* utpote jam terminatæ in primis Vesperis ejusdem, ut notat etiam Gavantus num. 9. consequenter in iis erunt sumendæ Antiphonæ de Communi Confessoris Pontificis, ac Vesperæ secundæ integræ ibi dicendæ de S. Silvestro, ut in secundis Vesperis de eodem Communi cum Commemoratione solius Festi Circumcisionis, ut ibi in primis Vesperis, non autem Octavarum, nec etiam Dominica in tali die, aut sequenti occurrentis.

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Cap. VII. De Epiphania Domini.

I. Gavant. pag. 88. col. 2. num. 1. - - *Si occurrat &c. Festum Duplex &c.*) In Patriarchalibus Urbis contra Gavantum de S. Telesphoro PP. licet Duplex, non fit in Vigilia Epiphaniæ, sed transferitur.

II. Gavant. pag. 90. col. 1. n. 9. - - *Fit Commemoratio tantum de die Octava &c.*) Henricus Pisart loco supra in cap. 3. improbat dictam Gavanti sententiam, & sustinet, quòd in dicto casu non debet omitti Commemoratio Dominicæ in II. Vesperis, cum id semper fiat in Dominicis per annum, si Festum I. vel II. Classis occurrit, & hæc non est Dominica reposita, sed quasi occurrens, seu assignata in Sabbato, & quando Epiphania cadit in Dominica ordinariè in primis Vesperis fit à Capitulo de eadem Dominica, cujus Commemoratio in primis Vesperis Octavæ Epiphaniæ, non est omittenda, quæ pariter Commemoratio debet fieri in secundis Vespere-

ris, ut in primis, quando fuerit impedita ab Officio Patroni, seu Titularis, vel Dedicacionis Ecclesiæ, & casus Dominicæ 3. vel 4. vel 5. vel 6. post Epiphaniam, vel 23. post Pentecosten, quæ non possit celebrari in proprio die Dominica, est omnino diversus, ut clarè apparet in Rubr. gener. IV. de Dominica num. 4. & 5. & ex Rubr. particul. de Dom. infra Octavam Epiphaniæ.

III. Gavant. pag. 90. col. 1. num. 10. - - *Ex Decreto Gelasii ponuntur in Dominica ipsa prima post Epiphaniam &c.*) Allèverat hoc loco Gavantus, Lectiones Epistolæ primæ ad Corinthios poni in Dominica ipsa prima post Epiphaniam ex Decreto Gelasii, sed, ut alibi dixi, ea pars Decreti, in qua id statuitur, & quæ habetur in *Decret. dist. 15. cap. 3.* Gelasio Summo Pontifici referri non potest, sed fuit ab aliis Pontificibus adjecta.

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Cap. VIII. De Dominicis post Octavam Epiphaniæ.

I. Gavant. pag. 90. col. 2. num. 2. - - *De Dominica secunda post Epiphaniam semper fit Officium &c.*) In posterum in Dominica secunda post Epiphaniam recitandum est Officium

cium proprium Sanctissimi Nominis JESU ab omnibus Christi Fidelibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, sub ritu Duplici II. Classis; die enim 29. Novembris anno 1721. editum fuit sequens Decretum.

Officium proprium Sanctissimi Nominis JESU, quod aliis plerisque Christiani Orbis Provinciis, & Regnis, variisque particularibus Ecclesiis, & Ordinibus Regularibus fuerat concessum, in posterum ab omnibus Christifidelibus tam Secularibus, quam Regularibus utriusque sexus, qui ad Horas Canonicas tenentur, sub Ritu Duplici secundæ Classis, Dominicâ secunda post Epiphaniam recitari, & Missam respectivè celebrari debere indulsit Congreg. Rituum annuente Innocentio XIII. sub die 20. Decembris ejusdem anni.

Hoc loco adnotandum occurrit, quèd quando Dominica II. post Epiphaniam non habuerit propriam sedem Dominicalem, id quod evenit, quando Dominica Septuagesimæ occurrit die 18. vel 19. aut etiam 20. Januarii, ut describitur in nostris Tabulis I. II. & III. tunc agendum est de prædicta Dominica Septuagesimæ, & præfatum Officium Sanctissimi Nominis JESU transferendum erit ad diem 28. Januarii tanquam diem propriam ex Decr. S. R. C. 22. Jan. 1735. in correctione, & approbatione Calendarii Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium, & ex ejusdem S. R. C. declaratione die 5. Maji 1736. in *ura i insiden.* & datum in nostro Indice num. 289. Officia enim generalia, licet affixa Dominicis, non subjacent Regulæ præscriptæ in Decreto edito die 20. Martii 1683. & dato in nostro Indice sub num. 139. quia ibi est sermo de Officiis concessis pro aliquibus locis, quibus assignata est dies aliqua Dominica; hæc utique occurrente Festo altioris ritus, non sunt transferenda, sed omittenda. Officia verò generalia pro omnibus locis concessa, possunt, immò debent transferri, licet alicui Dominicæ affixa sint, ut est præfens Officium San-

ctissimi Nominis JESU. De prædicta autem Dominica secunda post Epiphaniam in prædictis casibus agendum est, ut disponitur in propria Rubrica ante Dominicam primam Epiphaniæ, & ut etiam declarabimus infra.

Secundò adnotare debemus, quòd circa dictam translationem idem prorsus dicendum est, si in eadem Dominica secunda alicubi occurrat Festum Duplex primæ Classis, & in hujusmodi casibus nona Lectio prædicti Officii Sanctissimi Nominis JESU translata erit - *Merito sanè dum Circumciditur puer* - ut dicitur in Rubrica Breviarii post octavam Lectionem hujus Officii; quæ tamen nona Lectio esset omittenda, si dictum Festum reponendum esset eo die, quo occurreret Lectio de aliquo Festo simplici.

Tertiò notandum est, quòd per prædictum generale Decretum derogatur concessionibus particularibus aliis factis (de quibus iterum redibit sermo *Seç. 7. c. 3. n. 14.*) recitandi tale Officium die 14. Januarii; nunc enim omnes tenentur illud celebrare in dicta Dominica secunda post Epiphaniam, & ita declaravit S. R. C. die 28. Novembris 1722. Monialibus siquidem Sanctissimi Corporis Christi Civitatis Bononiæ eidem S. C. humillime supplicantibus, ut benignè declarare dignaretur, an ipsis liceat in posterum die 14. Januarii Officium Sanctissimi Nominis JESU, sicut antea juxta concessionem Fratibus Ordinis Minorum, aliis factam, recitare? *S. C. respondit*, nec Monialibus prædictis, nec Fratibus Minoribus, aliarumque Religionum licere amplius memoratum Officium die 14. Februarii, sed Dominica II. post Epiphaniam recitare; omnesque teneri sub pœnis de non satisfaciendo Officio Divino, aliisque in Bulla S. Pii V. contentis &c. Post hoc Decretum tamen Fratres Minores Observantes eorumque Ministro Generali subjectis per Rescriptum obtinuerunt facultatem à Benedicto XIII. celebrandi dictum Festum, die 14. Jan.

Quar-

Quartò notandum est, quòd licet in pluribus Missalibus impressa habeatur *Sequentia* in Missa propria dicti Festi Sanctissimi Nominis JESU, non est tamen dicenda, nisi à PP. Minoribus S. Francisci, tum quia in concessione antea facta Societati Jesu an. 1701. 1. Octobris, dicitur expressè, *exclusa tamen Sequentia*; tum quia S. R. C. die 23. Junii 1736. in *Brugen.* apertè statuit, *Sequentiam* in Missa de SS. Nomine JESU esse omittendam, quòd Decretum datur in Indice Decretorum superioris tomi sub num. 685.

II. Gavant. eod. num. 2. - - *Saltem in Sabbato precedenti eandem Septuagesimam &c.*) Dicta secunda Dominica post Epiphaniam nunquam transfertur post, sed omnino de ea fieri debet ante Septuagesimam, ob rationem, quam affert Gavantus tom. 1. part. 4. § 1. num. 3. nimirum, ut Evangelium illius Dominicæ, (in qua mentio fit Conversionis aquæ in vinum, quæ fuit initium miraculorum Christi) congruo tempore legatur. Igitur quando Dominica Septuagesimæ occurrit statim post primam Dominicam Epiphaniæ, optimè docet hic Gavantus inherens Rubricæ, quòd tunc de Dominica secunda post Epiphaniam faciendum erit in Sabbato antecedenti ipsam Dominicam Septuagesimæ, dummodò illud Sabbatum non sit impeditum Festo novem Lectionum; nam si illud Sabbatum taliter sit impeditum, tunc de Dominica secunda post Epiphaniam erit faciendum Officium prima die post Octavam Epiphaniæ; quòd si in ea prima die occurreret Festum Semiduplex, illud Festum transferendum erit in aliam diem non impeditam Festo novem Lectionum, ut apertè disponit Rubrica Breviarii posita ante Dominicam primam Epiphaniæ. Ex hac dispositione sequitur, in tali casu esse transferendum Festum S. Hilarii, quod est Semiduplex, & occurrit prima die post Octavam Epiphaniæ, & reverà ita tenet Gavantus hic num. 3. necnon Bauldry part. 4. cap. 2. num. 42. & Guyet. lib. 4. cap. 18. quæst. 13.

Quomodo autem in prædicto casu faciendum sit de Dominica secunda Epiphaniæ, colligitur ex iis, quæ dicit Billus litt. O. n. 32. cum aliis communiter, nimirum, tunc dicendum esse Officium de Feria occurrente, ut in Psalterio, & post Nocturnum duodecim Psalmorum, legi debent Lectiones tres de Homilia hujus Dominicæ translata, cum tribus Responsoris primi Nocturni ejusdem Dominicæ, omittis aliis Lectionibus, & Responsoris; & alia dicantur, ut in Officio feriali dictæ diei, cum Antiphona tamen ad *Benedictus*, & Oratione præfata Dominicæ; facta Commemoratione Festi Simplicis, si occurrat, & dictis Suffragiis Sanctorum, prout de more. Reliqua vide in præfatis Tabulis nostris 1. 2. & 3.

Cum ad faciendum Officium de præfata Dominica debeat transferri Festum Semiduplex, si occurrat, tenet Guyetus loco *supra cit.* de dicta Dominica fieri posse Officium in Sabbato impedito Festo Semiduplex, transferendo tale Festum Semiduplex, quia Officium Dominicæ sic celebratæ, ait idem Guyetus, convenientius fit in Sabbato, quam in alia Feria. Verùm in Sabbato prædicto, impedito etiam solo Festo Semiduplex, nullo modo erit faciendum de prædicta Dominica, quod deducitur ex Rubrica citata, quæ clarè præcipit, esse faciendum Officium de prædicta Dominica in Sabbato non impedito Festo novem Lectionum; alioquin prima die post Octavam Epiphaniæ; & licet eadem Rubrica præscribat, esse transferendum Festum Semiduplex, tamen non loquitur de Semiduplexi occurrente in Sabbato, sed solum occurrente illa prima die post Octavam Epiphaniæ, quod apertè habetur in verbis ejusdem Rubricæ, quæ in fine ait - - *Festum verò Semiduplex in ea occurrens transferitur &c.* ubi illa verba, *in ea*, notanda sunt; cum enim sint feminini generis, referuntur ad primam diem, non ad Sabbatum, quod est generis neutrius, ut benè ponderat Billus loco *cit.* §. 9. Corruit igitur sententia Guyeti con-

contententis, ea verba in Rubrica non impedito (loquendo de Sabbato) *Festi nov. in Lectionum*, significare Festum Duplex tantum, ita ut, si Sabbatum esset impeditum Festo Semiduplici, tunc eo translato faciendum sit de Dominica; sed pace tanti viri, adoptando verba Bissi, non video, quomodo solum Duplex veniat nomine Festi novem Lectionum. Et equidem Rubrica Missalis, quae habetur ante Dominicam secundam Epiphaniae, omnem removet ambiguitatem, quia aperte excludit Sabbatum, si in eo incidat Festum Semiduplex; (quod intelligitur de Semiduplici non translato, & de praeccepto) solum ergo in dicto Sabbato deberet fieri de Dominica memorata, & transferri Festum Semiduplex in eo occurrens, & à fortiori Semiduplex translatum, quando Feriae praecedentes omnes essent impeditae Festo Duplici occurrente, non tamen translato; Ita ut si esset aliqua dies, in qua reponi deberet aliquod Officium novem Lectionum, vel occurreret Officium Semiduplex ad libitum, Officium praefatae Dominicae II. debeat ea die recitari. Si verò tota Hebdomada fuerit impedita Officio Duplici occurrente, in Sabbato fiat Commemoratio ejusdem Dominicae in Laudibus & Missa cum 9. Lectione Homilia ad Matutinum. Et haec pro Rubrica Generali. Festum autem Semiduplex in tali casu, quod in Ecclesia universali deberet respectivè transferri, esset, ut dixi, S. Hilarii 14. Jan. vel S. Marcelli 16. & S. Gaudii 19.

III. Gavant. pag. 90. col. 2. num. 4. -- *Eo casu erit satis, Commemorationem fieri Domini & II. in Sabbato &c.* Resolvit hic optime Gavantus, quòd si in tota praedicta Hebdomada post Octavam Epiphaniae, dies essent impediti Festo Duplici, nullum ex illis esset transferendum, sed sufficeret in eo casu facere Commemorationem dictae Dominicae in Sabbato; huic Gavanti sententiae licet repugnare non audeat Guyetus citatus, tamen ibidem ait, se non refellere eum, qui

GAVANT. Rubr. Brev.

pro faciendo Officio dictae Dominicae, transferret ex illis Festis Duplicibus unum aliquod minus, putans sic se loqui magis conformiter ad Rubricam citatam. Sed nostri Gavanti doctrina est omnino sequenda, quia, cum in Rubrica citata dicatur, quòd Festum Semiduplex transferatur, & nulla fiat mentio de Duplici, evidenter sequitur, nullum Festum Duplex esse transferendum, ut detur locus Officio dictae Dominicae. Id etiam clarissimè patet in cit. Rub. Miss. posita ante Dominicam 2. Epiph. in qua habetur -- *Si verò Sabbatum fuerit impeditum Festo Semiduplex, tunc prima die post Oct. Epiph. in qua non sit Festum Duplex, dicitur Missa de 2. Dominica, & Festum Semiduplex in eo occurrens transferatur* -- En igitur, Festum Duplex non esse transferendum, sed solum Semiduplex ad faciendum Officium de dicta Dominica. Superest adnotandum hoc loco, quòd quando in Sabbato, vel alio die sit solum Commemoratio dictae Dominicae, licet Antiphona tumatur illa, quae est propria Dominicae ad *Benedictus*; Versiculi tamen sumi debent ex Feria currenti.

Licet juxta opinionem Guyeti *lib. 4. cap. 2. quest. 4.* asserentis, quòd si in praedicto Sabbato fuerit Festum Patroni, aut aliud quavis primae, vel etiam secundae Classis, incongruum non erit anticipare Commemorationem dictae Dominicae die praecedenti, attamen ex Rubricis generalibus, & aliis particularibus, necnon ex eis deductis, eidem opinioni minimè possum adhaerere, quia si in Duplici primae Classis sit Commemoratio de 4. Temporibus, & similibus, à fortiori debet fieri Commemoratio Dominicae, quae non potest celebrari in die propria, & juxta Rubricas anticipatur.

IV. Gavant. pag. 90. col. 2. n. 5. -- *Si Octava celebretur in ea Hebdomada &c.* Quid sit faciendum, si in Hebdomada, in qua esset recitandum Officium de dicta Dominica, celebraretur aliqua Octava, resolvit Gavantus, quòd tunc fiat prima die infra talem

K k

Octa-

Octavam Officium de Feria cum tribus Lectionibus de Dominica, ut supra, & quod in eo casu omittendæ sunt preces feriales, & Suffragia ratione Octavæ. Guyetus tamen *lib. 4. cap. 18.* acerrimè impugnat hanc Gavanti sententiam, immò fatetur, in nullo se repugnantiozem esse Gavanto, quàm in hoc placito. Rationem autem, quam affert Gavantus pro tuenda sua opinione, ita refellit laudatus Auctor; nimirum, non quia Semiduplici cedit dies infra Octavam, debet à fortiori cedere huic Officio Dominicæ, nam ideò cedit dies infra Octavam Festo Semiduplici, quia cum ambo sint ejusdem Ritus, & Sollemnitatis, Semiduplex, quod per se Festum est, eo vel Titulo præfertur diei infra Octavam, quæ non est nisi repetitio, seu continuatio Festi. At Festum Semiduplex non ideò cedit Officio Dominicæ anticipatæ, quia hoc sit æqualis Ritus, ac Sollemnitatis cum illo; immò est inferioris, sed quia tali privilegio gaudet, ut cum de eo fieri necesse sit, nec possit, nisi isto die, Festum Semiduplex in ea occurrens transfertur; Ipsum verò Semiduplex sic translatum nullum inde accipit detrimentum; quippe suum æquè integrum Officium alio die est recuperaturum: at dies infra Octavam cedens hujusmodi Officio Dominicæ, cum sola Commemoratione peragitur; & ideò aliquod recipit detrimentum. Alio etiam utitur argumento Guyetus ad refellendum Gavantum, scilicet, quia privilegium uni Officio, etiam inferiori, concessum, non ideò alteri, etiam superiori, conceditur, v. g. Festum Semiduplex quamvis cedat diei infra Octavam Corporis Christi, tamen non cedit diei infra Octavam Sanctissimæ Trinitatis, ubi ea sit, utpote cui, vel ipso Gavanto teste, cedit ipsa Octava Corporis Christi. Verùm hoc argumentum valet utique contra Gavantum, qui hanc tenuit sententiam, quod celebrantes Octavam Trinitatis, de ea debeant celebrare Officium in Feria VI. & Sabbato post Festum Corporis Christi, cum sola Commemoratio-

ne ejusdem Octavæ; nos verò supra inherentes Decretis S. C. sustinimus, Octavam Corporis Christi, utpote sublimioris Ritus, seu saltem magis privilegiatam, non cedere Octavæ Trinitatis, unde quoad nos hoc secundum Guyeti argumentum nullum robor habet. Absurdum quidem cum eodem Guyeto reputamus, quod dicatur Officium feriale pro celebrando Officio dictæ Dominicæ, & debeant omitti preces cum Suffragiis ratione Octavæ; reverà siquidem, quis unquam audivit, ut fiat Officium de Feria, ut in Psalterio, sine precibus, ac Suffragiis, maxime de Cruce, quod est veluti Officii Ferialis proprius character, ac nota præcipua? Et equidem infra mentionem facimus de Decreto, quo S. R. C. præscripsit, quod qui habent privilegium faciendi aliquam Octavam infra Quadragesimam, Feria IV. Cinerum semper dicant Officium Feriale, sed cum precibus, & Suffragiis, etiam si dicta Feria incidat infra Octavam concessam celebrari etiam Quadragesimali tempore. Eccc igitur, quod preces Feriales, & Suffragia nunquam sejunguntur ab Officio Feriali. Quapropter dicendum est in presenti controversia, Rubricis fore conformis, si de hac Feria infra aliquam Octavam perinde agatur pro anticipanda Dominica, atque de Vigiliis infra Octavas occurrentibus, ut videlicet fiat Officium de die infra Octavam cum nona Lectione de Homilia, & Commemoratione Dominicæ. Missa verò non erit de Octava, sed de ipsa Dominica, sine Gloria, & Credo cum Commemoratione Octavæ. Vide, quæ diximus superiori Tomo de Missa Vigiliæ cadente infra aliquam Octavam. Hanc servando æconomiam Officii Divini in prædicto casu, vitantur absurda illa, ut ait Guyetus, quæ incurri necesse esset, si Officium fiat de Feria; Quæ verò Dominicæ anticipandæ propria sunt, nempe Homilia in Evangelium, Antiphona ad *Benedictus*; & Oratio, & quod omnium præcipuum est, Missa integra, recitantur.

V. Gavant. pag. 91. col. 1. n. 7. -- Officium Dominica III. vel IV. &c. si post Epiphaniam minus habeat locum &c.) Contingit aliquando, ut optime advertit Gavantus, quod Dominica tertia vel quarta, vel quinta, vel sexta post Epiph. non possit expleri suis diebus, immo ita superfit, ut ea poni suo loco nec possit ante Septuagesimam, nec poni etiam possit post Dominicam 23. à Pentecoste (uti circa Dominicam sextam contigit Anno 1710. & circa quartam An. 1711.) ideo juxta Rubricam generalem tertiam, n. 4. & 5. & juxta Gavantum nostrum hoc loco, tunc fieri debet de ejusmodi Dominica in Sabbato Dominicam Septuagesimæ præcedente, non inædito tamen Festo novem Lectionum seu occurrente, seu translato; vel etiam Octava, alioquin in alia die anteriore illius Hebdomadæ similiter non impedita (quæ tamen sit omnium proxima ipsi Sabbato) dicendo in dicta die Officium de Feria currente ut in Psalterio, cum Commemoratione Festi Simplicis, si quod ea die occurrat, & legendo tres Lectiones de Homilia talis Dominicæ anticipatæ, omittis vel translatis (si sint initium aliquod libri Sacræ Scripturæ, cujus Lectio profequi debet) Lectionibus Scripturæ illius Feriæ, & omittis pariter Lectione de Simplicis, si occurrat; dicendo tamen responsoria Feriæ currentis, nisi fortè tria prima Responsoria Dominicæ anticipatæ nondum illo anno sint recitata; tunc enim Responsoria desumi deberent ex primo Nocturno Dominicæ ejusdem anticipatæ. In tali Officio cum sit Feriale quoad Ritus, non dicitur *Te Deum*, adeoque dicitur tertium Responsorium. In Laudibus (pariter de Feria currente dicendis) Antiphona ad *Benedictus* uti & Oratio (non tamen Versus post Hymnum) sunt de eadem Dominica anticipata, & dein-

de subneantur Commemorationes &c. -- ac etiam de Cruce cum Officium sit Feriale.

Quòd si inter Festa novem Lectionum, quibus in dato casu tota Hebdomada est impedita, sit aliquod Festum ad libitum (v. g. Sanctus Canutus Mart.) occurrens ante Sabbatum immediatè præcedens ante Dominicam Septuagesimæ Festo alio novem Lectionum de præcepto impeditum, tunc ad diem illum, quo ejusmodi Festum ad libitum occurrit, potest anticipari modo prædicto Officium & Missa Dominicæ, quæ nec Sabbato ante Septuagesimam, nec post Dominicam 23. à Pentecoste celebrari potest, omisso pro eo anno dicto Festo novem Lectionum ad libitum. Si verò alicui placeat die illo recitare Officium de Festo ad libitum, tunc in ejusmodi casu, quia ob tale Festum tota Hebdomada est impedita Festis novem Lectionum; ideo Sabbato Dominicam Septuagesimæ præcedente fiat Commemoratio cum nona Lectione de eadem Dominica anticipata, & ejusdem Evangelio in fine Missæ. Quæ Commemoratio fieri deberet etiam si in prædicto Sabbato occurreret Festum I. Classis: si enim hujusmodi Festum non excludit à suo Officio Commemorationem cujuscunque Feriæ majoris, & nonam de hac Lectionem ac ultimum Evangelium, à fortiori non excludet Commemorationem &c. ejusmodi Dominicæ, & hanc sententiam tenet etiam Halden p. 1. tit. 6. necnon Cocquetius apud eundem, quam nos etiam in nostris Tabulis sequuti sumus. Cæterum observandum est, quòd de hujusmodi Dominicis anticipatis, neque in primis, neque in secundis Vesperis fieri debeat ulla Commemoratio, cum Officium earum non celebretur nisi Ritu Feriali.



## Novæ Observationes &amp; Additiones ad Gavanti

## Cap. IX. De Septuagesima, &amp; Dominicis Sequentibus.

I. Gavant. pag. 91. col. 1. n. 1. -- *Depo-  
nitur in Septuagesima Alleluja bis eo canta-  
to &c.*) Ad Vesperas Sabbati præcedentis  
Dominicam Septuagesimæ, sive celebretur  
Officium de Festo, sive de Feria, quando  
post ultimam Orationem pronunciat *Be-  
nedicamus Domino*, subnectitur à Cantoribus,  
vel ab Hebdomadario bis *Alleluja*, & re-  
sponso à Choro *Deo gratias*, repetitur pari-  
ter bis *Alleluja*, ita usus Romanus proscripsit  
antiquas repetitiones dictæ vocis *Alleluja*,  
quæ usque ad nauseam dicta die repeteba-

tur. Reformatio hæc emanavit ab Alexan-  
dro II. testante hoc Micrologo cap. 47. ut  
tradit etiam Gavantus, ut videlicet ejus ge-  
minatio, addit Durandus lib. 6. cap. 34. num.  
18. *ad finem præcedentis temporis referatur, &  
ejus dispositio luctui sequentis temporis assignetur:*  
tum quia *non decet*, inquit Leo IX. Cap. Hi  
duo *de consecrat.* dist. 1. *cantare Alleluja, quan-  
do Lapsus Prioplasti in Ecclesia recitatur:* re-  
citatur autem in Lectionibus hujus Domini-  
cæ.

## Novæ Observationes, &amp; Additiones ad Gavanti

## Cap. X. De Feria quarta Cinerum.

Gavant. pag. 92. col. 1. n. 1. -- *Est privi-  
legiata hæc Feria &c.*) Adeo est privilegiata  
hæc Feria, ut ei cedere debeat Festum qua-  
tecunque, etiam Patroni, aut Titularis &c.  
Rursus juxta Rubricam VII. *de Octavis*, ces-  
sant ab hac die omnes Octavæ, ita ut si ali-  
quod Festum, quod celebrari solet cum Oc-  
tava, paulo ante Quadragesimam venerit,  
& jam per aliquot dies factum sit Officium  
de ejus Octava, adveniente Quadragesima,  
adeoque hæc Feria IV. Cinerum, nil amplius  
sit de ea, nec Commemoratio: si autem dies  
Octavæ cadat in prædictam Feriam IV. Ci-  
nerum, quid, & quomodo agendum sit in  
pridianis Vesperis, satis innuimus supra in  
nostris Observationibus ad Cap. 2. Sect. 6.  
de Antiphonis majoribus Adventus, & etiam  
alibi, nempe in Observationibus ad Cap. 8.  
Sect. 3.

Quia tamen aliqui ex speciali privilegio  
celebrant aliquod Festum cum Octava etiam  
in Quadragesima, v. g. Benedictini de S. Be-  
nedicto, & de S. Scholastica, ut alibi dixi-  
mus, debemus hoc loco mentionem facere  
Decretorum editorum 24. Januarii 1682,  
quæ dantur in nostro Indice sub numeris 123.  
& 124. in quibus statuitur, quod qui ha-  
bent privilegia celebrandi Octavas in Qua-  
dragesima, non ideo debent facere Com-  
memorationem in Feria IV. Cinerum, & quod  
prædicto Officio Feriæ IV. Cinerum relin-  
quendo Commemorationem Octavæ, debent  
dicti privilegiati dicere Preces, Psalmos Gra-  
duales &c. quodve in Decr. S. R. C. de die  
23. Junii 1736. *in una Einsliten.* declaratur  
etiam pro Dominicis primæ Classis Quadra-  
gesimæ in die vel infra Octavam occurrenti-  
bus, & datur in nostro Indice sub n. 325.

## Cap. XI. De Dominicis Quadragesimæ.

*carec novis Observat. & Additionibus.*

Novæ

## Novæ Observationes, &amp; Additiones ad Gavanti

## Cap. XII. De Dominica Passionis.

I. Gavant. pag. 93. col. 2. n. 1. -- *Teguntur Cruces, & Imagines, &c.*) In pridianis Vesperis hujus Dominicæ juxta Romanum Ritus teguntur Imagines, & Cruces in Ecclesia; ita statuitur in Ceremoniali Episcoporum *lib. 2. cap. 20.* quod & in postrema recognitione auctoritate Urbani VIII. insertum fuit in Millali. In multis tamen Galliarum locis receptum est, ut id fiat Sabbato ante Dominicam primam Quadragesimæ; sed Romanus usus, & Ritus longè conformior est rationi, quam affert Durandus *lib. 1. cap. 3. n. 34.* qui tunc, inquit, divinitas fuit abscondita, & velata in Christo, permittit enim se capi, & flagellari, ut homo, tanquam non habens in se virtutem divinam; unde in Evangelio hujus diei dicitur: *Jesus abscondit se, & exiit de templo.* In Sacello Pontificio hac die juxta dispositionem Ceremonialis à Marcello Corcyrensi editi cum in fine Evangelii dicitur: *Jesus autem abscondit se, & exiit de templo,* Clerici Capellæ super Altare velum paratum cordulis in rotulis supra in altum confixis euntibus, sursum traherent, ut eo Imagines omnes ibidem depictæ cooperirentur. De hoc Ritu cooperiendi Imagines jam in superiori Tomo cum nostro Gavanto sermonem fecimus, unde videantur ibi dicta. Solum advertimus hoc loco, quod vela ista, quibus Cruces, & Icones Altarium cooperiuntur, debent esse violacei coloris, nec mutari opus est juxta colorem Festorum occurrentium. Nuda quoque sint oportet, ac plana, absque ulla Imagine, vel alio signo Crucis in medio intexta.

II. Gavant. pag. 93. col. 2. n. 2. -- *Si ut etiam in Invitatoro &c.*) Agit hic Gavantus de Rubricis præscribentibus omissionem *Gloria Patri* toto hoc Passionis tempore in Responsoriis &c. Præsertim verò in Invitatorio ad Matutinum; circa quod Invitatorium or-

ta fuit quæstio, an post versum *Quadragesima annis dicto ex integro in Officio de tempore Hodie si vocem Domini &c.* & omissio *Gloria Patri*, dici debeat à Cantoribus *Nolite obdurare corda vestra*, ac tum integrè repeti *Hodie si vocem Domini &c.* Hoc dubium fuit S. C. propositum, quæ respondit: omissis *Gloria Patri*, & *Nolite obdurare*, repeti tantum debere Invitatorium *Hodie si vocem Domini &c.* 4. Julii 1683. in *Ruremondan.* & in *Indice n. 143.*

III. Gavant. pag. 94. col. 1. n. 8. -- *In secundis Vesperis Dominica Passionis inchoato Festo per Commemorationem semiduplicis &c.*) In Responsorio brevi Completorii in secundis Vesperis Dominicæ Passionis vult Gavantus non esse omittendum *Gloria Patri*, si in prædictis Vesperis facta fuerit Commemoratio alicujus Festi semiduplicis die sequenti celebrandi; quia ait, inchoato Festo per Commemorationem semiduplicis, ea, quæ sequuntur, festiva censentur. Negat tamen hoc in primis Vesperis ejusdem Dominicæ Passionis, seu Palmarum, si fiat Commemoratio semiduplicis præcedentis, quia tunc Completorium sequens, ait Gavantus, habet magis de ratione Dominicæ jam inchoatæ in Vesperis, quam de ratione Festi jam finiti, & idcirco tunc debet omitti versus *Gloria Patri*. Non placet tamen Gayeto hoc Gavanti discrimen, tum quia utrumque Completorium tam Dominicæ, quam Sabbati, æquè pertinet ad Dominicam, ideoque si in uno omittendus est versus *Gloria Patri*, erit etiam in altero: tum quia ratio omittendi, quæ afferri potest optima, æquè pugnat pro utroque. Ratio autem optima hæc est, quòd cum id sit proprium Officij de Passione, ut omittatur *Gloria Patri* ad Responsoria breviora, perinde, atque propria est, v.g. terminatio Hymnorum in Festis

Domini, certè perinde debet servari ejusmodi omisso in omni hora, in qua incipit, & desinit Officium de Passione, atque retinetur terminatio propria Hymnorum in omni hora, in qua incipit, & desinit Officium Festi, cujus est propria; at in casu proposito incipit Officium de Passione à primis Vesperis Sabbati, & non terminatur nisi in Completorio Dominicæ, cujus sunt integræ Vesperæ, ergo ejusmodi omisso servari debet tam in Completorio Sabbati, quàm in Completorio Dominicæ, cum ad ideam Officium de Passione utrumque pertineat, hæc Guyetus lib. 4. cap. 18. quest. 26.

IV. Feria VI. hujus Hebdomadæ Passionis celebrari debet Festum Septem Dolorum Beatissimæ M. V. & recitari Officium sub Ritu Duplici majori juxta tenorem Decreti editi die 22 Augusti 1727. & dati in nostro Indice sub n. 269.

Hoc Officium taliter est proprium hujus Hebdomadæ, ut ultra hanc non sit celebrandum, & hoc declaravit S. R. C. die 19. Jun. 1700. in Curien. in nostro Indice sub n. 219. sequenti resolutione: *Si in Fer. VI. post Dominicam Passionis, in qua (in locis, ubi concessum est) celebratur sub Ritu Duplici majori Officium Septem Dolorum B. M. V. occurrat Festum Duplex 1. vel 2. Classis, dictum Officium non est transferendum, vel omittendum.* Advertendum tamen, quòd hæc resolutio non intelligitur de totali omissione in prædicto casu, cum possit celebrari in Sabbato proxime sequenti non impedito, nam die 3. Septembris 1672. emanavit hoc aliud Decretum: *Si Festum de Septem Doloribus B. M. V. occurrat in aliud Festum altioris Ritus, transferatur in Sabbatum sequens: Si verò occurrat cum Festo Annuntiationis ejusdem B. M. V. Vespera dicuntur de Annuntiatione sine Commemoratione de Septem Doloribus.* En igitur, quòd qui habebant specialem concessionem recitandi dictum Officium, poterant illud transferre in Sabbatum sequens. Decretum mox expòsitum datur inter Rubricas Brevia-

rii Ordinis Eremitarum S. Augustini pro mense Martii sub num. 1. Rursum habetur etiam aliud, & clarius simile Decretum editum die 26. Februarii 1693. in quo sic statuitur: *Si Festum de Septem Doloribus B. M. V. quòd multis in locis celebratur Feria VI. post Dominicam Passionis, impediatur ab Officio altioris Ritus, vel majoris dignitatis, transferatur in Sabbatum sequens non impeditum, & non ulterius.* Habetur hoc Decretum initio Breviarii Romani ad usum Fratrum Minorum Cappuccinorum pro mense Martio sub num. 1. ac etiam per modum Rubricæ hoc idem reperitur in Corpore Breviarii Monastici in fine mensis Martii.

Præfata Decreta concedebant translationem dicti Officii in Sabbatum sequens, si non fuisset impeditum aliquo Officio novem Lectionum, sed postquam emanavit Decretum Benedicti XIII. à nobis supra allegatum sub die 22. Augusti 1727. de celebrando hoc Officio in Ecclesia Universali, aliud emanavit Decretum die 25. Januarii An. 1729. datum in nostro Indice sub num. 272. in quo statuitur, quòd, quando in prædicta Feria VI. post hanc Dominicam Passionis ob concurrentiam Officii secundæ Classis, hoc Septem Dolorum B. V. recitari minimè valeat, idem Officium die Sabbati immediatè sequentis, non obstante, quòd dicta die occurrat aliud Officium alterius Sancti, dummodò non sit altioris Ritus, ab Ecclesia Universali in posterum celebretur, & Festum Sancti occurrentis, juxta Rubricas generales, transferatur. Quapropter modo transfertur dictum Officium in dictum Sabbatum, etiamsi fuerit impeditum alio Officio, inferioris tamen, vel æqualis Ritus, nam si idem Sabbatum occupatum fuerit ab Officio altioris Ritus, tunc Officium Septem Dolorum B. M. V. non erit amplius transferendum, sed omittendum, quia, ut diximus, extra præfatum Sabbatum ad tempus Paschale transferri nequit.

Ex Decretis supra expositis spectantibus ad hoc Officium sequitur primò, quòd, licet Officia universalia sint regulariter transferenda, hoc tamen Officium de Septem Doloribus excipitur ab hac Regula, quia non est transferendum nisi in Sabbatum sequens, & sic nunquam ad tempus Paschale facienda est de eo Festiva translatio; quando autem in Decreto supra allegato sub die 22. Augusti 1727. dicitur, *servatis in reliquis Rubricis Missalis, & Breviarii Romani*, hoc intelligi potest, vel de occurrentia alterius Officii ejusdem Ritus, & non dignioris in dictam Feriam VI. simul incidentis, & ideo transferendi; vel de alia occurrentia, alterius quidem Officii, sed altioris Ritus & dignioris, & ideo celebrandi, vel de concurrentia respectu Vesperarum digniorum cum Commemoratione de minus digno, quæ omnia profectò servari debent etiam in hoc Festo, & Officio Septem Dolorum, & quamvis, ut optimè notat etiam Johannes Baptista Pitonus in suis Constitutionibus, & Decisionibus pro Sacris Ritibus num. 1468. Noster Pasqualigus de *S. cris. nova Legis tom. 1. quest. 279. sub num. 2.* teneat, quòd, quando in Officiorum Indultis additur Clausula - *Juxta Rubricas Missalis, & Breviarii Romani* intelligenda venit facultas transferendi, atamen dicendum, quòd pro hoc Officio adest particularis exceptio, vel quòd etiam hoc reverà transfertur, sed in solam diem immediatè sequentem, & sic opinio tanti Auctoris etiam in hoc casu aliquo modo verificatur.

Secundò sequitur, quòd si primæ Vesperæ de dicto Festo Septem Dolorum concurre-

runt cum secundis de Annunciatione, ut accidit in Tabula XIII. & XIV. nostri Ordinis Perpetui, tunc in secundis Vesperis de Annunciatione non erit facienda Commemoratio de prædictis Septem Doloribus; ita etiam si secundæ Vesperæ de Septem Doloribus concurrerint cum primis de Annunciatione, ut evenit in nostra Tabula XII. tunc Vesperæ erunt de sequenti die sine Commemoratione præcedentis.

Adnotandum præterea est, quòd, quando primæ Vesperæ de eisdem Septem Doloribus fuerint impeditæ, sive à Festo Annunciationis, sive ab alio Officio altioris Ritus, tunc ut integra dicatur Sequentia, quæ dicitur loco Hymni, pars omnia in dictis primis Vesperis impeditis uniri debet alteri parti Matutini, sicuti fit in Hymnis S. Martinæ, & aliorum similium.

Et notandum etiam est, quòd in imagine B. M. V. quamvis pictæ ad representandum dolorem passum in morte Filii constantissimè retinendus est, tamen color caruleus, non verò niger, seu ater, cum minimè fingendum sit, eam veste lugubri voluisse prosequi funus Filii, quem certò sciebat esse Verbum Dei, ac voluntariè se offerre pro Redemptione totius generis humani, & post triduum cum majestate à mortuis surrecturum; & cum hæc imago Virginis juxta Crucem stantis depicta fuisset cum stola, sive Amiculo nigri coloris, S. R. C. jussit, ut depingeretur cum stola carulea, ut legitur apud Pascuccium in Compendio ad Consultationes Canonicas Jacobi Pignatelli *part. 1. de Canonizat. Sanctorum; & part. 2. tit. de Rit.*

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Cap. XIII. De Dominica Palmarum & Hebdomada majore.

I. Gavant. pag. 94. col. 2. num. 4. - - *In Horis Canonicis hujus tridui &c.* In postremo triduo majoris Hebdomadæ celebrat Ecclesia triduas exequias mortis Christi Do-

mini, ait Gavantus ex Ruperto, quomodo autem sint celebranda hujusmodi Officia, seu Horæ Canonice horum dierum, non ita exactè tradit Gavantus, ut nihil desiderandum

dum sit: quapropter aliqua suis Commentariis adjiciemus pertinentia ad Ceremonias, & Ritus servandos in Horis Canonicis recitandis, nam ea, quæ pertinent ad Missæ Sacrificium, & alias functiones Ecclesiasticas horum dierum, satis, & abundanter descriptimus cum eodem Gavanto in superiori Tomo.

Itaque pro Matutinis tenebrarum celebrandis Feria IV. hujus Hebdomadæ, Altare paramentis violaceis ornatur absque floribus, ac Sanctorum imaginibus, seu Reliquiis, & super illud sint sex candelabra ex materia obscura, & candelæ ceræ communis; à latere verò Epistolæ, in plano Presbyterii, ubi scilicet Subdiaconus cantare solet Epistolam, vel ubi poni solet Faldistorium Episcopi, dum in eo Episcopus celebrat, præparetur Candelabrum triangulare ligneum, in quo quindecim candelæ pariter ceræ communis pro Matutinis tenebrarum tantum, affigantur hinc inde gradatim insurgentibus septenis clavis ferreis, in supremo loco habentibus quintumdecimum, æqualiter inter se distantibus, cum suis lucernulis, seu girellis, opere tornatili elaboratis, si fieri potest, sintque candelæ prædictæ duarum, aut trium circiter unciarum, & quotidie hoc triduo, si fieri potest, renoventur.

Si Sanctissimum Sacramentum sit super Altare, ante quod dicendæ sint Matutinæ, omnino removeatur paulò ante Completorium, & cum debita decentia in aliquod Sacellum transferatur; in hoc Sacello servari debent lampades accensæ, quæ nunquam extinguï debent, donec ibi asservetur idem Venerabile. In Altari, à quo removetur SS. Sacramentum, debet relinqui ostium Tabernaculi apertum, ne adoretur, quod ibi non est.

Sed quia Matutinum hac die celebrandum, spectat ad sequentem diem, quæ sollemnis est, ratione Cænæ Dominicæ, ideò quamvis Officium ipsum ratione Dominicæ Passionis, quæ præcipuè recolitur, sit lu-

tuosum, Campanarum tamen sonitus harmonicus, & festivus esse debet, usque ad *Gloria in excelsis &c.* sequentis diei inclusivè.

Itaque hora convenienti, quæ erit media inter meridiem, & occasum Solis, postquam ter sollemniter pulsata fuerint Campanæ, inchoabitur Officium, ita ut circa occasum Solis terminetur.

Completorium hac die cantabitur more solito (post secundum Campanarum signum) in cujus fine dum dicuntur Preces flexis genibus, & Antiphona B. V. per Acolythum deputatum accenduntur cerei in Candelabro triangulari, incipiendo ab altiori, qui est in cuspide, & continuando prius à parte Evangelii, deinde à parte Epistolæ.

Rursus eodem tempore per alios pariter duos Acolythos deputatos accenduntur in Altari sex cerei, incipiendo juxta morem ab iis, qui sunt Cruci proximiores, quibus omnibus accensis, extinguuntur, & amoventur candelæ cum Candelabris, quæ accensæ fuerant pro Completorio, & interim hac die pulsantur tertio Campanæ, & datur tertium Matutini signum, quo terminato, & finita Antiphona B. M. V. flexis genibus, & post eam dictis secretò, more solito, *Pater noster, Ave Maria, & Credo*, & dato à Superiore signo, omnes surgunt, & versùs Altare inclinati, dicunt iterum secretò *Pater, Ave, & Credo*.

II. Gavant. pag. 95. col. 1. n. 8. - - *Prima Antiphona est: Zelus domus tua &c.* Officium immediatè incipit ab Antiphona *Zelus domus tua*, quam superior Celebrans inchoare debet, signans se interim signo Crucis, quod omnes pariter præstare debent in principio cujuslibet Horæ Canonice, Chorus deinde prosequitur Antiphonam, qua terminata, cum modica deflexione vocis, ut præscribit Directorium Chori antiquum, Cantores intonant Psalmos, qui graviter, ac devotè cantantur à Choro, absque instrumentis musicis, quæ nullo pacto in hujusmodi

modi Officiis adhiberi debent, & post tres Psalmos cujusvis Nocturni, iidem Cantores intonant juxta solitum versiculos, omnesque observant respectivè eodem Ritus, qui servari solent ad alias Matutinas sollempnes. Unde ubi solet præintonari Celebranti ab aliquo ex Cantoribus, seu ab alio principium Antiphonæ, etiam in his Matutinis eodem ordine, ac ritu præintonari debet.

In fine cujuslibet Psalmi, utroque Choro simul conveniente, aliquantulum inflectitur vox, quod in toto hoc triduo servatur in ultimo versu Psalmorum, ac in fine Lectionum, prout habetur in Directorio Chori & in Cærem. Paridis de Grassis l. 2. c. 50.

III. Gavant. pag. 95. col. 1. num. 9. *Ad animumque Psalmum extinguitur candela &c.* Finito quolibet Psalmo, Sacrista, vel potius aliquis Acolythus, facta in medio Chori, vel Presbyterii genuflexione ad Altare, & debito instrumento accepto, extinguit unam ex candelis in prædicto Candelabro triangulari positis, incipiens ab ea, quæ est in extremitate ejus à latere Evangelii, & post finem secundi Psalmi pari disciplina extinguit alteram candelam, quæ est in latere Epistolæ, incipiendo etiam ab illa, quæ est in extremitate ab eadem parte Epistolæ, & sic successivè alternatim ab utroque latere singulos cereos extinguit in fine omnium Psalmorum Matutini, & Laudum, usque ad supremum cereum, qui est in cuspidè exclusivè. Extincto quolibet cereo, prædictus Acolythus genuflectit Altari, & deposito extinctorio in loco congruo, recedit ad locum suum in cornu Epistolæ.

IV. Gavant. pag. 95. col. 1. n. 10. - - *In fine Psalmi cujuslibet Nocturni &c.* In fine tertii Psalmi cujuslibet Nocturni, & repetita Antiphona, si solent sedere, tunc surgunt omnes, & stant detecto capite, donec dicatur Versus cum Responsorio, & *Pater noster* secreto, quo finito, dum dicuntur Lectiones, omnes sedent, etiam illi, qui stantes solent cantare Psalmos.

Gavant. Rubr. Brev.

V. Gavant. pag. 95. col. 1. n. 11. - - *Neque dicitur Jube Domne &c.* Tunc deputati ad cantandas Lectiones, incipiendo à junioribus, unus post alium accedunt cum debitis reverentiis Altari, & Clero ab utraque parte Chori, ducente aliquo Ceremoniario, vel Acolytho, ad legile (quod nudum esse debet) in medio Chori præparatum, vel ubi Lectiones solent legi, & non præmittendo *Jube Domne &c.* cantant successivè Lectiones tono in Directorio Chori explicato; Celebrans tamen ultimam solet cantare, qui ritus servari debet, nisi alicubi alia sit consuetudo. In fine cujuslibet Lectionis non dicitur *Tu autem Domine &c.* sed Lectiones primi Nocturni, desumptæ ex Lamentationibus, seu Threnis Hieremiæ Prophetæ, concluduntur per illa verba: *Jerusalem, Jerusalem, convertere &c.* inflectendo tamen parumper vocem. Cantata Lectione, factis iterum reverentiis à Cantore Altari, & Choro, pergit ad locum suum. Lectiones verò secundi, & tertii Nocturni pari modo, sed diverso tono cantantur, ordine supradicto, & proferendo ultima Lectionis verba, fit aliqua vocis inflexio. Responsoria cujuslibet Lectionis cantantur, ut in aliis Matutinis, & post tertiam Lectionem cujuslibet Nocturni, repetita per Chorum ultima parte Responsorii post Versum, Chorus totum illud repetit à principio.

Advertendum tamen est, quòd qui trans-eunt ante Crucem, in medio majoris Altaris positam, toto hoc triduo, quod incipit à supradicta remotione SS. Sacramenti, hoc etiam absente omnes debent genuflectere unico genu, præter Celebrantem paratum, qui solum profundam facit reverentiam, nisi aliud notetur, quia in die Parasceves etiam ipse genuflectit; coram aliis verò Crucibus, quæ in Altaribus reliquis, aut locis positæ sunt, sola inclinatio ab omnibus est de more faciendâ.

VI. Gavant. pag. 95. col. 2. num. 17. - - *Antiphona ad Laudes &c.* Laudes cantantur

L 1

tur eodem modo, quo Matutinum, cum extinctione unius candelæ in fine unius Psalmi, post quem reperitur Antiphona, ut dictum est de Psalmis Matutini. Prima Antiphona inchoatur à Superiore, seu ab alio Officiatore, sicut & Antiphona ad *Benedictus*. Canticum *Benedictus* cantabitur alternatim ab utroque Choro, sicut in aliis Matutinis in tono sollempniori ipsius Antiphonæ, quæ ei præmittitur; si ad alios Psalmos sedere solent in Choro, ad hoc Canticum, omnes, qui adsunt, stant nudo capite, interim verò à Sacrista, vel ab alio lampades omnes, & alia omnia luminaria Ecclesiæ extinguuntur, præter illa, quæ ardent coram SS. Sacramento. Cùm autem in dicto Cantico cantatur versiculus ille: *Ut sine timore &c.* vel Acolythus ille, qui extinguit candelas trianguli, vel alius incipit extinguere singulatim ad quemlibet ex sequentibus versiculis singulos sex cereos Altaris hoc ordine. Ad dictum versiculum *Ut sine timore &c.* extinguitur primus cereus, qui est remotior à Cruce Altaris in cornu Evangelii. Ad sequentem versiculum: *In sanctitate &c.* extinguitur secundus cereus, qui est remotior à Cruce à parte Epistolæ. Et sic successive alternatim extinguuntur singuli cerei ad singulos versiculos, ita ut non nisi in fine versiculorum remaneant extincti. In nostra Congregatione adhibentur duo Clerici retro Altare stantes ex utraque parte, quorum unusquisque utitur extinctorio, & vicissim extinguunt prædictos cereos. Juxta sententiam tamen Bauldry, alius servatur ordo in extinctione horum cereorum, nam præscribit, quòd incipiatur ab eo, qui est remotior à Cruce, & deinde procedatur ad duos immediate sequentes; deinde, his tribus extinctis præscribit, quòd Minister accedat ad aliud cornu Altaris, & eodem ordine extinguat tres alios cereos in cornu Epistolæ, incipiendo pariter ab eo, qui est à Cruce remotior. Rursus in Ceremoniali Cathedralis Parisiensis, necnon in Monastico S. Mauri disponi-

tur, quòd in extinguendis hujusmodi cereis, tam Altaris, quàm trianguli incipiatur ab eo, qui est à latere Epistolæ.

Dum reperitur Antiphona Cantici *Benedictus*, Minister remouet ex cuspide Candelabri cereum ibi relictum, eumque accensum sustinet genuflexus, manu elevata super cornu Epistolæ Altaris, & cùm inchoatur versus *Christus factus est &c.* illum sic accensum abscondit in eodem Epistolæ cornu sub Altari, vel alio modo post Altare, ita ut tale lumen non appareat.

VII. Gavant. pag. 95. col. 2. num. 18. - Versus ille: (*Christus factus est &c.*) Finita Antiphona Cantici *Benedictus*, solus Celebrans, seu Superior cantando gravi voce, inchoabit versum: *Christus &c.* non plura; in aliis verò horis incipiet præfatum versum dicendo sine cantu hæc verba: *Christus factus est*, nec plura, nec pauciora, toto hoc triduo, Choro cætera eodem tenore prosequente, prout in Breviario.

Cùm inchoabitur ille versus, omnes genuflectent nudo capite usque ad finem Matutinarum, & postquam secretò dictum fuerit *Pater noster*, Officiator, vel Superior incipiet Psalmum *Miserere mei Deus*, humiliori voce, & cum inflexione modica ad ultimam verba versus ultimi. Finito hoc Psalmo idem, qui supra permanens genuflexus, id quòd etiam faciet ad omnes horas hujus tridui, inclinato paululum capite, absolute, ac eodem tono dicet Orationem *Respice, quesumus &c.* non præmittens *Domine vobiscum &c.* neque *Oremus*; ac in fine inflectet paululum vocem, ut supra, & secretò dicet cum omnibus aliis, *Qui tecum vivit, & regnat &c.*

VIII. Gavant. pag. 96. col. 1. num. 21. - *Fragor denique sit, & strepitus &c.* Oratione completa, Superior Chori, vel Ceremoniarus excitabit fragorem, ac strepitum, percutiens manu librum, aut scabellum; ac similiter omnes alii facient, donec Acolythus deputatus accensum cereum, quem tenebat occultum, spatio Dominicæ Orationis, vel

cir-

circiter à finita prædicta Oratione, illum producat, & in summitate Candelabri suo loco reponat, hoc enim prolato, omnes à strepitu cessare debent, & Ecclesiæ Custodes invigilare, ne strepitus ulterius protrahatur, in illis locis præsertim, in quibus fit talis fragor cum excessu.

Terminato sic Matutino, hac die non datur Campanula signum, neque ubi moris est, & diebus sequentibus, neque dabitur hoc signum cum crotalo; omnia enim his diebus terminant cum prædicto fragore, & solum post ipsum, ubi moris est, fit aspersio Aquæ benedictæ in Choro, deinde omnes sub silentio discedunt.

Si tamen Matutinum terminatur hora convenienti, nempe hora Vespertina, hac die pulsatur in Turri Salutatio Angelica signo Campanæ, non verò duobus diebus sequentibus, in quibus hoc signum debet dari Instrumento ligneo.

Post Matutinas tenebrarum, & omnia prædicta, extinguetur cereus, qui per aliquod spatium in cuspide Candelabri accensus remanere debuit, & deinde aufertur idem Candelabrum triangulare cum candelis, quæ, ut diximus, non amplius reponuntur eadem, sed earum loco aliæ novæ, si fieri possit.

Duobus diebus sequentibus, prædicta omnia observari debent, cum aliqua tamen

differentia, nam Altare his diebus, pavementum, & alia similia profus denudantur; Completorium, & aliæ horæ minores dicuntur sine candelis accensis, prout etiam notat Gavantus supra num. 29, ad Vesperas tamen accendi debent, & juxta Gavantum, etiam in horis minoribus ante Missam Feriæ V. quamvis hoc non sit in usu apud omnes Ecclesias.

Hoc triduo ad Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, & Completorium Cantor, seu Officiator tantummodo incipiet primum Psalmum, & Chorus alios simul prosequitur, ac si tantum essent versus unius, & ejusdem Psalmi usque ad ultimum illius horæ versum inclusivè, qui terminabitur cum modica inflexione vocis. In Vesperis verò, in quibus Psalmi dicuntur cum Antiphona, Cantores inchoabunt omnes Psalmos de more, & terminabuntur cum modica inflexione vocis. Cerem. Monast. lib. 4. cap. 8.

Si in Altari Majori sit Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti, prima die tantum, finitis Matutinis, reponitur cum luminibus, nempe aliquis Sacerdos Cotta, & Stola albæ, ac velo etiam albo paratus, præcedentibus duobus Clericis cum intorticiis accensis, transfert Sacram Pyxidem ab Altari, in quo reposita fuerat, ad Altare Majus, & tunc coram illo lampades accensæ manere debent.

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Cap. XIV. De Paschate & ejusdem Octava.

I. Gavant. pag. 97. col. 1. *De Paschate.*) In tomo altero ostendimus, diem Paschæ semper cadere in Dominicam proximam post plenilunium Martii, vel quæ est in ipso plenilunio, nunquam ante illud, ne unquam conveniamus cum Judæis, qui luna, sive die quartadecima Martii Pascha celebrant, nam ubi nos solari, ipsi lunari utebantur anno, de qua re præter auctores à nobis ibi citatos videri etiam poterit Cornelius à La-

pide in *Exod. cap. 12.* Si Festum S. Marci, & consequenter Litanæ Majores incidant in Paschatis diem, quid faciendum sit, dicitur infra *cap. 16.* Hoc die Sancto Paschæ decet, ut Matutinæ sollempniter ante Auroram (quo tempore nimirum resurrexisset à mortuis Christum credimus,) celebrentur. Ad Laudes, & Vesperas Celebrans intonat sollempniter Antiphonam: *Hæc dies, &c.*

Ad Primam verò dum Lector Martyrologii annunciat hodie tono sollemniori sollemnitate Paschalem dicens: *Hæc dies, quam fecit Dominus &c.* Omnes in Choro stant nudo Capite: cum verò postea dicuntur Kalendaræ, & annunciat Martyrologium sequentis diei, omnes sedent more solito. Ad Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam, post *Deus in adiutorium*, & *Gloria Patri &c.* cum *Alluja* in fine, dicuntur immediatè Psalmi consueti (qui ad Primam sunt iidem, qui in Festis, scilicet *Deus in nomine tuo, Beati immaculati*, & *Reverbe*) quibus finitis inchoatur ab Officiatore Antiphona *Hæc dies*, quam prosequitur Chorus, & postea dicitur Ora-

tio, quæ ad Primam est, ut in Psalterio, *Domine Deus &c.* & post eam reliqua, prout in Psalt. ad Primam in Dominica. Lectio brevis: *Si consurrexeris cum Christo &c.* ut ibidem.

Ad reliquas Horas minores post Antiphonam: *Hæc dies &c.* Psalmis consuetis immediatè subjunctam, dicitur ab Officiatore: *Dominus v. biscum &c.* & Oratio diei posita in Laudibus, ac reliqua pro more.

In fine Laudum, ac Vesperarum tantum dicitur *Benedicamus Domino, Alleluja, Alleluja*, & respondetur *Deo gratias, Alleluja, Alleluja*, & ita cantantur Horæ Canonice usque ad Vesperas Sabbati in Albis exclusivè.

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Cap. XV. De Tempore Paschali.

I. Gavant. pag. 98. col. 1. num. 2. - - *In secunda Feria &c.* Si Festum Annunciationis B. M. V. occurrat in Parasceve, vel Sabbato Sancto, sicut contingit in nostris Tabulis perpetuis V. & VI. tunc ex Decreto S. R. C. edito 11. Martii 1690. & dato in nostro Indice sub n. 159. transfertur ejus Officium, unà cum præcepto audiendi Missam, & vacandi ab operibus servilibus, ad hanc Feriam secundam post Dominicam in Albis, ita ut alia Festa, vel prius translata, vel in hanc Feriam incidentia, si hæc posteriora non sint altioris Ritus, protrahenda, vel transferenda sint (quoad Officium, & Missam) in aliam diem non impeditam; eò quòd per dictum Decretum ab Alexandro VIII. approbatum, hæc Feria II. sit dies fixa in tali eventu pro dicta Festivitate Deiparæ. Unde deducitur, quòd si Festum Annunciationis, quod est secundæ Classis, ob Festum aliud altioris Ritus, nempe primæ Classis, in eadem hac II. Feria occurrens, aliquando, aut alicubi transferri debeat quoad Officium, & Missam; non propterea transferri debet obligatio in hac eadem Feria II. audiendi Missam, & vacandi ab omni opere servili, quia semper

perseverat Annunciationis Festum hæc die affixum in prædicto eventu; Quo die in tali casu prohibentur Missæ in Oratoriis privatis.

Quamvis tamen Annunciatio tanquam Festum secundæ Classis cedere debeat Festo altioris Ritus, seu primæ Classis occurrenti in hac Feria II. ut exprimitur etiam in Decreto allegato S. C. non tamen cedit Festo altioris Ritus solummodò translato, eò quòd hæc Feria II. est dies fixa pro Festo Annunciationis, quando hoc à Parasceve, aut Sabbato Sancto in eam transfertur, atque adeò impedit respectu alterius Festi etiam Ritus altioris, quando hoc ob proprium suum diem impeditum necesse habet pariter transferri.

Videndum est etiam Decretum editum die 14. Junii 1692. & positum in nostro Indice sub num. 171. in quo statuitur, ut quotiescunque contingat Annunciationis Festum etiam quoad solum Officium post Octavam Paschæ transferri, idem ceteris Festis æqualis Ritus semper præponatur, licet temporis ordine sit in Kalendario posterius illis, ex quo sequitur, quòd si hoc modo transferri debeant Festum S. Joseph, & Festum prædictum

dictum Annunciationis, licet utrumque sit secundæ Classis, & Festum S. Joseph sit prius in Calendario, tamen ob reverentiam Incarnationis prius transfertur memoratum Festum Annunciationis; ubi autem S. Joseph est Patronus loci, seu Ecclesiæ Titularis, prius transferendum esset hujus Festum ob majorem Ritus sublimitatem.

In nostris Observationibus supra ad Cap. VII. Sect. III. num. XV. agitavimus quaestionem, utrum, quando celebratur Festum Annunciationis hac II. Feria tanquam die fixa, juxta allegatum Decretum S. C. ab Alexandro VIII. approbatum in Ecclesiis sub eodem Titulo Annunciationis B. M. V. consecratis, possit celebrari idem Festum cum Octava? & fuimus in sententia affirmativa, videri igitur possunt ea, quæ ibidem à nobis dicta sunt.

II. Gavant. pag. 98. col. 1. n. 3. - - *Psalmi dicuntur hoc tempore Feriales &c.* Sicut toto hoc tempore Paschali in Officio de Feria dicuntur Psalmi Feriales ad Matutinum sub unica tantum Antiphona *Alleuja*, ita in Festis novem Lctionum Psalmi in quolibet Nocturno dicuntur sub prima tantum Antiphona ejusdem Nocturni, servato Ritu Duplici, vel Semiduplici competente ei Festo, de quo fit Officium.

In Festis Simplicibus pariter Psalmi omnes de Nocturno currentis Feriæ dicuntur sub una Antiphona *Alleuja*, ut notatur in Psalterio tempore Paschali, & in prædicta Feria II. post hanc Dominicam in Albis.

In Festis SS. Apostolorum, & Evangelistarum, necnon unius, aut plurimorum Martyrum hoc tempore Paschali occurrit Officium dicitur, uti notatur in Breviario suo loco, tempore Paschali.

In Festis verò B. M. V. Confessorum Pontificum, & non Pontificum, item Sanctarum Virginum, & non Virginum aliorumque non habentium Officium particulare pro tempore Paschali, Officium fit, ut aliis temporibus, nisi quod ad Invitatorium, Anti-

phonas, versusque Nocturnorum, ac reliquarum Horarum (exceptis tamen Versibus precum, quæ dicuntur ad Primam, & Completorium) necnon ad Responsoria Lctionum in Nocturnis additur in fine unum *Alleuja*, dummodo jam antecesserit *Alleuja* aliquo non terminentur, tunc enim aliud juxta Rubricas, non additur. Advertendum etiam, quod non dicitur tertium Responsorium in Officio Feriali, sed ejus loco Hymnus *Te Deum laudamus*, quia harum Feriarum Officium est Festivum usque ad Ascensionem, excepta Feria II. Rogationum, in qua dicitur tertium Responsorium loco *Te Deum*.

III. Gavant. eod. num. 3. - - *Ad Laudes iidem semper Psalmi dicuntur &c.* In Feriali Officio ad Laudes Antiphonæ, & Psalmi toto hoc tempore Paschali dicuntur de Dominica, ut in Psalterio tempore Paschali. Capitulum: *Christus resurgens ex mortuis &c.* uti notatur Feria II. post Dominicam in Albis in proprio de tempore, necnon in fine Laudum Dominicalium ante Canticum *Benedictus*. Hymnus, & Versus, ut in Dominica in Albis, Antiphona ad *Benedictus* propria, Oratio Dominicæ præcedentis.

IV. Gavant. eod. n. 3. - - *Et Commemoratio de sola Cruce &c.* Post prædictam Orationem fit in eodem Officio Feriali Commemoratio de S. Cruce, non quidem illa, quæ alioquin dici solet per annum in Officio Feriali, sed alia Tempori Paschali propria, quæ pro Laudibus, ac Vesperis adnotata est dicta Feria II. post Dominicam in Albis in proprio de tempore, & dicitur quotidie in Laudibus, ac Vesperis usque ad Ascensionem tam in Officio de tempore, quam de Sanctis, nisi sit Duplex, vel infra Octavas: alia autem Commemorationes de S. Maria, de Apostolis &c. non dicuntur toto tempore Paschali.

*Prima* Ferialis Officii toto tempore Paschali dicitur, uti in Festis, dicendo tantum tres Psalmos consuetos sub Antiphona *Alleuja*, ut in Dominica tempore Paschali. Ca-

pitulum *Regi seculorum &c.* Hymnus cum clausula Paschali. In Responsoris Brevibus duplex *Alleluja* cum Versu: *Qui surrexisti à mortuis &c.* usque ad Ascensionem etiam in Festis (nisi proprium habeant, ut habent Festa B. M. V.) Preces de Dominica, ut ibi in Psalterio. Ad Absolutionem Capituli Lectio Brevis: *Si consurrexisti &c.*

Ad *Tertiam, Sextam, & Nonam* in Feriali Officio huius Temporis dicuntur Hymni cum clausula Paschali; Psalmi sub Antiphona *Alleluja*, ut in Dominicis tempore Paschali modo notato in Psalterio, & proprio de tempore dictæ Feriæ, Capitula, & Responsorialia Brevia uti notantur ibidem, Oratio Dominica præcedentis.

Ad Responsorialia Brevia prædictarum Horarum tum in Ferialibus, tum in Festis occurrentibus hoc tempore Paschali, nempe ab Octava Paschæ, usque ad Sabbatum post Pentecosten inclusive, ante primum Versum dicantur duo *Alleluja*, quæ etiam post dictum primum Versum ante *Gloria Patri*, repetuntur loco partis Responsorii (extra tempus Paschale alioquin poni solitæ) in fine au-

tem secundi Versiculi dicatur tantum unum *Alleluja*, ut in Rubrica Sabbati in Albis, ac Rubrica generali 28. num. 5.

Vesperæ FERIALES dicuntur sub una Antiphona *Alleluja*, in Festis verò dicuntur pro quolibet Psalmo suæ Antiphonæ sub Ritum Duplici, vel Semiduplici, vel propria, si eas habeant, vel de Communi, addendo in fine cujuscunque Antiphonæ *Alleluja*, prout fit ad Laudes; ad Completorium verò loco Antiphonæ *Miserere* dicitur *Alleluja &c.* prout notatur in Breviario. In Officio parvo B. M. V. quod tempore Paschali dicitur, in Choro non additur *Alleluja* Antiphonis, neque Versibus, neque Responsoris, ut habetur in Rubrica generali 37. & confirmatur S. C. Decreto edito die 28. Martii 1626. & dato in nostro Indice sub n. 52.

Ceterum sicut si fiat translatio alicujus Festi à Tempore non Paschali ad Paschale, recitantur Officium, ac Missa, prout tempore Paschali, ita, si fiat translatio à tempore Paschali ad non Paschale, recitantur prout tempore non Paschali.

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Cap. XVI. De Litanis majoribus & minoribus.

I. Gavanti. pag. 99. col. 1. n. 1. - *Si occurrant Litanie majores in Paschæ &c.* De Litanis tum majoribus, tum minoribus sermonem habuit Gavantus etiam tom. 1. part. 4. tit. 1. n. 7. & seqq. & nos quoque nonnulla ibidem observavimus, & addidimus, unde ne eadem hic repetantur, videantur ibidem dicta, præsertim quoad originem talium Litaniarum, & quoad Missam post eas celebrandam; hoc loco aliqua adjiciemus, spectantia ad Horas Canonicas recitandas in Ferialibus, quæ Rogationum dicuntur, & ad Ritum servandum in Processionibus, in quibus præfata Litanie recitantur.

II. Gavanti. pag. 99. col. 1. n. 2. - *Nunc autem Homilia legitur super Evangelium Mis-*

*se &c.*) Tres dies præcedentes Festum Ascensionis vocantur FERIAE Rogationum, quia in iis fiunt *Litanie minores*, id est, *Rogationes*, seu *Deprecationes*, ob remissionem peccatorum obtinendam, pacem, conservationem frugum, & cæteras necessitates; primus prædictorum dierum vocatur communiter FERIA II. Rogationum, quia occurrit in FERIA II. talis Hebdomadæ, & ita secundus dictorum dierum vocatur FERIA III. Rogationum &c. de quibus hoc loco notandum occurrit, quod FERIA II. Rogationum est *Feria major*, unde licet non excludat Festum novem Lectionum in ea occurrens, etiam translatum, quo minus in ea possit celebrari, debet tamen fieri semper de eadem FERIA

ria Commemoratio in Laudibus, ac Missa, & quidem ante Commemorationem Festi simplicis, si etiam de eo simul occurrente sit facienda commemoratio, attamen post commemorationem de die infra Octavam, si tamen simul occurrat. Rursus in eodem Festo occurrente in hac Feria debet de eadem legi nona Lectio, & in Missa ultimum legi Evangelium etiamsi tale Festum fuerit primæ Classis, quod diximus de Evangelio hujus Feriæ legendo in Missa, & de Commemoratione facienda, intelligi debet in Missis privatis, non verò in sollempni, quia hac die debent cantari duæ Missæ, si occurrat Festum, uti alibi diximus, quarum prima est de Festo, in qua nulla fit Commemoratio Feriæ, secunda verò esse debet de hac Feria, in qua nulla fit Commemoratio Festi.

Quòd si Festum duplex, aut semiduplex (etiam translatum) in hac Feria occurrens, non habeat proprias Lectiones in primo Nocturno, tunc Lectiones pro I. Nocturno Festi hodie occurrentis sumendæ sunt ex communi Sanctorum, nisi forte initium Epistolæ primæ B. Petri Apostoli heri poni non poterit, tunc enim hodie est ponendum in tali Officio de Festo in primo illius Nocturno, ut præscribit Rubrica generalis 26. n. 7. ac 9. Pari modo, ita disponente eadem Rubrica, sumendæ sunt Lectiones de Communi Sanctorum pro primo Nocturno, si hac Feria II. Rogationum occurrat dies infra Octavam. Si verò hac eadem Feria occurrat dies Octava alicujus Festi, tunc in primo Nocturno diei Octavæ repetendæ sunt Lectiones, quæ in primo Nocturno Festi habentis Octavam sunt lectæ.

Si autem Feria hac II. Rogationum nullum occurrat Festum novem Lectionum, nec dies Octava alicujus Festi, nec dies aliqua infra Octavam, Officium, & Missa fiet de ea, & color erit violaceus. Officium quidem dicetur, ut in Psalterio tempore Paschali. Lectiones propriæ de Homilia in

Evangelio cum tribus Responsoriis (quia non dicitur Hymnus *Te Deum*) ut ibi, & ut supra etiam nos diximus. *Ad Laudes* Antiph. & Psalm. de Dominica cum Antiphona ad *Benedictus*, & Oratione propria. Si simul occurrat Festum simplex, fit de eo Commemoratio in Laudibus, sed de eo non legitur nona Lectio. Non dicuntur preces feriales in hac Feria, sed tantum Commemoratio de S. Cruce suis locis, & quidem post Commemorationem de Festo simplici.

Præterire non debemus, quòd Congregationes illæ, Religiones, Ecclesiæ, seu Nationes, quibus alioquin à sede Apostolica indultum est, ut semel vel pluries in singulis Hebdomadis, aut mensibus dicant Officium, & Missam, v. g. de Sanctissimo Sacramento, aut certo aliquo Sancto diebus nullò Festo duplici, vel semiduplici impeditis, non possunt uti hoc suo Privilegio in hac Feria II. Rogationum, quamvis in eam nullum incidat Festum novem Lectionum. Hoc colligitur ex Decreto edito à S. R. C. 20. Martii 1706. dato in nostro Indice sub num. 236. & hoc Decretum habet etiam locum in Feria IV. Rogationum, seu in Vigilia Ascensionis Domini.

Vesperæ hujus diei, nisi cras occurrat Festum, dicuntur de Feria currente, ut in Psalterio tempore Paschali, ac proprio loco, cum Oratione Dominicæ præcedentis, & Commemoratione de Cruce, Antiphona ad *Magnificat*, ut in proprio de Tempore, color Altaris erit Albus. Si verò sequatur Festum solummodò simplex, tunc quidem Vesperæ usque ad Capitulum pauper eunt de Feria currente, ut in Psalterio tempore Paschali, sed à Capitulo dicuntur (ritu Paschali) de Festo cum Commemoratione de S. Cruce tantum, ut tempore Paschali, color erit Festo conveniens. Si denique cras occurrat Festum, aut Officium novem Lectionum, totæ Vesperæ erunt de illo, sine ulla Commemoratione, si illud fuerit duplex; vel tantum de S. Cruce, si fuerit semiduplex, nisi forte

fortè etiam simul occurrat Festum simplex; tunc enim etiam de hoc facienda erit Commemoratio in hodiernis Vesperis de Festo novem Lectionum (nisi hoc sit primæ vel secundæ Classis) ac crastinis Laudibus cum nona de eo simplici Lectione, (in Festo etiam 2. Classis tantum) si propriam habeat.

Si hoc triduo Festum non occurrat, Altarium Minorum paramenta erunt Officio conformia, Altaris autem majoris, vel ejus, in quo celebratur Missa Rogationum, debent esse conformia huic Missæ, saltem dum hæc celebratur. Vide Gav. Tom. I. part. I. Tit. XVIII. lit. a.

III. Gavant. eod. n. 2. - - De Feria III. Rogationum nulla fit Commemoratio.) Feria III. Rogationum, si in ea occurrat Festum IX. Lectionum, aut dies Octava alicujus Festi, aut dies infra Octavam, fit de illo tam Officium, quam Missæ etiam privatæ cum Commemoratione de Festo simplici in primis Vesperis, ac Laudibus (si quod simul in hac Feria occurrat) atque etiam nona de eo Lectione, si propriam habuerit; at verò de Feria III. Rogationum (quæ est tantum Feria minor) nulla fit Commemoratio, uti nec Festi simplicis, si Festum IX. Lectionum, de quo fit Officium, sit primæ Classis, aut non nisi in Laudibus, ac Missis privatis (cum IX. tamen, dicto modo, de eo Lectione) si sit duplex secundæ Classis.

Si autem hac Feria III. Rogationum occurrat Festum solummodò simplex, tunc fit Officium de eo sine Commemoratione de Feria occurrente, sed tantum de Cruce, ut tempore Paschali, at verò Missa dici tunc potest vel de Festo cum Commemoratione Rogationum, vel de Rogationibus cum Commemoratione Festi simplicis (ut dicitur in Rubrica propria) & tertia Oratio erit *Concede*, ac ultimum Evangelium S. Johannis in utralibet, ut etiam alibi innuimus. Paramenta Altarium minorum in tali Festi simplicis cum hac Feria Rogationum occurrentia, quoad colorem erunt conformia Officio, at verò Alta-

ris Majoris (saltem sub Missa sollempni) & celebrantium ad quodcunque Altare conformia erunt Missæ, quam celebrant, adeoque violacei coloris, si dicant Missam de Rogationibus, secus autem, si dicant Missam de Sancto.

Si denique Feria III. Rogationum nullam omnino occurrat Festum, nec trium, nec novem Lectionum, tunc Officium dicitur de ea, ut in Psalterio tempore Paschali, Lectiones Nocturni de scriptura occurrente, ut in proprio de tempore; Responsorialia duo pariter, ut ibi, post tertiam Lectionem non dicitur Responsorium, sed Hymnus *Te Deum Laudamus*: Ad Laudes Antiph. ut in proprio de tempore. Ad easdem, & reliquas Horas Oratio, ut in Dominica præcedenti.

Si autem nec hodie, nec cras occurrat Festum novem Lectionum, tunc hodiernæ Vesperæ totæ erunt de Feria III. currente, dicendo de ea Psalmos Ferialis sub una Antiphona *Alleluja*, ut in Psalterio tempore Paschali, & reliqua omnia dicentur de eadem Feria currente cum Antiphona propria ad *Magnificat*, & Oratione de Dominica præcedente, etiamsi cras fortè occurrat Festum simplex: & quia hoc sequenti die habere non potest Officium propter cras occurrentem Vigiliam Ascensionis, ideò nec convenit, illud habere hodie primas Vesperas à Capitulo (ut in Rubrica XI. de concurren-  
*Officii n. 9. & 10.* docetur) unde in tali casu de crastino Festo simplici in hodiernis Vesperis Ferialibus fit tantum Commemoratio, superaddendo quidem ei aliam Commemorationem Paschalem de S. Cruce, non verò Commemorationem de crastina Vigilia Ascensionis. Quòd si cras nullum occurrat Festum simplex, in hodiernis Vesperis Ferialibus fit tantum Commemoratio prædicta de S. Cruce, & Color Altarium erit albus.

IV. Gavant. pag. 99. col. 2. n. 5. - - *Fiat processio, non ante disc. datur ab Altari, quam sit cantatum inclusivè: Sancta Maria, ora pro nobis.* Antequàm agamus de Vigilia Ascensionis

sionis Domini, seu de Feria IV. Rogationum, (de qua inherendo Gavanti vestigiis, agemus infra cum eodem Cap. XVII.) sermonem instituímus de ritu servando in Processionibus, quæ sunt hoc triduo ante Ascensionem Domini, & in quibus recitantur Litanix. Modum itaque competenter instituíendi Processionem Litaniarum tam majorum, quæ recitantur in Festo Divi Marci, quam minorum, quæ recitantur hoc triduo, tradit Rituale Romanum in Rubrica, seu Titulo de Processionibus, nec non Ceremoniale Episcoporum Lib. 2. Cap. 32, & ex iisdem Castaldus in Ceremoniali nostræ Congregationis Lib. 3. Cap. 21. num. 5. & in Praxi Ceremoniarum Lib. 3. Sect. IX. Cap. 6. n. 1. & seq. Quarti in Lib. de Processionibus punct. 9. Bauldry part. 2. Manualis à Cap. 17. & part. 4. Cap. 12. à n. 9. nec non Gerlacus Vinitor part. 6. Tit. 20. ex quibus omnibus hæc colliguntur, servari debere in prædictis Processionibus.

1. Mandæ die, ac hora statuta, & pulsatis Campanis, Clerus indutus Cottis, & Populus in Ecclesia congregari debent, & ibi contrito, & humili corde Deum flexis genibus deprecari, & adorare. 2. Sacerdos Hebdomadarius debet in Sacristia indui Amictu, Alba, Cingulo, Stola, & Pluviali (vel in hujus defectu Stola supra Cottam, seu Superpelliceum) violacei coloris, & deinde præcedente aliquo Clerico Crucem ferente inter duos Acolythos deferentes Candelabra cum cereis accensis, procedit ad Altare majus, ibique Clerus in Presbyterio congregatus stando cantat Antiphonam *Exsurge Domine &c.* uti in Rituali Romano. 3. Repetita hæc Antiphona post primum versum Psalmi: *Deus, auribus nostris audivimus*, & Versu *Gloria Patri &c.* genuflectunt omnes, & duo Clerici, vel Cantores pariter ante ipsum Altare majus genuflexi, devotè cantare incipiunt Litanias omnium Sanctorum Choro respondente, vel easdem etiam repetente, si talis sit consuetudo, ut innuit Gavantus su-

Gavanti, Rubr. Brev.

præ, aut saltem si longior sit Processio. 4. Statim ut cantatum fuerit *Sancta Maria ora pro nobis*, & non priùs, surgunt omnes, ut docet etiam Gavantus, ac ordinatim procedunt egredientes ab Ecclesia, Litaniasque profequentes, præcedentibus eo, qui defert Crucem, necnon Acolythis Candelabra cum cereis accensis, seu intortitia deferentibus, deinde sequetur Clerus, ultimo verò loco Sacerdos paratus Pluviali, ut supra, & post eum Populus. Si autem Processio fiat tantum circa Atrium Ecclesiæ, vel circa ipsam Ecclesiam, tunc juxta sententiam Castaldi in nostro Ceremoniali *loc. cit.* egreditur, & incipit gyrum suum à latere Epistolæ, regrediens autem intrat in Presbyterium per Cancellos à latere Evangelii. 5. Quando Processio Ecclesiæ Cathedralis vadit usque ad Ecclesiam, ad quam dirigitur juxta morem, & consuetudinem cujuscumque loci, tunc Clerus ejus Ecclesiæ, ad quam Processio pergit, obviam veniet usque extra portas Templi, ibique stans eam recipiet, aliquo Sacerdote aspergente Aqua benedicta ingredienti Templum. 6. Postquam perventum fuerit ad dictam Ecclesiam, tunc si consuetudo habeat, ut ibi terminetur Processio, dicuntur (omnibus genuflexis, etiam Celebrante, qui tamen ad Orationes surgit) ea, quæ remanent pro terminandis Litanis, cum precibus, quibus in hunc modum absolutis, debet dici Missa Rogationum (& quidem sine Commemoratione Festi occurrentis) & sic finitur omnino Processio. Quia verò alicubi mos est, ut in ea Ecclesia, ad quam dirigitur Processio, statim ut ad eam pervenerit, decantetur quidem ibi Missa sollemnis de Rogationibus in paramento violacei coloris, non autem de S. Marco (si Processio est Litaniarum majorum, nec de alio Sancto occurrente, si fuerit Processio Litaniarum minorum) nisi hic fuerit Patronus Titularis illius Ecclesiæ, & celebrata ibi dicta Missa Rogationum, seu Processionali, tunc non terminantur ibi Litanix, sed Clerus simul, ac

M m

Popu-

Populus ab ea Ecclesia redire processionaliter debet ad primam Ecclesiam, unde discesserant, cantando in reditu vel partem Litaniarum, quæ remansit, vel si nihil remansit, recitando Psalmos Pœnitentiales, aut Graduales. 6. Processione in primam Ecclesiam reversa, ab omnibus genuflectitur, dicitur Psalmus: *Deus in adiutorium &c.* alternatim ab ipsomet Choro, incipientibus ipsum Cantoribus, & deinde ab Hebdomadario, seu Sacerdote Officiatore Pluviali induto, & ante summum Altare genuflexo, cantantur preces, quibus persolutis, ideam surgens, & stans subjungit Orationes in Breviario Romano post Litanias omnium Sanctorum assignatas, Clero tamen genuflexo respondente. 7. Advertendum superest, quod si Processio sit longior, & finiantur Litanie antequam perveniat ad dictam Ecclesiam, tunc Litanis usque ad preces exclusive absolutis, vel decantentur Psalmi (saltem aliqui) Pœnitentiales, aut Graduales, ut innuit etiam Gavantus, vel etiam repeti possent eadem Litanie, usque dum ventum sit ad Ecclesiam, ad quam terminatur Processio, & in qua debet dici Missa Rogationum. 8. Pariter notari debet, quod si in via divertendum sit ad Ecclesiam unam, vel plures, post ingressum in talem Ecclesiam, intermissis tantisper Litanis, vel Psalmis, cantatur Antiphona cum Versu, & Oratione de Sancto Patrono illius Ecclesie, sed juxta sententiam Castaldi *loc. cit.* in Praxi, dicitur illa Oratio, quæ recitari solet in Suffragiis, quæ sunt in Commemoratione per annum, non verò illa de ipsomet die Festi, nisi sit conformis Commemorationi. Eredientes verò resumunt Litanias, vel Psalmos ab eo loco, quo eos intermiserunt, eodem ordine procedentes usque ad Ecclesiam designatam.

V. Gavant. pag. 99. col. 2. num. 6. -- *Et respondi posse &c.* Proposita quaestione, an ille, qui recitat Vesperi Matutinum cum Laudibus, possit etiam statim recitare Litanias?

Gavantus respondit, posse, ea ratione ductus, quia Rubrica conjungit Litanias cum Laudibus, & accessorium, cujusmodi sunt Litanie, sequitur naturam sui principalis, quapropter si pridie possunt recitari *Laudes*, non est, cur non possint recitari Litanie. Hæc ex Gavanto. Hanc Gavanti sententiam suo quoque calculo olim probavit Gobat *tract. 5. num. 615.* at contrariam sententiam tenent Thomas Tamburinus *lib. 2. in Decalogum cap. 2. § 5. num. 7.* necnon Johannes Stoz in *Tribun. La Croix tom. 4. num. 190.* Halden *part. 1. tit. 27.* necnon *part. 2. tit. 4.* præcipue verò Guyetus *lib. 4. cap. 20. quest. 6.* qui validis profectò rationum momentis refellit Gavanti sententiam, ita ut Gobat eam tanquam probabiliorum in posteriore sui operis editione *tract. 5. num. 616.* amplexus fuerit. Rationes, quæ movent Guyetum, sunt, quia licet Litanie juxta Rubricæ dispositionem jungantur cum Laudibus, non tamen habentur, aut verè sunt pars illarum, adeoque iis Vesperi anticipatis, non sequitur, Litanias ipsas quoque posse anticipari. Sed fortiori argumento, & ad hominem confutat etiam hoc alio modo Gavantum, nimirum, quia ipsomet Gavantus *sect. 7. cap. 13.* ad diem 2. Novembris refert Decretum S. R. C. editum die 1. Septembris 1607. & præscribens, ne pridie Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum Vesperi recitetur, sed ipsa die mane, quamvis Matutinum, & Laudes Defunctorum æquè bene possent dici pars Laudum diei, ac Litanie, nam æquè Laudibus adjunguntur per Rubricam, & æquè iis adimunt Versum *Fidei lumen anima &c.* Adde, quod usus est multarum Ecclesiarum, ut Vesperi decantent Matutinum, & Laudes Defunctorum, at nullibi receptum est, ut Litanie majores, vel minores pridie decantentur, ergo juxta communem sensum magis sunt affixæ diei Divi Marci Litanie majores, & tribus diebus Rogationum Litanie minores, quàm sit affixum diei 2. Novembris Officium Defunctorum. Si igitur Gavan-

Gavantus in ea est sententia, quæ negat, posse recitari Matutinum, & Laudes Defunctorum pridie 2. Novembris post Vesperas, quomodo concedit, posse Litanias majores, vel minores eodem modo anticipari ante diem Divi Marci, vel ante dies Rogationum? Igitur sentiendum potius, prædictas Litanias verè addictas esse diei 25. Aprilis, & tribus diebus Rogationum, adeoque anticipari non posse.

Nec obstat, ut optimè notat Guyetus, quòd Psalms Graduales, & Pœnitentiales, qui præscribuntur recitari in Feriis IV. & VI. Quadragesimæ, possint ex Declaratione S. R. C. anticipari Vespèri, tum quia liberum non est, talem declarationem ad similia extendere, tum quia par non est utrumque ratio; Psalms enim prædicti extra Chorum recitantur ex devotione tantum, non verò ex obligatione, è contra Litanias prædictæ etiam à non interessentibus Processioni, si ad Horas Canonicas recitandas

obligantur, debent privatim recitari, ut docet etiam Gavantus num. 3. ex communissima, ac probabiliore sententia, fundata in *Cap. Rogation. de consecrat. dist. 3.* sunt enim pars notabilis Officii Canonici illius diei.

Alicubi toto hoc triduo (uti, & in Litanis Majoribus, seu Festo S. Marci, saltem si cadat extra Festa Paschalia) servatur, veteri more, abstinentia à Carnibus; alicubi verò non nisi in Vigilia Ascensionis, alicubi denique mos ille penitus exolevit. Quisque igitur sequatur consuetudinem suæ Diœceseos; Vide Gavantum *tom. 1. part. 4. n. 12.* Guyetum *loc. supracit.* de his, & aliis huc pertinentibus accuratè discutientem, necnon Claudium La Croix *lib. 4. num. 1291.* qui pariter *lib. 1. num. 571. & num. 592.* & P. Gobat tradunt Regulam cognoscendi, an ejusmodi consuetudo sit solummodo devotionalis, an verò obligatoria sub reatu culpæ, qualem supponit Gobat dari in Diœcesibus Parisiensi, Monasteriensi &c.

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Cap. XVII. De Festo Ascensionis Domini.

I. Gavant. pag. 99. col. 2. num. 1. - - *Vigilia Ascensionis non habet jejunium &c.*) Feria IV. Rogationum occurrit Vigilia Ascensionis Domini, sed sine jejunio; si in ea occurrat Festum primæ Classis, puta Patroni, seu Tituli, aut Dedicationis Ecclesiæ, fit de eo, absque eo, quod in Officio, & in Missa fiat aliquid de hac Vigilia, ut notat Castaldus in *Praxi lib. 3. sect. 9. cap. 6. num. 7.* & Halden *part. 1. tit. 27.* Item nihil pariter debet fieri de Festo Simplici in tali Casu, si quod forte occurrat. Si autem in eadem Vigilia occurrat aliud Festum novem Lectionum, seu Duplex, seu Semiduplex, aut alicubi dies Octava alicujus Festi, vel dies infra Octavam, tunc Officium fit de eo cum nona Lectione de Homilia Vigilæ, ejusque Commemoratione ad Laudes, ut notatur in pro-

prio de tempore, & cætera fiunt, prout de more.

Si denique in hac Vigilia Ascensionis, seu Feria IV. Rogationum non occurrat Festum IX. Lectionum &c. esto occurrat in ea fortassis Festum aliquod trium Lectionum, sive Simplex tunc Officium, & Missa dicuntur de Vigilia; Excepta tamen Missa Litaniarum, sive ea, quæ in termino Processionis dicitur de Rogationibus prout supra. De prædicto autem Festo Simplici tunc fortè occurrente fiet tantum Commemoratio (sine Lectione de eo, etiam si alioquin propriam habeat) in Laudibus, ac Missa. Ad Matutinum fit feriale ritu Paschali, ut Feria IV. tempore Paschali. Lectiones Nocturni de Homilia Vigilæ, ut in proprio de Tempore; Responsorialia post primam, & secundam Le-

M m 2 ctio-

tionem, ut ibidem (nisi loco eorum ponenda sint duo prima Responsorium primi Nocturni Dominica IV. post Pascha, eo quod nunquam adhuc poni potuerint) post tertiam verò Lectionem dicitur Hymnus *Te Deum*. Laudes, & cætera Horæ usque ad Vesperas dicuntur sicut in aliis Feriis tempore Paschali, Antiphona ad *Benedictus: Pater venit hora* &c. ut in proprio de tempore, Oratio Dominica præcedentis, cui subjungitur Commemoratio de S. Cruce, & ante hanc Commemoratio de Festo Simplicis, si quod occurrit. Color ad Altare erit albus. De Ritibus servandis in Missis horum trium dierum satis dictum est superiori tomo suo loco.

Vesperæ hodie dicuntur de Festo Ascensionis Domini sub Ritu Duplici primæ Classis, sine omni Commemoratione, nisi de Festo primæ, & secundæ Classis, si quod hodie alicubi fuerit celebratum, nec non de die Octava, si tamen cras alicubi occurrit, non autem de die Octava hodie occurrente seu celebrata. In eisdem Vesperis solemnibus ad principium Hymni: *Soluis humana sator*, &c. debet celebrans, seu Officiator jungere, extendere, & elevare manus, ac caput inclinare versus Altare, &c. ut ex Ceremoniali Episcoporum Lib. 2. monet Bauldry part. 2. Cap. II. art. 1. num. 25. par ratio est de Hymno in Laudibus dicendo. Hymnus Completorii, & alii ejusdem metri (excepto Hymno Vesperarum, ac Laudum Officii de Ascensione, & Hymno Matutini de pluribus Martyribus, necnon Hymnis de S. Cruce, ac denique, Hymno proprio S. Venantii Martyris, si infra hoc tempus occurrant) terminantur usque ad Pentecosten per verba *Jesus, tibi sit gloria, qui victor in Cælum redis*, &c.

II. Gavant. pag. 99. col. 2. num. 2. - - *Ascensio Domini incipitur festiva*, &c.) FERIA V. post Dominicam V. post Pascha celebratur in Ecclesia universali Festum Ascensionis Domini, quod est Privilegiatum contra quod-

cunque aliud Festum, etiam Patroni, & Tituli Ecclesiæ, vel Dedicacionis ejusdem in ea occurrens: unde si in eo occurrat Festum SS. Apostolorum Philippi, & Jacobi etiam in propria ipsorum Ecclesia, non solum transferri debet eorum Officium, sed nec ulla Missa cantari hodie potest de illis, inhærendo Rubricæ generali VI. Missalis. Admittit tamen hoc Festum in utrisque Vesperis, Laudibus, & consequenter in Missa Commemorationem de die Octava, si alicubi dies Octava alicujus Festi in illud incidat. Officium dicitur ut in proprio de tempore cum Antiphonis ad unumquemque Psalmum (licet currat adhuc tempus Paschale) ob rationem, quam Gavantus assignat, nempe ad fervorem Charitatis excitandum. Officium autem de Festis infra hanc Octavam usque ad Pentecosten occurrentibus fit Ritu Paschali cum una Antiphona pro quolibet Nocturno eodem modo, quo ante Ascensionem, nisi, quod Hymni terminantur ut supra; & ad Primam in Responsorio Brevi etiam in Festis dicitur: *Qui scandis*, &c.

III. Gavant. pag. 99. col. 2. num. 3. - - *In sequentibus de ebus prosequimur reliquas Epistolæ legere*, &c.) FERIA VI. & reliquis post Ascensionem Feriis, si non occurrat Festum IX. Lectionum, Officium fit de Octava Ritu Semiduplici, dicendo omnia uti in Festo, exceptis tamen Lectionibus, quæ quotidie ex scriptura assignantur in proprio de tempore, & dicta FERIA VI. pro primo Nocturno assignatur: *initium Epistolæ secundæ B. Feri Apostoli*: quod initium si prædicta FERIA non possit ob occurrens Festum IX. Lectionum habens proprias Lectiones, censet Halden part. I. Tit. 28. quod ponendum esset Sabbato sequenti simili Festo non impedito, inhærendo, ait ipse, Rubricæ generali XXVI. num. 7. & iis, quæ ipsemet asseruit supra Tit. 5. contra nostrum Gavantum, qui Sect. V. Cap. 12. num. 12. docet, non esse curandum, si initia Epistolarum ab eodem Apostolo scriptarum legi non possunt, putat enim,

enim, omnes Epistolas S. Pauli constituere unum librum, & ita binas Petri, necnon ternas Johannis Epistolas habere rationem unius Libri. Sed laudatus Halden putat, Gavanti sententiam esse admittendam, quando illarum Epistolarum initia absolute, ac simpliciter poni non possunt intra suam Hebdomadam, non autem si tantum poni non possint in propria sua Feria, possint autem vel alia sequenti, vel sequentibus omnibus impeditis, saltem aliqua antecedente intra illam Hebdomadam, ut colligitur ex Rubrica generali XXVI. num. 7. & 8. Quod autem subnectit Gavantus ad firmandam suam sententiam, nimirum in postrema Breviarii recognitione examinatum, & decisum fuisse, predictas Apostolorum Epistolas respective unum librum constituere, & idcirco non esse curandum, si impeditis propriis Feriis, earum initia legi non possunt, putat Halden, loqui ibi Gavantum de suo examine tantum, nam in Breviario recognito aliud non legitur decisum hac in parte, quam quod extat in Rubrica generali XXVI. num. 6. 7. & 8. Ibi autem non modo non dicitur, quod Epistola binæ S. Petri, & ternæ S. Johannis Apostoli habeant rationem unius libri, & consequenter earum initia non sint legenda in alia Feria, si ea in propriis Feriis legi non potuerunt intra eandem Hebdomadam, sed potius oppositum colligit Halden cum scriptoribus à se Tit. 5. allegatis, quos etiam nos citavimus supra in nostris Observationibus, & Additionibus ad Sect. V. Cap. 12. sub num. VI. quibus Auctoribus addendus est etiam Joseph. Coquet in expositione Tabula n. 21.

IV. Gavant. pag. 100. col. 2. num. 7. - - *Neque est Festum Semiduplex, neque dies infra Octavam, &c.* Quamvis Feria VI. post Octavam Ascensionis (si in ea non occurrat Festum IX. Lectionum) uti & Sabbato sequenti usque ad Nonam istius inclusive, Officium fiat ritu Semiduplici, sicut infra Octavam Ascensionis, nihilominus asserit Gavantus,

quod in predictis duobus diebus neque est Festum Semiduplex, neque dies infra Octavam, sed Officium Semiduplex repetita Dominicæ; verum non dicuntur preces neque ad Completorium. In eadem Feria VI. & Sabbato sequente, occurrente Festo simplici fit de eo Commemoratio, & recitatur IX. Lectio, si eam habeat, dummodo cum eodem Festo simplici in eadem Feria VI. non occurrat Festum duplex primæ Classis. Si autem in dictam Feriam VI. incidat Festum primæ, vel secundæ Classis, de eadem Feria nulla fit Commemoratio, quæ aliunde fieri debet occurrentibus aliis Officiis minoris Ritus.

V. Gavant. eod. n. 7. - - *De Festo autem Semiduplici translatio fit in hac Feria VI. &c.* Si eadem Feria VI. post Octavam Ascensionis occurrat Festum Semiduplex, fit de eo cum Commemoratione Feriæ currentis, ac Festi Simplicis, si in ea occurrat: sed dubium oritur, an eadem Feria non tantum fiat de Festo Semiduplici occurrente, sed etiam translato? Ad hoc dubium ii, qui Gavantum recentibus ediderunt, & aliqua addiderunt, respondent affirmative, ut constat ex Textu supra allegato, quæ quidem opinio confirmata remanet recentis Congregationis Decreto edito 11. Augusti 1691. & dato in nostro Indice sub n. 169.

De hac Feria VI. post Octavam Ascensionis videantur ea, quæ diximus in nostris Observationibus supra ad Sect. 3. cap. 11. de Commemorationibus n. 11.

A Vesperis hujus Feriæ VI. usque ad Festum SS. Trinitatis suspenduntur, ac abrumpuntur Octavæ omnes particulares, v. g. *Patroni, Titularis, Dedicacionis &c.* ita ut, si per aliquot dies dictum sit Officium de Octava, abrumpi debeat à Vesperis hujus diei ob advenientem crastinam Vigiliam Pentecostes, quomodo autem debeant recitari Vesperæ hujus Feriæ, si crastina die occurrat dies Octavæ, vel dies infra Octavam, videantur dicta à Gavanto Sect. 3. c. 8.

M m 3

num.

num. 8. & num. 13. & nostræ Observationes ibidem adjectæ. De eadem re pariter locuti sumus in Observationibus ad Caput II. hujus Sectionis VI.

VI. Sabbato post Octavam Ascensionis celebratur Vigilia Pentecostes cum jejunio, ut alibi diximus, nempe in primo Tomo, quæ quidem Vigilia, ut mox innuimus, quia cum subsequente Octava Pentecostes est privilegiata contra quodcumque Festum 9. Lectionum in ea occurrens, ideò si tale infra hoc tempus occurrat, transferendum id erit post Festum SS. Trinitatis, ut disertè præscribit Rubrica hujus diei, quæ pariter disponit, quomodo recitandum sit Officium, in quo non excluditur Commemoratio Festi Simplicis, si quod tale in hac Vigilia occurrat, quamvis talis Commemoratio non fiat in Missa. Post 9. Lectionem, etiam si Festum Simplex non occurrat, dicitur *Te Deum laudamus*. In primis Vesperis, & Laudibus hujus (& præcedentis diei) nulla fieri debet Commemoratio de Cruce.

In Martyrologio, quod legitur ad *Primam*, annunciat in Choro à Lectore post Kalendas, primo loco, Festum Pentecostes, & reliqua ad eandem Primam, sicut ad reliquas horas dicuntur, prout disponitur in Rubrica hujus diei.

Ad Officium hujus Sabbati usque ad Nonam inclusivè adhibetur color albus. Postmodùm ad Prophetias, Benedictionem Fontis Baptismalis, & Litanias usque ad Missam exclusivè color violaceus. Deinceps verò adhibetur rubeus, qui & in privatis Missis hujus diei quoad vestes Celebrantium est adhibendus, licet celebrent ante Nonam. Pro Missa sollempni autem, cum colorum post Nonam mutatio, seu diversitas sit etiam quoad Pallia, seu Antependia Altaris majoris,

facienda, ideò Antependium illius violaceum in Ecclesiis habentibus Fontem Baptismalem ita erit accommodandum, ut facile removeri, eique aliud, nempe rubeum, substitui possit.

Vesperæ dicuntur de Dominica Pentecostes sub ritu duplici primæ Classis, omnia dicendo, uti notatur in Rubrica, seu in proprio de tempore, exclusa quacunque Commemoratione. In eisdem Vesperis, quæ sollempniter cantantur, Officiator ad intonationem Hymni debet stans jungere, extendere, & elevare manus, ac caput inclinare versus Altare, uti paulò antè diximus de Hymno Ascensionis. Intonato hoc modo Hymno, Officiator mox sese super proximum Altaris gradum in genua demittit, ibique flexis genibus manet, donec prima stropha absolvatur, Bauldry *part. 2. cap. 11. art. 1. num. 25. & 26. Lohner instruct. pract. 2. part. 3. tit. 1. §. 1.* cum Officiatore post intonationem prædicti Hymni supra primum Altaris gradum pariter genuflectunt ambo ejus assistentes, unus quidem à dexteris, alter verò à sinistris usque ad absolutionem primæ strophæ. Cetero ferarii autem semper stant, & nunquam genuflectunt. Absoluta prima stropha, Officiator, facta Altari debita reverentia, ad suam revertitur sedem; idipsum, exhibitis Altari, & Officiatori debitis reverentiis, faciunt ejus assistentes, ac Ministri omnes. Circa modum intonandi Hymnum hujus diei, & alios similes vide, quæ tradunt Auctores mox citati, necnon Gavantus *Sect. 10. cap. 1. & 2. &c.*

Hymni Completorii hujus diei, & Horarum deinceps usque ad primas Vesperas SS. Trinitatis exclusivè terminantur per verba: *Deo Patri sit Gloria, & Filio, qui à mortuis surrexit, ac Paraclito, in seculorum secula.*



## Novæ Observationes, &amp; Additiones ad Gavanti

## Cap. XVIII. De Pentecoste.

I. Gavant. pag. 101. col. 1. num. 3. - - *Ad horam Tertiam dicitur Hymnus: Veni Creator &c.* De hac Dominica Pentecostes eruditè agit Gavantus etiam *tom. 1. part. 4. tit. 11. à num. 22.* & nos eidem nonnulla adjecimus, quæ spectant tum ad eruditionem sacram, tum ad explicationem Rubricarum, ad Missas horum dierum spectantium; nunc sermonem vertimus ad Rubricas Breviarii tantùm expendendas, quæ præscribunt, hac die, & per totam hanc Octavam ad horam Tertiam cantandum esse Hymnum *Veni Creator Spiritus*; quia hora Tertia super Apostolos Paraclitus descendit. Castaldus in nostro Ceremoniali *lib. 3. cap. 24. num. 14.* præscribit, talem Hymnum cantandum esse sollemniter; unde in nostra Congregatione mos est, ut in hac Dominica, & duobus sequentibus diebus intonetur talis Hymnus à Celebrante Amictu, Alba, Stola, & Pluviali indutus. Hanc majorem sollemnitatem in decantando hoc Hymno, & tota hora Tertia, insinuat Gavantus, cum dicit, convenire hac die, ut Hymno longiori, & proprio Festi Paraclitum Spiritum invocemus, & ad nos invitemus. Quapropter decet etiam, quòd, uti monet Bauldry, decantetur tota hora Tertia, accensis omnibus cereis Altaris, ad eamque omnes Clerici de Ecclesia adsint.

Præfatus Celebrans stans, non verò genuflexus, ut mox diximus, debet intonare prædictum Hymnum, idque colligitur ex Ceremoniali Episcoporum *lib. 2. cap. 1.* ubi dicitur, quòd si fuerint Hymni *Veni Creator Spiritus*, aut *Ave Maris Stella*, dum Episcopus Hymnum intonat, omnes genuflectunt, & statim ipse quoque Episcopus in suo genuflexorio, si adest, genuflectit; sin minus, super aliquo pulvino; cum ergo Ce-

remonialem non doceat, à genuflexo jam Episcopo Hymnos, quos diximus, intonari; signum est, quòd ab Episcopo stante inchoantur; quia tamen intonatis à se Hymnis, statim ipse quoque genuflectere debet. De hoc Ritu tractat etiam satis eruditè noster Franciscus Magius in suo opere *de Officio, & Choro, opusculo 1. disquisit. 35.* ubi affert auctoritates aliquorum Ceremonialium, hunc eundem Ritus præscribentium, præsertim verò Ceremonialis Clericorum Regularium S. Pauli, in cujus *lib. 1. cap. 10. §. De Hebdomadario* hæc habentur - - Hymnum *Veni Creator Spiritus*, & *Ave Maris Stella* ipse stans enunciabit, & primis illis verbis pronuntiatis, genuflectet - - Hoc idem præscribitur in Ceremoniali Clericorum Minorum *part. 1. cap. 12.* & in illo Minor. Conventual. S. Francisci, necnon Minorum Observantium. Sebastianus verò Fantonius in Ceremoniali PP. Carmelitarum à se elucubrato *lib. 1. Rub. 52. num. 3.* hanc regulam generalem tradit: *Notandum est, quòd in omnibus supradictis, cum aliquis solus quidquam incipit, vel canit, in suo loco, inter alios stans incipiet, vel canet: cum verò duo simul aliquid canunt, vel incipiunt, in medio inter alios stantes; illud dicunt, vel incipiunt.* Idem quoque præscribitur in Ceremoniali Canoniorum Regularium S. Salvatoris *cap. 6.* ubi hæc habentur: *Cantores, vel alii Canonici, quando in Choro aliquem cantum incipiunt, semper vestis vultibus ad Altare, capitibus detectis, stare debent.* Rationem hujus Ritus, quem omnes profectò observant, assignat Victorinus Totinius in Ceremoniali PP. Camaldulensium *lib. 1. cap. 14. num. 9.* dicendo: *Ut intonatio majestatem præferat majorem, recto Sacerdote manente in intonando, & ideo magis visibilibus, magisque audibilibus, & alacrius,*

ad

Ad ipsiusque vocem illico genuflectentibus aliis, præter Ministrum, qui librum sustineret; hic enim juxta Ceremoniale Episcoporum cap. 11. non genuflectit, nisi aliquando ob commoditatem leg. n. 15.

Hinc tamen Communi sententiæ adversari videtur auctoritas Romani Pontificalis præscribentis hanc genuflexionem, vel ipsimet Episcopo celebranti in *Titulo de Benedictione, & Consecratione Virginitatis*, ubi sic ait: *Quibus finitis, surgunt omnes, & dicitur Hymnus Veni Creator Spiritus, &c. Pontifex cum Mitra ante Altare genuflexo incipiente, & Choro illum prosequente.* Idem pariter præscribitur in *Tit. de Ordinatione Presbyteri*, ubi hæc habentur: *Tunc Pontifex sine Mitra ante Altare conversus flexis genibus, incipit alta voce schola prosequente Hymnum: Veni Creator Spiritus, &c.* Denique in *Tit. de Consecratione electi in Episcopum* statuitur, quod *Consecrator, flexis genibus ad Altare, incipit, ceteris prosequentibus Hymnum, Veni Creator Spiritus, &c.* Verum quamvis hujusmodi Pontificalis Romani dispositiones contrariæ videantur nostræ, & Communi sententiæ, nihilominus adhuc ab ea non est recedendum, quia pro hac non solum stat communis praxis, verum etiam Ceremoniale Papale, *lib. enim 2. Sect. 2. Cap. 11. de Vigilia Pentecostes* hæc ait. *Consuevit etiam Pontifex Hymnum Vesperarum, videlicet Veni Creator Spiritus, in sede solii stans, delecto Capite, inchoare: deinde descendere ad Faldistorium, ubi postquam genuflectit, & non prius Cantores prosequuntur Hymnum. Finito primo versu surgit Pontifex, & assumpta Mitra redit ad Faldistorium.* Favet etiam nostræ sententiæ auctoritas Ceremonialis Episcoporum supra à nobis allegata, & à nobis explicata, quam interpretationem admittit etiam Paris de Crassis, qui *lib. 2. Cap. 10. de Ceremoniis Cardinalium, & Episcoporum* hæc tradit: *sine Mitra (Celebrans) versus ad Altare ipsum Hymnum intonat; deinde sic stat usque ad finem Hymni; & si Hymnus erit, Ave Maris Stella, sive Veni*

Creator Spiritus, tunc postquam in eodem loco Celebrans inonavit, ibidem genuflectit sine Mitra. Ex quibus omnibus fit, quod non obstante Pontificalis Romani dispositione in dictis Casibus ab eodem adductis, nos in nostro debemus servare communem ritum, & praxim absque ulla hæsitacione. Posset etiam dici, Pontificalis Romani dispositionem versari circa intonationem quasi privatam præfati Hymni, non requirentem illam vocis elationem, & majestatem, quæ requiritur in ejusdem Hymni intonatione, de qua nos loquimur, & de cujus ritu reddit rationem Totinius mox laudatus, nimirum, *ut intonatio majorem præferat majorem, &c.* Concludendum denique est, quod dispositio Pontificalis Romani debet servari pro illis functionibus ibi præscriptis; illa vero Ceremonialis Episcoporum servari debet in reliquis sacris functionibus, quæ ad præfatum Pontificale non attinent, nec inter se, circumspectis actionibus, repugnant.

Dum Celebrans stando intonat præfatum Hymnum, reliquos omnes de Choro genuflectere debere, præter Ceroferarios, & assistentes ipsimet Celebranti, si adsint, certum est apud omnes; dubium tamen aliud oboritur, quandonam Celebrans, & reliqui de Choro surgere debeant? Noster Gavantus *Sect. X. Cap. 1. n. 4.* & *Ordinarium Carthusiense Cap. 14. num. 46. & 49.* quamvis cum aliis ad initium Hymni genuflexionem præscribant, de surrectione nullum verbum faciunt, Castaldus tamen in Ceremoniali nostræ Congregationis *lib. 2. cap. 21.* præscribit, ut omnes surgant post primum Versum. *Genuflectit, inquit, sisque permanent omnes, donec compleatur totus primus Versus, quo completo, surgentibus omnibus, ipse quoque Celebrans surgit.* Idem præscribit Paris de Crassis his verbis: *Quo primo Versu finito, surgit (Celebrans) surgentibus omnibus.* Ita pariter Fantonius in Ceremoniali Carmelitarum post *Primum Versum Hymni Ave Maris Stella, & post Primum Versum Hymni Veni*

Crea-

Creator Spiritus; statuit, ut omnes exsurgant; sed quomodo post primum Hymni Versum exsurgat Celebrans, si nondum ex eodem Castaldo, Paride de Crassis, & Fantonio genuflectit? Ita inquit optime Franciscus Magius lib. supracit. disquisit. 36. n. 222. sed hujusce difficultatis solutionem pariter ibidem affert, dicendo, prefatos Auditores nomine primi Versus intelligere Primam Hymni Stropham; Castaldus enim in eodem lib. cap. 4. num. 16. hæc habet: *In principio, &c. Donec quatuor primi versus dicantur, genuflectendum est.* Idem pariter declarant citatis in locis Ceremoniale Clericorum Minorum, & Canonicorum Re-

gularium, idemque clariùs exprimitur in Ceremoniali Camaldulensium, ubi Totinius loc. supracit. ait: *Usque ad finem primi versus, & paucis interjectis, subdit: Usque ad finem primorum quatuor versulorum.* Patres quoque Prædicatores de primo Hymno Treveris anno 1249. De altero verò Ulyssipona 1618. Mediolani 1622. Romæque 1629. in tertia ordinatione sic statuerunt: *In pronuntiatione Hymni, &c. Fratres maneat genuflecti usque quò absolvatur prima strophes; & idem statuit Ceremoniale Minorum Observantium part. 4. cap. 6. & Minorum Conventualium cap. 11. dicendo: usque ad finem primi Metri.*

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Cap. XIX. De Dominica Trinitatis.

Gavant. pag. 101. col. 2. n. 2. -- S. R. C. *Decrevit Octavam Sanctissimæ Trinitatis digniorem in propria Ecclesia esse Octavâ Corporis Christi (&c.)* Utrum Octava SS. Trinitatis dignior sit Octava Corporis Christi, est quæstio, quam fusè agitavimus in nostris Observationibus ad cap. 8. sect. 3. num. VII. & acerrimè sustinuimus, Octavam Corporis Christi esse præferendam Octavæ Sanctissimæ Trinitatis ab iis, qui eam celebrant, quia Sanctissima Trinitas est Titulus propriæ suæ Ecclesiæ. Pro tuendo suo placito allegat hoc loco Gavantus Decretum S. R. C. sed puto, hoc Decretum consistere in approbatione Octavarum Romanæ, in quo Feria VI. & Sabbato subsequentibus ad Festum Corporis Christi, assignantur Lectiones dicendæ ab iis, qui celebrant Octavam Sanctissimæ Trinitatis, quæ profectò positæ non fuissent, si S. C. censuisset, in concurrentia harum Octavarum præferendam esse Octavam Corporis Christi. Aliud enim Decretum, quo præcisè declaratur, Octavam Sanctissimæ Trinitatis digniorem esse Octava Sanctissimi Corporis Christi, certè non reperitur, & reverà talis

Gavant. Rubr. Brev.

Decreti à Gavanto allegati non ponitur nec Annus, nec mensis, nec dies, sub quo emanavit, & quatenus extaret tale Decretum, sicut extat reverà approbatio prædicti Octavarum, adhuc subsistit veritas sententiæ, quam ibidem propugnavi, quia cum ex parte Magistrorum Ceremoniarum Ecclesiæ Cathedralis Bracarenensis quæsitum fuerit à S. C. an diebus VI. & VII. Octavæ Sanctissimæ Trinitatis, ubi est Titulus Ecclesiæ, cum de ea fiat Officium, quia est dignior Octava Corporis Christi, debeat etiam dici IX. Lectio de Simplici illis diebus occurrente, an omitti ratione Octavæ Corporis Christi? S. R. C. die 8. Junii 1709. respondit ad hoc dubium; diebus VI. & VII. infra Octavam Festi Sanctissimæ Trinitatis, ubi est Titularis, faciendum esse Officium de die II. & III. infra Octavam Corporis Christi cum Commemoratione Sanctissimæ Trinitatis. Stante igitur hoc Decreto, quod est posterius Decreto, quod Gavantus hic allegavit, dirimitur omnino Controversia, disertè enim declaratur à S. C. & quidem sapientissimè, Octavam Corporis Christi, utpote magis privilegia-

N n

tam,

tam, & admittentem solum Duplicia occurrentia, & tantum translata primæ & secundæ Classis; digniorem esse Octava Sanctissimæ Trinitatis, adeoque ei præferendam, Videantur ea, quæ à nobis ibidem allata

sunt pro comprobanda hæc nostra sententia, & unicuique persuasum erit hoc placitum, quod à nullo adhuc propositum, & propugnatum fuit.

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Cap. XX. De Festo Corporis Christi.

I. Gavant. pag. 102. col. 1. num. 1. - - *Officium scripsit S. Thomas &c.*) Feria V. post Festum Sanctissimæ Trinitatis occurrit Festum Sollemne Sanctissimi Corporis Christi cum Octava, institutum ab Urbano IV. (ut fuse diximus in primo Tomo *part. 4.* loquendo de hoc eodem Festo) An. 1262. & ab Eugenio IV. Anno 1433. confirmatum. Officium ejusdem Festi compositum fuit ab Angelico Doctore S. Thomæ Aquinate juxta Ritus illorum temporum, ut videre est in ejusdem Opusculo 57. Est Festum primæ Classis, & privilegiatum contra quodcumque aliud Festum, unde si occurrat hac die Festum aliud Duplex, vel Semiduplex, transferri debet post Octavam, ut diximus etiam alibi, nempe in nostris Additionibus superius datis ad Caput octavum *sect. 3.* sub num. VI. ubi plura congestimus Decreta, omnino iterum videnda, quæ pertinent ad hanc Octavam. Translatio dictorum Festorum est etiam conformis Rubricæ tum propriæ præfixæ primis Vesperis hujus Festi, tum generali *Tit. X. num. 1. & 5. loco supracit.* Diximus, excipi à prædicta Regula, & Decretis Festa primæ & 2. Classis, de quibus solis etiam translatis, potest celebrari Officium infra hanc Octavam. Quapropter quando Festum Nativitatis S. Johannis Baptiste occurrit in hoc Festo Sanctissimi Corporis Christi, juxta Rubricam generalem *Tit. X.* de Translatione Festorum, transfertur in sequentem diem cum Commemoratione Octavæ; & in secundis Vesperis Corporis Christi fit tantum Commemoratio S. Johannis; reli-

quis autem infra Octavam Corporis Christi diebus, dicendo Officium de eadem Octava fit Commemoratio Octavæ S. Johannis. Dies autem Octava S. Johannis veniens tunc in Octava Sanctissimi Corporis Christi, non transfertur, sed de illa eo anno fit tantum Commemoratio in utrisque Vesperis, Laudibus, & Missa. De prædicto Festo S. Johannis celebrando in dicta occurrentia quoad Officium in prædicta Feria VI. insurgit dubium inter Rubricistas, utrum celebretur in tali Feria VI. tanquam in die fixo, & proprio, ita ut excludat quodcumque aliud Officium alicubi in dicta Feria VI. occurrens. Interrogatus super hoc dubio, affirmative respondi, quia id videtur colligi ex verbis allegatæ Rubricæ, quæ in prædicto casu videtur assignasse pro semper Feriam immediatè sequentem tanquam diem propriam pro dicto Festo S. Johannis, unde de eo non fit Officium tanquam de Festo translato, ita ut si aliud alicubi occurrat Officium tali die, debeat Officium S. Johannis Baptiste ulterius protrahi, & in aliam diem transferri.

Postquam hæc scripseram, à S. R. C. emanavit sequens Decretum, quo remanet omnino decisa hæc quæstio. Si Festum Nativitatis S. Johannis Baptiste sive aliud ex sollemnioribus venerit in die Corporis Christi, Officium S. Johannis singulari privilegio transfertur in sequentem diem à quocumque Officio novem Lectionum etiam impeditam cum Commemoratione Octavæ, sed in secundis Vesperis Corporis Christi fit Commemoratio tantum S. Johannis. Cætera verò Festa

Festa sollempniora occurrentia in dicta die Corporis Christi transferantur infra Octavam in primam diem non impeditam. Ita S. R. C. die 23. Junii 1736. in *Einsiedlen*. & datur in nostro Indice sub num. 327.

II. Gavant. pag. 102. col. 2. num. 3. -- *Diximus sect. 3. cap. de Octavis &c.* Sectando Gavanti vestigia etiam nos ibidem in nostris Observationibus & Additionibus nonnulla tradidimus de Privilegiis hujus Octavae, & quomodo excludat Semiduplicia Festa, necnon Duplicia translata, non verò si

sint hæc Festa translata Ritu Duplici primæ vel secundæ Classis decorata.

III. Gavant. pag. 102. col. 2. num. 4. -- *An nona Lectio erit legenda &c.*) Loco mox citato egimus pariter de hac re, nempe utrum infra hanc Octavam de Simplicibus legenda sit IX. Lectio, unde videantur ibi dicta, præsertim verò Decreta nonnulla allegata, & à S. R. C. edita. De expositione, & de Processione Sanctissimi Corporis Christi facienda in hæc sollempnitate fusè tractavimus cum Gavanto tom. 1. part. 4. tit. 12. à num. 3.

### Cap. XXI. De Dominicis post Pentecosten.

*caret novis Observat. & Additionibus.*

## SECTIO SEPTIMA. DE PROPRIO SANCTORUM.

### Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

#### Cap. I. De Vigiliis, Festis & Octavis Sanctorum.

I. Gavant. pag. 105. col. 2. n. 5. -- *Contra quos idem Radulphus acriter invehit, quod plures Sanctos in Calendario invexerint &c.*) De variatione, quæ secuta est in Breviario Romano tempore Nicolai III. Summi Pontificis, alibi locuti sumus, nempe in nostris novis Observationibus ad *Caput 1. Sect. 2.* sub num. III. Hoc loco iterum dicimus, tempore præfati Pontificis multa Sanctorum Officia, & quidem plena, nempe IX. Lectio-num, in Breviario Romano inserta fuisse, mandavit enim idem Pontifex, ut adhiberentur tantum Breviaria Fratrum Minorum, ut scribit Radulphus Tungrensis, in suo insigni Libro de Observantia Canonum *prop. 22.* indeque omnes libri Romæ de Divinis Officiis fuere novi, & Franciscani, contra quos idem Radulphus propositione 17. & 18.

acriter invehitur, quod plures Sanctos in Calendario invexerint, quàm antea, cum tali præjudicio Psalterii, ut hanc multiplicitem Festorum etiam abusum detestandum, idem Radulphus appellare non dubitet. Guyetus quoque *lib. 1. cap. 1. quest. 19.* approbare nescit Festorum pruriginem, quæ multorum è Clero tam Secularium, quàm Regularium animos ita pervasit, ut nihil plus optent, nihil ferè vehementius ambiant, quàm abactis procul omnium Feriarum Officiis, continuis, ac propriè quotidianis Festis indulgere, opinantes sibi, & Religioni magnum augmentum, & Ecclesiæ suæ, vel Ordini splendorem accivisse, si corrogatis undique opportunè, importunè Sanctis, consertum, & coagmentatum, atque superfluens Kalendarium proprium compegerint, quod

N n 2

pro-

perfecto à prisco, & legitimo Ecclesie sensu alienum est. Quoad priscum Ecclesie sensum sufficit percurrere antiqua Kalendaria, in quibus perfectò rare inveniuntur Festivitates Sanctorum, & hinc est, quod citatus Radulphus præmissa comparatione Feriarum sex pro una Dominica, & Discipulorum 72. pro duodecim Apostolis sic concludit: *Sicut ergo pauci sunt dies Dominici, & multe Ferie; ac pauci Apostoli, & multi Discipuli, ita pauca debent esse festivitates, & multe Ferie &c.* & paucis interjectis profequitur dicens: *Si bene computes & ordines, non erunt tot festivitates in anno, sicut sunt Dominici dies, quia servi non debent esse supra eorum Dominum, nec Discipuli supra Magistrum.*

Huic Radulphi auctoritati addit Guyetus etiam illam Gersonis Cancellarii Parisiensis, qui consultus à Canonicis Carnotensibus, qua ratione S. Josephi possent celebrare Festum; modum hunc illis præscribit, nimirum; ut Homiliam de Evangelio proprio legerent Feria V. post Dominicam 3. Adventus; & Missam eodem die de ipso cantarent: *qui modus, inquit Gerson, placeat admodum, quia facilis, nec turbativus in aliquo, vel impedivus ordinarii servitii de Adventu.* Ita Doctor ille in Epistola ad Cantorem Carnotensem data Constantiæ 7. Septembris An. 1416 qui & in alia itidem Epistola, scripta Parisiis 17. Augusti 1413. ipsam Homiliam cum tribus Responsoris, & Missam integram plenè describit. Hinc apparet, quanta esset priscis temporibus Officii Ferialis reverentia, quantaque aversio ab illius decoctione, cui tam multi hodie liberali nimis, impensoque studio favent.

Quod autem hæc Festorum multiplicatio sit etiam aliena à legitima Ecclesie mente, hoc elucet ex notabili detrimento, quod infertur Officio de tempore, adeò enim ingens est Festorum coacervatio, quam aliqui promovent, ut vix locus ullus, aut certè exiguus admodum Fertiis supersit, quin & Do-

mirica plurimæ supprimantur. Ad præca-  
vendum hoc inconveniens emanarunt tum  
Summorum Pontificum Constitutiones, tum  
S. C. R. Decreta, nam Gregorius XIII. in  
Bulla, quæ incipit: *Pastoralis Officii*, data  
An. 1573. ad Ecclesias Hispaniæ, prohibet,  
ne tantam multitudinem Festorum inducant:  
*in primis*, ait Pontifex, *illud nobis declarandum*  
*se offert, ex quo magna oritur poterat confusio,*  
*ut scilicet Officium majoris partis Feriarum anni*  
*omitteretur, & ordo Breviarii subverteretur.*  
Sacra pariter Rituum Congregatio novis  
Breviariis auctoritate Urbani VIII. recogni-  
tis, eodem approbante Pontifice, immo &  
jubente, appolluit Decretum illud, quo fa-  
cultatem omnem Ordinariis quibuscumque  
adimit, Festa ulla Kalendaris, etiam pro-  
priis, addendi, præter ea, quæ à Rubricis  
conceduntur; ejus Decreti interpres noster  
Gavantus Cap. 3. Sect. 3. sic ait: *Feriale Of-*  
*ficiam Domini est, quod à quo unquam servo non*  
*debet obrui, & ideo videant Episcopi, ne pur-*  
*itate Festorum fiat injuria Officio Feriali Do-*  
*mini Dei nostri.* Verba tamen insignis hujus  
Magistri non sic accipienda sunt, quasi ali-  
quod sit Officium, quod non sit Domini,  
cum ipse Deus Optimus Maximus, & Do-  
minus noster finis sit, ad quem omne Offi-  
cium etiam Sanctorum dirigitur; sed cum  
ratione materia aliud sit Officium de Sanctis,  
in quo videlicet eorum laudes, & gratiæ à  
Deo ipsis data prædicantur, & ipsimet San-  
cti invocantur; aliud verò, in quo ipsemet  
Deus, seu ipsius attributa ex professio laudan-  
tur, aut Christi Domini mysteria, seu ejus  
dicta, factave recoluntur: sensus Gavanti est,  
utrumque sic ordinari debere, ut pluries de  
Domino fiat Officium, quàm de Sanctis.  
Quo sanè ordine nihil æquius, nihil decen-  
tius excogitari potest, ait doctissimus Guye-  
tus loc. cit. ex quo placuit hæc exscribere.  
Et qui cap. sequenti quaest. 1. subnectit, non  
esse hoc novum zelandi genus, quod in Fra-  
tribus Minoribus sui temporis redarguit,  
ut supra diximus, Radulphus Tungrensis  
pro-

proposit. 17. & 22. (sed eorum vindicias alibi exhibuimus) utpote qui Sanctos sui Ordinis proprios in Kalendarium Romanum intulissent, cujus rei fidem eidem Guyeto fecere duo Kalendaria, alterum editum An. 1483. alterum 1555. ambo predictis Festis, aliisque plurimis exoticis referta, quæ deinceps expuncta fuere. Et ne simile amplius à quocunque attentetur, emanavit mox allegatum Decretum omnibus Breviariis præfixum, eo maxime fine, ut vaga illa, & incerta Festorum etiam particularium multiplicatio restringatur.

In sequentibus Gavanti Capitibus ne ulli oriatur confusio, nostrarum Observationum, & Additionum methodum mutare, operæ pretium duximus. Igitur advertimus, quod verba illa, quæ his commatibus „ signata reperies, continebunt nova nostra Additamenta, seu Observationes, reliqua vero nullis virgulis prænotata, exhibebunt Gavanti Textum. Alia, quæ sunt hac Cruce † signata, sunt Additamenta Gavanti Textui ab aliis facta.

\* \* \* \* \*

## Cap. II. De Festis Sanctorum Mense Decembri.

**D**e 29. *Novembris.* Vigilia S. Andrea, Extat Decretum de Vigilia Apostolorum apud Clement. *lib. 8. Const. Apost. cap. 39.* & Innocent. III. *de observ. jejun. cap. 2.* Officii auctor Pius V. est, qui Vigilis omnibus addidit Homiliam super Evangelium Missæ, & Orationem ejusdem Missæ; nec antea fiebat de Vigilia, nisi in Missa: quod hoc loco satis sit semel dixisse. Officium Missæ hujus habetur in Antiphonario S. Gregorii, & Orationes in Sacramentario ejusdem. Epistola, & Evang. ut in Comite, seu Lectionario Sancti Hieronymi. „ Habetur etiam in Sacramentario Gelasiano, „ & in Calendario Frontonis.

In Adventu nihil fit de Vigilia, nisi in Missa, quia cedit Vigilia Fer. Adventus digniori: Missa vero dicitur de Vigilia cum comm. Feriæ, & S. Saturnini, quibus additur quarta *Fidelium*, si incidat in Feriam secundam, & quinta de B. V. juxta Rubr. gener.

Saturnini, fiebat de eo Officium in Breviario 1550. Venet. edito; nunc à Pio V. decreta est tantum ejusdem Commemoratio. Habentur Orationes Missæ omnes in Sacramentario S. Gregorii. „ Missa S. Saturni- „ ni legitur pariter in vetusto Codice Turo- „ nensi annorum circiter 800. in Missali

„ Gothico, & notatur in Calendario Fron- „ tonis. Sed in Ordine Gelasiano, & in „ Sacramentario Gellonensi Missa est de SS. „ Saturnino, Chrysanto, Mauro, & Daria: „ in Sacramentario Pameliano, & Menardino „ nulla fit mentio de S. Mauro.

„ Occurrente aliqua Vigilia in Adventu, „ Missa utique dicitur de Vigilia cum Com- „ memoracione Feriæ ex Rub. III. Missalis „ n. 4. & merito, cum nulla sit Missa Feriæ „ propria, sed tantum repetatur Missa Do- „ minicæ. Quod si in eadem Vigilia oc- „ currat Festum Duplex, vel Semiduplex, „ puta S. Saturnini in Vigilia S. Andrea, „ ubi celebratur sub Ritu duplici, vel se- „ miduplici, erit quidem facienda in Missa „ Commemoratio Vigiliæ post Commemo- „ rationem Adventus; sed utrum sit legen- „ dum Evangelium ejusdem Vigiliæ in fine „ Missæ, vide ea, quæ diximus in nostris „ Observationibus, & Additionibus ad Tonii „ 1. part. 1. Tit. 13. n. 7.

30. *Novembris* Andreae Apostoli Festum à primitiva Ecclesia, ex Clem. supracit. quod Bonifac. VIII. decreto firmavit, in honorem omnium Apostolorum. Vide Azor. *part. 2. lib. 1. cap. 24. in: 10.* Idem Bonifacius Duplicem stabilivit ritum. Epistola, Evangelium, ut in Comite Hieronymi, Officium

N n 3

Hora-

Horarum à S. Gregorio I. qui eidem Aposto-  
lo impensè addictus erat, fuit compo-  
situm, ex Beleth. cap. 164. Tamen Radulph. *prop.*  
*1.* affirmat, Antiphonas à Gallis com-  
pactas. Officium Missæ, præter Commu-  
nionem, habetur in Antiphonario Gregoria-  
no, & in Sacramentario Orationes omnes.  
» Hoc Festum cum Missa habetur in vetu-  
» tissimo Ordine Leonino, in Gelasiano, &  
» in Missali Gothico, in Calendario Fron-  
» tonis & Martene. Festo Octavam assi-  
» gnant Ordo Gelasianus, & varii Codices  
» ab eodem Martene laudati *de antiq. Eccles.*  
» *discipl. cap. 30. n. 6.*

2. *Decembris.* Bibianæ Festum in Brev.  
MS. antiquissimo Vaticano *Vol. 4753.* Sim-  
plex in Breviario 1550. nunc Semiduplex ab  
Urbano VIII. An. 1628. à quo Oratio, &  
Lectiones propriæ.

3. ✠ Francisci Xaverii. Officium con-  
cessit Alexander VII. sub ritu Semid. cum  
Oratione propria, & Lectionibus secundi  
Nocturni, die 6. Septemb. 1663. & in Hy-  
mno *Iste Confessor*, ad Matutinum mutatur  
tertius versus, & in Martyrologio legatur  
primo loco. Duplex à Clem. X. die 14. Junii  
1670. qui mutavit Lectiones III. noct.  
non amplius de Communi, sed illæ, quæ  
leguntur in Festo SS. Cyriaci, & Soc. In *Evang.*  
*Euntes in mundum*, die 8. August. ac tribuit ei  
Missam propriam.

» In Hymno *Iste Confessor* ad Matutinum  
» non debet mutari tertius versus, nam in  
» Decreto edito die 13. Januarii 1682. &  
» dato in nostro Indice sub num. 128. sta-  
» tutum fuit, quòd si Officium S. Confes-  
» soris transferatur in diem proximè se-  
» quentem ab ejus obitu (sicuti est præsens  
» Officium S. Francisci Xaverii) & in primis  
» Vesperis saltem à Capitulo fiat de ipso,  
» tunc in Hymno *Iste Confessor* non mutatur  
» versus, sed dicitur *meruit Beatas* tam in  
» primis Vesperis, quàm in Matutino, & in  
» secundis Vesperis, & ratio est, quia in die  
» obitus habet capitulum, & hoc Decretum

» est conforme opinioni nostri Gavanti,  
» quam asseruit suprâ Sect. 8. cap. 3. n. 7.

4. Barbaræ in Appendice Vatic. *Sacra-*  
*mentarii Gregor. Vol. 3806.* meminit Ma-  
nuel *it. de Feriis*, testatur Radulphus *prop.*  
17. à Teutonicis Festum fieri. Simplex erat  
in Brev. 1550.

» Hac die 4. Decembris celebratur in  
» Ecclesia universali Festum, & recitatur  
» Officium S. Petri Chrysologi, Episcopi, &  
» Confessoris, cum Oratione, & Lectioni-  
» bus propriis (juxta approbationem à S. R.  
» C. sub die 19. Augusti 1617. pro Ecclesia  
» Imolensi factam) ab omnibus tam secu-  
» laribus, quàm Regularibus utriusque se-  
» xus, qui ad Horas Canonicas tenentur,  
» sub ritu duplici, servatis tamen Rubricis  
» Breviarii, ac Missalis Romani, ita pariter  
» Missa respectivè celebrari debet, & ita in  
» Breviario, ac Missali Romano apponi man-  
» davit *Benedictus XIII. in Decreto urbis, &*  
» *orbis, edito 1719. d. e 10. Februarii.*

» Igitur tam in Officio, quàm in Missa  
» debet fieri Commemoratio Feriæ, & S.  
» Barbaræ V. & M. Notandum pariter oc-  
» currit, quòd in Officio ad Hymnum *Iste*  
» *Confessor* debet mutari versus, & dici *Me-*  
» *ruit supremos laudis honores* juxta Decretum  
» editum 11. Junii 1701. & datum in no-  
» stro Indice sub num. 223. quia hæc non  
» est dies obitus, nam S. Petrus Chryso-  
» logus obiit die 2. Decembris, ut patet ex  
» Martyrologio Romano, ubi Baronius ad-  
» notavit, quòd Tabulæ Ecclesiæ Ravenna-  
» tensis (cujus idem Sanctus fuit Antistes) de  
» eodem hac die, scilicet 2. Decembris, re-  
» colit festivitatem. Præterea advertendum  
» est, quòd cum in utrisque Vesperis ad *Ma-*  
» *gnificat* assignata sit pro dicto S. Petro Chry-  
» sologo Antiphona *O Doctor optime*, idèò  
» ubi celebratur Oct. S. Ambrosii Episcopi,  
» & Ecclesiæ Doctoris, si infra eam Octavam  
» reponendum esset Festum hoc translatum,  
» & debeat fieri Commemoratio S. Ambro-  
» sii, tunc pro tali Commemoratione sumen-

da erit Antiphona ex Communi Confessoris Pontificis, ne bis recitetur Antiphona  
» *O Doctor optime.*

5 Sabæ in Breviario Vatic. 4760. Radulph. citato loco, Romæ fieri scribit Simplex. In Brev. 1550.

6 Nicolai Episc. in Appendice citata Gregoriana. Zonaras in Vita Alexii asserit, hoc Festum institutum undecimo Seculo, hoc est, circa Annum 1110. S. Bernardus sermonem habuit in hoc Festo. Manuel habet in tit. *de Feriis*. Radulph. loco cit. testatur, ab omnibus receptum. Semiduplex apud Durand. lib. 7. cap. 1. Pius V. Homiliam legi juxta Rubricas, & Lectiones 2. Noct. emendatiores, & breviores edi curavit. † Tandem Duplex à Clemente X. die 6. Decembris 1670. si transferatur, mutat versum in Hymno, *Iste Confessor*.

7 Ambrosii. Ordinationis Festum est, quia obiit in Sabbato Sancto. In dicta Appendice Gregor. habetur, ratione obitus in April. Bonif. VIII. Decreto suo Doctores Ecclesie Duplici Ritu coli præcepit. Officium de Communi, præter 2. Lectiones, paulò ante Bonifacium Doctores quatuor Latini habuere Officium Semid. apud Ordinem Minor. Ann. 1260. ut scribit Wandingus in Annal. Minorum. In Hymno, *Iste Confessor*, mutatur versus tertius, ut in Breviario recognito.

8 Conceptionis B. V. à S. Nicolao habuisse ortum scribit Ribadeneira: sed unde probat? puto falli, quia dicitur S. Nicolaus Pontificali veste indutus apparuisse Abbati Elimo, de quo S. Anselmus, & monuisse, ut celebraret hoc Festum. Et Petrus quidem de Natal. lib. 1. Catal. SS. cap. 41. nominat Nicolaum; sed Anselmus scribit de illo Pontifice, qui apparuit, uti anonymo; unde ergo haurit nomen Petrus de Natalibus? quidquid sit: in Hispania primum celebratum esse hoc Festum Trithemius asserit sub S. Ildephonso; sed negat Salazar. *de Concept. B. Virg. cap. 35. num. 53.* & cum Bernardino

Busto facit auctorem Gondisalvum, Episcopum Tholosanum, qui paulò post Ildephonsum vixit, ante An. 800. antequàm Græci & Latini celebrarent, & *ibid. num. 54.* id probat fultus Deinde Fridericus Patriarcha Aquilejensis in suis Ecclesiis Festum egit, qui obiit An. 897. *ex lib. 4. Ligni Vita.* In Anglia Anselmus Festum edixit, seu Elsimus Abbas *ex lib. 5. Ligni Vita cap. 103. Anno 1109.* tum ex Baronio *In Martyrol.* In Gallia dilatatum est circa An. 1145. Manuel commemorat *tit. de Feriis.* Ab Ordine Minorum ab Anno 1263. celebrari decretum est ex Annalibus Minor. citatis supra; à Romanis ante annos 300. fuisse celebratum Romæ in Domo Carmelitarum cum Cardinalium interventu, Missa sollemni, & Sermonem de eodem Festo, singulis annis, tanquam de re annorum multorum ante se, scribit oculatus testis Johan. Baconus *in 4. dist. 2. quest. 4. art. 3.* Postea Sixtus IV. evulgavit in omnem Ecclesiam an. 1483. Quare ducentis abhinc annis est Festum universale Romanæ Ecclesie, quod à Concilio quoque Basiliensi an. 1438. Sess. 36. fuerat approbatum. Duplex à Sixto IV. Officium autem de Nativitate dicitur ex revelatione Angelica, de qua scribit Anselmus *in epist. ad Episc. Angliæ.* Pius V. innovavit Lectiones: Clemens VIII. Duplex majus esse declaravit.

✠ Hoc Festum pluribus in locis celebratur cum Octava ex indulto Apostolico, præcipuè in toto Dominio Venetorum ex concessione Alexandr. VII. die 13. Junii 1665. & novissimè SS. D. N. Clemens Papa IX. in ditione totius Status Ecclesiastici celebrandum concessit die 21. Octobris 1667.

Igitur in his locis hoc Festum erit Duplex secundæ Classis, & occurrens in Dominica 2. Adventus transferatur in Feria 2. & in Sabbato sequenti servetur Rubrica posita in *scil. 3. cap. 8. de Octava, n. 13.*

Nonnulli putant, in 3. Antiphona ad Laudes pro *exorta*, dici debere *concepta*, sed usu communi non mutatur hoc verbum, & est com-

commune Conceptioni, & Nativitati, ut rite  
intelligenti patet.

„ Octava hujus Festi Conceptionis Im-  
maculatæ V. M. & consequenter sub Ritu  
„ Duplici secundæ Classis celebratur nunc  
„ in universa Ecclesia, prout instituit, &  
„ mandavit Innocentius PP. XII. die 15.  
„ Maji 1693. de qua re extat Constitutio  
„ ejusdem Pontificis, quæ incipit: *In excel-*  
„ *sa Sedis Apostolica specula &c.* Rursus hoc  
„ Festum recolitur ab universa Ecclesia  
„ tanquam de præcepto cum obligatione au-  
„ diendi Missam, & abstinendi ab operibus  
„ servilibus, ita instituente, & præcipiente  
„ Clemente XI. prout apparet in ejus Con-  
„ stitutione, quæ incipit: *Comm. Ipsi nobis &c.*  
„ edita die 6. Decembris an. 1708. & quæ  
„ in ejus particulari Bullario reperitur *part.*  
„ 1. sub n. 40.

10 Melchiadis, ex Decreto Gregor. VII.  
citato à Microl. cap. 43. in Appendice Gre-  
goriana. Simplex in Brev. MS. & in edito  
1550. Ubi fit de eo Festum 9. Lectionum,  
dicitur 8. Respon. *Domine prævenisti*, quia  
in Martyrologio multa quidem est passus,  
non tamen effudisse sanguinem dicitur, quod  
enunciatur in Responsorio, *Hic est verè Mar-*  
*tyr &c.* idcirco omittendo.

„ Hac die in toto Ecclesiastico Statu ab  
„ omnibus utriusque sexus tam Secularibus,  
„ quàm Regularibus, qui ad Horas Cano-  
„ nicas tenentur, recitari debet Officium  
„ Translationis Sacræ Domus Lauretanæ sub  
„ Ritu Duplici majori, & respectivè Missa  
„ celebrari, ita concedente, & mandante  
„ Benedicto PP. XIII. die 23. Augusti 1725.  
„ cujus Decretum etiam pro aliis Festis ejus  
„ SS. M. V. datur in nostro Indice sub n. 265.  
„ Officium prædictæ Translationis Altitæ  
„ Domus B. M. V. approbatum fuit à S. R. C.  
„ die 16. Septembris 1699. & ita pariter  
„ Missa, approbante etiam omnia Innocen-  
„ tio XII. die 10. mensis Octobris ejusdem  
„ anni, & concessa recitari in tota Provin-  
„ cia Picena pro hac die. Notandum est,

„ quòd in utrisque Vesperis & Laudibus, ac  
„ in Missa hujus Festi omittenda est Com-  
„ memoratio Conceptionis; in Præfatione  
„ verò dicendum est: *Et te in Festivitate.*

11 Damiani in dicta Appendice Gregor.  
& in Cod. Pameliano Sacram. Gregor. cum  
Orationibus, aliis à nostris. „ Hujus San-  
„ cti Natale notatur etiam in Codice Regio  
„ annorum 900. teste Martene *loc. cit. num.*  
„ 19. „ Semidupl. à Pio V. cum Officio  
proprio, excepta Oratione, quæ habetur in  
Brev. MS. & edito 1550. sub Ritu Simplici.  
Si transfertur, muta versum tertium in Hy-  
mno, *Iste Confessor.*

13 Lucie. In Antiphon. & Sacram. S.  
Gregor. sed post Gregorium, ex Pamelio  
*ibid.* „ Legitur Natale S. Lucie in Calen-  
„ dario Frontonis. „ Semid. apud Durand.  
& in Brev. 1521. Duplex à Pio V. addita  
Homilia ab eodem. Oratio secreta, & Post-  
comm. discordant à citato Sacramentario  
Romæ edito: non autem à Codice Pame-  
liano.

15 Eusebii Vercell. Ordinatio, nam obiit  
Kal. Augusti, & quia tunc fit Commem. SS.  
Machab. Clem. VIII. assignavit hanc diem,  
Johan. Stephano Ferrerio, Episcopo Vercel-  
lenti, procurante. S. Ambrosius habuit duos  
Sermones in ejus laudem.

„ Hac die celebratur nunc Octava Con-  
„ ceptionis B. M. V. & de S. Eusebio Ver-  
„ cellensi nulla fit ampliùs Commemoratio,  
„ quia celebratur die sequenti ejus Festum  
„ sub Ritu Semiduplici.

„ 16 Benedictus XIII. in Decreto edito  
die 7. Julii 1728. mandavit, ut hac die  
„ Officium S. Eusebii Episcopi Vercellensis,  
„ & Martyris cum Lectionibus propriis se-  
„ cundæ Nocturni ab omnibus, qui ad Ho-  
„ ras Canonicas tenentur, sub Ritu Semi-  
„ duplici recitari, & Missa respectivè cele-  
„ brari debeat. Quapropter, cum hic Eu-  
„ sebius sit ille idem, de quo tanquam de  
„ simplici die antecedenti, recurrente Octa-  
„ va Conceptionis B. M. V. fiebat Comme-  
mora-

moratio in Vesperis, ac Laudibus, & in Missa, ideo, ut etiam mox diximus, in posterum reticenda est eadem die.

Si hoc Festum occurrerit Dominica 3. Adventus, transferendum erit in Feriam II. sequentem non impeditam, nam à die 17. ejusdem Decembris, usque ad 23. inclusive fieri potest de quocunque Festo 9. Lectionum etiam translato, juxta Decretum editum die 17. Maji 1692. & datum in nostro Indice sub num. 170. & in secundis Vesperis pro Commemoratione Ferie dicenda est prima ex septem Antiphonis majoribus tunc temporis occurrens, nempe, *O Sapientia*. Præterea advertendum est, quod ultimum Responsorium hujusce Officii debet esse: *Domine prævenisti*, positum immediatè post nonam Lectionem, & statim ante Laudes in Comuni unius Martyris; S. enim Eusebius quamvis multas passus sit æramnas, ut refertur in ejus Lectionibus, sanguinem tamen non effudit, & idcirco pro eo non debet recitari Responsorium: *Hic est verè Martyr, qui sanguinem suum fudit &c*. Cæterum non solum vetera Martyrologia hunc Martyrem appellant, sed etiam in epitaphio invento in ejus sepulchro inscribitur acrosticis versibus: *Eusebius Episcopus, & Martyr*, ut notat Baronius sub die 1. Augusti lit. H.

18 In toto Ecclesiastico Statu, juxta Decretum Benedicti XIII. editum die 23. Augusti 1725. de quo supra, ab omnibus Christifidelibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, recitari debet Officium sub Ritu Duplici majori Expectationis partus B. M. V.

20, 21 De Vigilia, & Festo Sancti Thomæ Apostoli eadem, quæ diximus de S. Andrea Apostolo, Officium à Gelasio, ex Schulting. Oratio prima, Secreta Missæ in Sacram. Greg. Habetur hoc Festum in Sacramentario Gelasii, sed sine Vigilia; in vetusto autem Corbejensi Calendario legitur - In In-

Gavant. Rubr. Brev.

dia translatio S. Thomæ Apostoli. Si Vigilia incidat in Feriam quatuor Temporum, in Missa de quatuor Temporibus fit Commem. Vigiliæ; in Officio nihil fit de Vigilia. At, cur non dicuntur duæ Missæ, de Temporibus, & de Vigilia? quia ambæ dicendæ forent post Nonam, nulla hora mediante inter eas: quod non convenire docuimus tom. 1. part. 1. tit. 7. num. 2. Si Festum S. Thomæ sit Titulus Ecclesiæ, & occurrat in Dom. 4. Adventus, tunc in Sabbato dici debent Antiphonæ ad Laudes Domin. 4. cum Antiph. *Expectetur*, & in Feria 2. Antiph. ejusdem Ferie: quia Octava non fit amplius, & Rubrica præcipit, in Sabb. eas dici, quæ occurrunt in ipso die S. Thomæ, si non transfertur.

25 Anastasiæ. In Sacramentario, & Append. Greg. & non fit de ea, nisi in secunda Missa Nativitatis. De ea fit mentio in Sacramentario Leonino, Calendario Frontonis, & Marteniano.

De SS. Stephano, Johanne, & Innocentibus, vide sect. 6. cap. 6. & seq.

29 Thomæ Cantuarien. Calendarium Cisterciense editum Divione An. 1617. tradit, obiisse die 25. Dec. iisque diebus impeditis fieri Festum hac die. Ciaconius in Alex. III. scribit in Festo, Innocentium ad aram fuisse percussum; sed Brev. Rom. die 29. occubuisse tradit, cui magis est credendum. Festum circa Annum 1200. fuisse institutum, scribit Continuator Sigiberti. Semidupl. in Brev. MS. auctor Officii creditur Alexand. III. à Schulting. Pius V. addidit Homilianas.

31 Silvestri. In Sacrament. S. Gregorii. Et Calendariis Frontoniano, & Marteniano. Semidupl. in Brev. 1550. Duplex à Pio V. Officium à S. Gregorio, ex Cornel. Schultingio. Habetur Officium Missæ in cit. Sacram. & in cit. Antiphonario. In Comite S. Hieron. erat Evang. *Vigilate*.

## Cap. III. De Festis Sanctorum Mense Januario.

**D**E Octavis SS. Stephani, Johann. & Innoc. diximus *scilicet* 6. cap. 6.

5 Telesphori, In Appendice Greg. restituitque Festum Clem. VIII. vel potius instituit Commemorationem.

11 Hygini in dicta Appendice Gregor. Simplex in Brev. 1550.

14 Hilarii, in Appendice Greg. Semid. à Pio V. qui & Officium addidit, erat enim Simplex 1550. Si Festum hoc transferatur, Versus erit: *Iustum deduxit &c.* quia cessat ratio mutationis in concursu aliorum duorum Confessorum. Ubi verò est primæ Classis, dividatur Octava Lect. in duas, in Hymn. *Iste Confessor*, mutatur tertius Versus, ut in Brev. quæ mutatio fit etiam in sequenti Festo, quia ambo obiere, extra hos dies: Hilarius; die 13. Paulus die 10. Januarii.

Felicis in Pincis. In Comite S. Hier. & in Sacram. Gregor. „ In Codice Gelasiano, „ & Calendariis Frontonis, atque Martene „ Simplex in Brev. MS. Officium à Paulino Nolano, ex Schulting. Ubi fit de eo Festum 9. Lectionum, dicitur 8. Responf. *Domine pravenisti*: quia non fuso sanguine mortuus est.

Si sequens Festum transferatur, non mutantur Antiphonæ, & Versus pro S. Mauro: sed dicuntur, ut in Communi. Ita in Breviario Urbano.

„ Officium proprium Sanctissimi Nominis JESU, quod die 14. Januarii aliàs in „ plerisque Christiani Orbis Provinciis, & „ Regnis, variisque particularibus Ecclesiis, „ & Ordinibus Regularibus recitabatur ex „ Indulto S. C. nunc ab omnibus Christi fidelibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, sub Ritu Duplici secundæ Classis „ Dominica II. post Epiphaniam recitari, & „ Missam respectivè celebrari debere, indulfit S. R. C. 29. Novembris 1721. annuente Innocentio XIII. die 29. Decem-

„ bris ejusdem anni. Vide ea, quæ de tali „ Officio dicta sunt in nostris Observationibus supra ad dictam Dominicam II. post „ Epiphaniam.

15 Pauli primi Eremitæ. In Appendice Greg. Simplex in Brev. 1550. Semiduplex à Pio V. cum Officio.

„ Nunc Duplex minus à S. R. C. die 11. Julii 1722. annuente Innocentio XIII. die 18. ejusdem mensis, & anni.

Mauri Abb in Missali Vatic. vol. 474. apud Teuton. ex Radulph. *propof.* 17. Simplex in Brev. 1550. Lect. ejusdem Clem. VIII.

16 Marcelli. In Comite S. Hieron. in Sacram. S. Greg. „ In Codice Gelasiano, „ in Calendario Frontonis, „ Semid. à „ Greg. VII. ex Microl. 43. Officium à Greg. I. ibid. Microl.

17 Antonii Abbatis ante annum 1200. ex actis S. Euthimii, ut Baron, ait in Martyr. In Appendice Greg. reperitur Simplex. In MS. Brev. Semid. 1550. Dupl. à Pio V. qui addidit homiliam.

18 Cathedræ Petri Rom. S. Aug. duos habuit sermones. Beda meminit Baronius deducit ex Append. Greg. Restituit Paulus IV. 1550. à quo ritus Duplex: Officium autem desumptum est ab Antiochena Cathedra, quod est Gregorianum, ex Schulting. Addidit Clem. VIII. quod sit Dupl. majus, & Homiliam S. Hilarii.

Priscæ in Sac. Greg. „ Et Gellonenf, „ ac in Calendario Frontonis.

„ Antiquissimam esse in Ecclesia Festivitatem Cathedræ S. Petri, plura vetera monumenta demonstrant, quæ à viris doctissimis, Baronio, tam in Annalibus, quam in notis ad Martyrologium, Bollandio cum eodem 18. Januarii, & 22. Februarii, Johanne Baptista Solerio afferuntur. Diei autem 22. Februarii Romæ hæc Festivitas „ ad-

„ addicta fuit, ut aboleretur superstitio ci-  
 „ bos afferendi ad sepulchra mortuorum,  
 „ teste D. Augustino serm. 15. de Sanctis,  
 „ seu alio Auctore, ut visum est PP. Mau-  
 „ rinis, de qua re iterum infra sub die 22.  
 „ Februarii. Hinc hujusmodi Festivitas ap-  
 „ pellari solebat etiam Festum epularum,  
 „ observante Hieronymo Macri in Hierole-  
 „ xico. Ista tamen superstitio adhuc post in-  
 „ stitutum hujusmodi Festivitatena apud  
 „ Christianos diu perseveravit, ut eam pro-  
 „ pterea Concilium Turonense secundum  
 „ anno 570. celebratum Can. 22. reprob-  
 „ verit, cujus verba dabimus infra ad di-  
 „ ctam diem 22 Februarii. Unicum olim  
 „ fuisse hujusmodi Festum in Ecclesia Ro-  
 „ mana, opinabatur cum aliis doctis viris  
 „ etiam Cajetanus Cenni in Dissertatione de  
 „ Romana Cathedra, quam tom. 4. Ana-  
 „ stasii Bibliothecarii inseruit pag. 150. &  
 „ revera adhuc Seculo XII. Beletus se igno-  
 „ rare fateatur, an Romano sit, vel Antio-  
 „ chena, quam die 22. Februarii Romani  
 „ celebrabant. Certum quidem est, in Hi-  
 „ spanis, & Gallicanis Ecclesiis jam a Secu-  
 „ lo IX. Cathedrae Romanae celebritatem  
 „ ab Antiochena fuisse distinctam, illique  
 „ hanc diem Januarii 18. assignatam fuisse,  
 „ atque alteri diem 22. Februarii, quem  
 „ morem fortasse etiam Romae imitati sunt  
 „ aliqui, apud quos tamen desierit mos ille  
 „ necesse est, cum Romanae Cathedrae Fe-  
 „ stivitatem Paulus IV. anno 1558. in sua  
 „ Bulla relata a Bollando, Romae iterum  
 „ observari praeeperit, ad exemplum alia-  
 „ rum Ecclesiarum, quae hujusmodi Cath-  
 „ dram hac die sollemniter celebrabant.  
 „ Sed quamquam Romanae Cathedrae Festum  
 „ antiquis Ecclesiae temporibus Romae sub  
 „ hoc titulo minimè observaretur, proba-  
 „ bilis tamen videtur assertio nostri P. Jose-  
 „ phi de Petio in suis eruditissimis Vindiciis  
 „ Librorum Liturgicorum à Cardinali Tho-  
 „ masio editorum cap. 2. §. 6. qui putat hu-  
 „ jusmodi Festum olim Romae celebratum

„ ipso die Natalis S. Petri, cum in Sacra-  
 „ mentario Gelasiano prima ex tribus Mis-  
 „ sis, quae in Festo S. Petri dici solebant à  
 „ Summo Pontifice, eadem omnino sit,  
 „ quam nos hodie in Festivitate Romanae Ca-  
 „ thedrae dicimus, & in qua ejusdem Apo-  
 „ stolorum Principis suprema jurisdictio su-  
 „ per universam Ecclesiam exprimitur. Re-  
 „ jicienda pariter non est conjectura laudati  
 „ Cennii, asserentis, quòd, cum origo Ro-  
 „ manae Cathedrae repetenda sit ab Epocha  
 „ instituti Romani Pontificatus, hincque do-  
 „ cente eruditissimo Praefule Francisco Blan-  
 „ chinio 25. Aprilis addictus fuerit, non in-  
 „ verosimile sit hac die celebratam olim  
 „ fuisse Romanae Cathedrae festivitatem; &  
 „ propterea non rectè Ecclesiae Hispaniae, &  
 „ Gallicanae Romanae Cathedrae initium IV.  
 „ Calendas Februarii constituerint; Paulus  
 „ autem IV. diem hanc mutare non debuit,  
 „ ut una, eademque die Romanae Cathedrae  
 „ Festivitas toto orbe celebraretur. Hanc  
 „ Cennii conjecturam certam planè reddere  
 „ videtur Sacramentarium à Josepho Blan-  
 „ chinio vulgatum tom. 4. Anastasii Biblio-  
 „ thecarii, in quo die 25. Aprilis exhibe-  
 „ tur integra Missa D. Petri.

19 Martii, & Marthae &c. in Append. Gre-  
 gor. „ In Codice Gellonenfi, & Corbe-  
 „ jensi Rodradi legimus - - Natale Mariae,  
 „ & Marthae - - in Rhemenfi - - Natale San-  
 „ ctæ Mariae, & Marthae - - In pluribus verò  
 „ Calendariis, & Martyrologiis legitur - -  
 „ Hierosolymæ Marthae, & Mariae sorores  
 „ Lazari - - quod Menardi opinionem con-  
 „ firmat, asserentis, hac die celebrari Fe-  
 „ stum Marthae, & Mariae sororum Lazari,  
 „ Codex Gelasianus ita habet - - Natale SS.  
 „ Martyrum Sebastiani, Mariae, Marthae, Au-  
 „ difax, & Abacuc - - „ Simplex in Brev.  
 MS. & 1550. Canuti Martyris Semid. ad libi-  
 tum de mandato Clement. X. cum Oratione  
 propria, Lectiones secundi Nocturni die 13.  
 Septembris 1670.

20 Fabiani, & Sebastiani S. August. *Serm.* 100. *de diversis*, agit de S. Sebast. uterque in Comite S. Hieron. & Sacram. Gregor. „ In Calendario Frontonis hac die duæ exhibentur Missæ, una de S. Sebastiano, altera de S. Fabiano, quod etiam faciunt Sacrament. Gellonenſe, & Codex pervetus Turonenſis. Codex verò Gelasianus unicam habet de S. Fabiano, quia de S. Sebastiano mentio fiebat in Missa communi SS. Sebastiano, Mariæ, Marthæ &c. „ Semid. 1550. Duplex à Pio V. addita Homilia. Officium est Gregorianum.

21 Agnetis. Ejus Festum celebrans Ambrosius incepit libros de Virgin. Habetur in Comite S. Hieron. in Sacrament. Gregorii. „ Habetur etiam in Codice Gelasiano cum hoc titulo -- S. Agnetis Virginis de passione -- in Calendario Frontonis -- Natale S. Agnæ de passione -- in Missali Gothico legitur -- Missa in Natali Agnes Virginis, & Martyris -- & in Codice Gellonenſi -- S. Agnæ Virginis. „ Semidupl. apud Duran. & in Brev. 1550. Duplex à Pio V. Officium à S. Ambr. ex Schult. Pius V. addidit Homiliam; Lectiones 2. Nocturni, quæ sunt S. Ambrosii, jussit legi Clem. VIII. Ob ejus autem fortitudinem egregiam tam in Matutino, quàm in 2. Vesperis, dicuntur Psalmi de Communi virorum Sanctorum: iidemque dicendi sunt in primis Vesp. in propria Ecclesia, sicuti dicuntur in Festo Sanctæ Agathæ. Mendum aliqui putant esse in textu Lectionis 4. editionis Vaticanæ, sub Clem. VIII. in iis verbis: *Natalis est S. Agnes*, quæ habentur in textu S. Ambr. at in casu genitivo, *Agnetis*: erat in usu apud Sanctos Patres, & apud Hieron. quoque: cujus verba in Martyrol. Rom. sunt, *Agnes vita laudata est*, utroque igitur modo potest legi, *Agnes*, & *Agnetis*.

22 Vincentii, & Anastasii. De primo August. habuit Sermones duos, adest etiam in Sacram. & Antiphon. Gregor. sed Pamelius negat Officium Missæ à S. Gregorio compo-

ſitum. „ De S. Vincentio fit etiam mentio „ in Calendario Frontonis, & in Codice „ Gellonenſi, neuter tamen meminit Anastasii. „ Utriusque Ritus Simplex in Brev. 1550. Semid. in Brev. MS. Officium à S. Gregor. addidit Homiliam Pius V.

23 Emerentianæ, in Appendice Gregor. „ In Codice Regio, Gellonenſi, & Turonenſi, „ non habetur Emerentianæ, sed Emerentiani, cui additur S. Macarius Martyr. „ Simplex in Brev. MS. & 1550. † Raymundi de Pennafort Conf. Semidup. à Clem. X. die 13. Martii 1671. hujusque nihil de proprio; ideò de Comuni Confess. non Pont. 9. Lect. & commem. S. Emerentianæ, & in Martyrol. de eo legatur primo loco.

„ In Statu Ecclesiastico Desponsatio B. M. „ V. cum S. Joseph Duplex majus à Benedicto XIII. 23. Augusti 1725. Idcirco „ Festum S. Raymundi de Pennafort Ord. „ Prædic. transferri debet in Statu Ecclesiastico, vel ad diem 28. si non transferatur „ Festum SS. Nominis Jesu, vel ad primam „ diem non impeditam.

24 Timothei. In Missali Vaticano vol. 3808. apud Teutonicos Radulph. propof. 17. Simplex in Brev. 1550. Semid. à Clem. VIII. Homilia addita.

25 Conversionis S. Pauli. August. Sermone habuit. In Sacram. Gregor. & ex generali consuetudine fit, ex Radulph. propof. 17. Semid. apud Dur. *lib. 7. cap. 1.* Duplex, apud Radulph. loc. cit. Invitatorium est Hermannii Contracti, ex Schulting. qui & inde argumentatur, eundem esse auctorem totius Officii; sed, exceptis Lectionibus, idem est Officium, ac Commemorationis 30. Junii, quod à S. Gregorio fuisse compositum docet Microl. *cap. 42.* quod neque negat Schultingius. Homiliam Bedæ addidit Clem. VIII. & declaravit, esse Duplex majus.

26 Polycarpi. Smyrnenſis Ecclesia statim, ac obiit, Festum indixit, ut ex ejusdem Epistola patet. In Append. Gregor. habetur 1. Febr.

1. Febr. Simplex in Breviar. 1550. Semiduplex à Clem. VIII.

27 Johannis Chrysoctomi, translatio est, ait Menologium, & Martyrologium Rom. nam obiit 14. Septemb. quo die fit Festum Crucis. In mense Septemb. fuit hoc Festum celebrari ceptum die 16. anni 427. ex Ciacconio in Cœlestino I. seu ex Baronio ad eundem annum num. 20. Habetur ante Festum Crucis in Breviar. Vatic. vol. 4751. in Januar. verò in Missali Vatic. vol. 3808. Simplex in Brev. 1550. Duplex à Pio V. unà cum Officio. In Hymno, *Iste Confessor*, mutatur tertius versus, ut in Brev.

28 Agnetis secundò. In Sacram. Gregor. eratque Titulus in Appendice Gregoriana, de *Nativitate Agnetis*, quia nata est hodie, ex Gemma lib. 3. cap. 23. „ In Codice Gelasiano habetur -- In Natale ejusdem de Nativitate -- Calendarium Frontonis habet -- Natale S. Agnæ de Nativitate -- Codices vero duo Ecclesiæ Turonensis -- Nativitas S. Agnæ Martyris -- explicat Durand. lib. 7. cap. 3. non esse Octavam Festi: sed Nativitatem hoc loco intellige, quòd nata est Cælo: non autem natalem illius diem in carne, ut notat Pamelius in Sacram. Greg. tum quia nata est, ut alii; tum quia ex Augustino *Sermone 20. de Sanctis*, nullius hominis nativitatem legitur celebrari post Natalis Domini diem, nisi solius B. Johannis Baptistæ, & licet post Augustinum, celebrari cepta sit Nativitas B. Virginis, & potuerit S. Gregor. Augustino posterior, indicare Festum cum titulo de *Nativitate B. Agnetis*, cum tamen illa B. Virg. nique recepta fuerit festivitas, uti de Sancta Nativitate: de Sancta verò Agnete non habeamus, quòd fuerit in utero matris sanctificata, hinc fit probabilius, Festum fieri

ob apparitionem ejusdem Parentibus, & Constantiæ, uti narratur in Lectione Brev. quæ facta est octava die, ait Baron. in *Martyrol.* Quare, abrogato dicto titulo, in Calendario dicitur aptius, *Agnetis secundo*. Sex Lectiones, & Officium, ut in die, habuit in Brev. MS. & 1550. nunc Simplex à Pio V. Offic. & Gregorianum est sumpta conjectura ex Sacramentario ejusdem à Cornelio Schultingio. Ubi celebratur Oct. S. Agnetis, dicuntur omnia, ut in die, excepta Oratione, Antiphona ad *Magnificat* in primis Vesp. Lectionibus 1. Noct. de Scriptura occurrente, & Lect. 4. quæ est de S. Agnete secundò, 5. & 6. de Communi Virginum, vel, ut in Octavario Romano. Reliqua, ut in Festo, seu Octavario.

29 † Francisci Salefit. Ab Alexandro VII. Semid. cum Oratione propria, & Lectionibus 2. Noct. die 18. Septemb. 1666. & Festum S. Petri Nolascò celebrari jussit die 31. Januarii, die 21. Octob. 1666. In Hymno *Iste Confessor*, mutatur tertius versus, & de eo legatur primo loco in Martyrologio.

„ Nunc celebratur sub Ritu Duplici à  
„ S. R. C. 24. Novemb. 1691. annuente Innocentio XII.

30 Martine Virg. & Mart. Officium Ritu Semidupl. composuit, & Clero indixit recitandum Urbanus VIII. an. 1635. In Martyrologio legatur de ea primo loco.

31 † Petri Nolascò, sub Ritu Semid. concessit Alexander VII. cum Oratione propria, & Lectionibus 2. Noct. ad preces Regis Hispaniarum die 12. Jul. 1664. Duplex à Clem. X. die 13. Jul. 1672. In Hymno *Iste Confessor*, mutatur tertius versus, & de eo legatur primo loco in Martyrol.

#### Cap. IV. De Festis Sanctorum Mense Februario.

1 Ignatii. Extat Sermo S. Johan. Chrysoct. Manuel meminit *tit. de Feriis*, Ap-

pendix Sacram. Gregor. habet Festum in Decembri; sed in Breviario Vatic. vol. 4751.

in Februarii primo. Lectiones 9, habebat in Breviar impresso 1521 & 1550. Homilianam addidit Pius V. & Lect. 2. Nocturni.

2 De Purificationis B. Virginis Festo, vide, quæ diximus in 1. Tomo. Duplex apud Duran. *loc. cit.* Offic. habetur in Codice Rom. Pius V. addidit 1. Lect. de Scriptura. Nota, quatuor esse sollempniores B. Virginis Festivitates, Purificationem in Hyeme, Annunciat, in Vere, Assumptionem in Æstate, Nativitatem in Autumno. Si occurrat hoc Festum in Dominicis privilegiatis, transferatur in Fer. 2. ex Decreto Clem. VI.

3 Blasii. In Appendice Gregoriana. Simplex in Brev. 1550. erat. Semidupl. in Brev. 1521, nunc Simplex à Pio V. Gemma *lib. 3. cap. 25.* meminit cum luminum usu. An forte ad signandum guttur, quod in Provincia Mediolanensi adhuc est in usu, cum candelis accensis pridè benedictis?

4 ✠ Andreæ Corsini Semid. ad libitum ab Alexandro VII. cum Oratione propria, & Lectionibus 2. Nocturni die 21. Oct. 1666. si fiat Officium, de eo legatur primò in Martyrologio.

„ Idem Officium de præcepto sub Ritu „ Semidupl. à S. R. C. 31. Augusti 1697. annuente Innoc. XII.

„ Denique ad Ritum Duplicem elevatum „ fuit pariter de præcepto à Clemente XII. „ 3. Januar. 1731. & sub Duplici majori „ in Sacra sancta Basilica Lateranensi tantum, in qua præfatus Pontifex ad honorem ejusdem S. Andreæ gentilis sui, pietatis ergo Sacellum magnificentissimè à fundamentis erexit, pretiosis lapidibus, marmoreis, æneisque statuis affabrè elaboratis, ac muliva hujusce Sancti Titularis imagine exornavit; multis præterea muneribus, annuisque redditibus locupletavit.

5 Agathæ. In Antiphonario, & Sacramentario Gregoriano, sed post Gregorium, ait Pamelius in *Antiphonario ejusdem*, & ex Radulph. *propof. 17.* de consuet. generali Se-

midupl. apud Duran. & Radulph. *loc. cit.* Mutavit Homilianam Pius V. cum Evangelio; ob ejus placida merita dicuntur Psalmi in toto Officio de Communi SS. Virorum. „ Hujus „ jus Festi mentio habetur etiam in Codice „ Gelasiano, & Calendario Frontonis „ Officium ejusdem Virginis, & Martyris sub Ritu Duplici recitari, & in Breviario apponi, ac servari mandavit S. R. C. 26. Augusti 1713. approbante Clemente XI. sub die 29. ejusdem mensis Augusti „ anno 1713.

6 Dorotheæ. In Appendice Gregoriana, Simplex in Breviar. MS. & 1550. Hymnus ejus extat in Breviario Toletano.

7 Romualdi. Clemens VIII. 9. Jul. 1595. Semid. Ritu, unà cum Officio, Brev. appositum, qua die fuit translatum ejus Corpus Fabrianum in Piceno, ex Baron. in *Martyrol.* nam obiit die 19. Junii, impedita Festo SS. Gervasii, & Prothasii, quorum Missa non erat expungenda de Missali, quæ habet Introitum proprium (uti dicemus suo loco) ut ejus vice poneretur Missa S. Romualdi cum sola commemor. SS. Martyrum; & ideo in Hymno *Iste Confessor*, mutatur tertius versus, Duplex à Clem. IX. die 23. Febr. 1669.

„ 8 S. Johannis de Matha Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum Institutoris; Duplex de Communi Conf. non Pontificis à S. R. C. sub die 15. Maji 1694. annuente Innocentio XII. antea erat ad libitum.

9 Apolloniæ. In Missali Vatic. vol. 3808. Simplex, in Brev. 1550.

„ 10 Officium S. Scholasticæ Virginis, & Abbatissæ, ac Sororis S. Benedicti cum Lectionibus secundi Nocturni, & Oratione propriis, jam in universo Ordine Benedictino recitari solitum, in posterum ab omnibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, sub Ritu Duplici recitari, & Missa respectivè celebrari debet, ut mandavit Benedict. XIII. sub die 1. Febr. 1729.

» PP. Benedictini Congregationis Cassi-  
 » nensis, & Vallis Oletanae ex speciali pri-  
 » vilegio illis concessio die 17. Febr. 1672.  
 » & die 22. Septembris 1674. celebrant  
 » Festum ejusdem S. Scholasticae cum Octa-  
 » va etiam in Quadragesima, unde servare  
 » debent ea, quae statuta sunt in Decretis  
 » editis die 24. Januarii 1682. & datis in  
 » nostro Indice sub num. 123. 124. 324.  
 » & 325.

14 Valentini. In Comite S. Hieronymi,  
 & Sacramentario Gregor. » Et in Calen-  
 » dario Frontonis. Gelasii Sacramentarium  
 » habet - Natale Valentini, Vitalis, & Fe-  
 » licules - Codices Regius, & Gellonensis  
 » addunt Zenonis. » Simplex 1530. & nul-  
 » la Lectio habetur in Brev. MS. neque apud  
 » nos.

15 Faustini, & Jovita. Appendix Gregor.  
 Simplex in Brev. 1550.

18 Simeonis. In Brev. Vatic. vol. 4751.

22 Cathedra S. Petri Antioch. In Comite  
 Hieron. Antiphonario Gregor. & in ejusdem  
 Sacramentario, ubi additur (Romae) in edi-  
 » tione scilicet Romana; non autem in Pame-  
 » liana. Dicitur fuit Festum Sancti Petri Epu-  
 » larum, quia vinum, & epulae offerbantur  
 » pro mortuis. Jo. Belech. cap. 91. Semidup.  
 » apud Duran. loc. cit. Duplex ex consuetudi-  
 » ne generali apud Radolph. propof. cit. Offi-  
 » cium vel à S. Gregorio, vel à Gelasio, ex  
 » Ordine Rom. conjicitur. Orationis auctor  
 » S. Leo II. ex Durand. lib. 7. cap. 15. Homi-  
 » liam S. Leonis addidit, & haberi Duplex ma-  
 » jus jussit Clem. VIII. notat Belech, loc. cit.  
 » sub nomine Antiochenae comprehensam fuis-  
 » se etiam Romanam Cathedram suo tempore:  
 » nunc distinguuntur. Si concurrat hoc Fe-  
 » stum cum Dominica Sexagesimae, ut in Ta-  
 » bulis nostris 20. 30. nihil refert, dici bis O-  
 » rationem de S. Paulo sub diversa ratione for-  
 » mali, de qua vide in tom. 1. part. 4. tit. 5.  
 » num. 15.

» Non solum in Codice Gregoriano à Pa-  
 » melio edito, sed etiam in Codice Rodradi

» in 2. part. & Cod. Rhem. & in parvulo  
 » Martyrol. MS. existente ad calcem ejus-  
 » dem libri legitur: *Cathedra S. Petri*, sine  
 » adjuncto. In editis autem Romae, ut no-  
 » tat Gavantus, additur *Roma*. In Codice  
 » Ratoldi habetur: *In Antiochia Cathedra S.*  
 » *Petri*. Apud S. Augustinum inter Sermo-  
 » nes de Sanctis extat Sermo 15. in editione  
 » veteri prae notatus *de Cathedra S. Petri*, in  
 » quo in Paganorum superstitionem invehi-  
 » tur. Talis autem Sermo in editione re-  
 » centissima inter dubios recensetur. Rursus  
 » in Concilio Turonensi 2. Can. 22. fit men-  
 » tio ejusdem festivitatis, & praedictarum  
 » superstitionum his verbis: *Sunt etiam, qui*  
 » *in Festivitate Cathedrae Domini Petri Apostoli*  
 » *cibos mortuis offerunt, redeuntes ad domos*  
 » *proprias, ad gentilium revertuntur errores,*  
 » *& post Corpus Domini, sacratas Demoni ac-*  
 » *cipiunt escas, contestantur illam sollicitudinem,*  
 » *tam Pastores, quam Presbyteros gerere, ut*  
 » *quemcumque in hac fatuitate persistere vide-*  
 » *runt, vel ad, nescio, quas petras, aut arbo-*  
 » *res, aut ad fontes designata loca Gentilium*  
 » *perpetrare, qua ad Ecclesiae rationem non per-*  
 » *tinent, eos ab Ecclesia Sancta auctoritate re-*  
 » *pellant.* Ex praedictis Augustini, & Con-  
 » cillii Turonensis locis nulla fit mentio de  
 » mense, & de die hujus Festi, sed ex eo-  
 » rum verbis satis conjicere datur, ut ait  
 » Menardus in notis, & Observationibus ad  
 » Sacram. Gregor. pag. 47. agi de Cathedra  
 » S. Petri, quae hoc mense Februario cele-  
 » bratur; fit enim mentio eorum, qui Pa-  
 » ganorum Ritu mortuis parentabant, eo-  
 » rumque sepulchris dapes inferebant, quod  
 » olim fiebat in Feralibus, quae in prisco  
 » Calendario Romano incipiunt die 20. Fe-  
 » bruarii, & durabant usque ad finem ejus-  
 » dem mensis, in quibus Manes placaban-  
 » tur, eorum tumulis, cibo, quo vesceren-  
 » tur, apposito, ut constat ex Ovidio lib. 1.  
 » Fastorum, qui est de mense Februario,  
 » & refertur à Menardo loc. cit. qui subdit  
 » cum in allegato Concilio, & in Codicibus  
 » MS.

„ MSS. suprà citatis nominetur Cathedra S.  
 „ Petri sine adjuncto, puto olim hoc 22. die  
 „ Februarii sollemnitatem utriusque Cathe-  
 „ dræ celebratam fuisse, & decursu tempo-  
 „ ris Cathedræ soli Antióchenæ devolutam  
 „ fuisse -- Hæc Menardus, qui præterea  
 „ notat in Codicibus MSS. nullum esse Fe-  
 „ stum Cathedræ S. Petri Romæ, ut neque  
 „ in editis, neque apud Pamelium; verum,  
 „ ut diximus, in editione Romana reperitur  
 „ Romæ, ut notavit Gavantus.

23 Vigilia S. Mathiæ, eadem, quæ de Vi-  
 gilia S. Andræ. Officium à Pio V. Si dies  
 sequens fuerit Fer. 4. Cinerum, & ideò trans-  
 feratur Festum S. Mathiæ in Feria 5. eo casu  
 in secundis Vesperis Vigiliæ dicuntur Preces  
 feriales cum Oratione Dominica, non Vi-  
 giliæ, ut in Rubricis generalibus, *tit. de Pre-*  
*cibus num. 5.* & quia casus est singularis hujus  
 loci proprius, ideò & hoc loco adnotavimus.  
 In Anno Bissextili in lectione Martyrologii  
 transfertur pronuntiatio hujus Vigiliæ, &  
 Festi sequentis, ut dicitur in eodem Marty-  
 rologio. Si Vigilia S. Mathiæ incidat in ul-  
 timum diem Bacchanalium, potest Episcopus  
 transferre jejunium in Sabbatum præcede-  
 dens, ne violetur jejunium. Diana 3. part.  
*tract. 6. Miscell. resol. 66.*

„ In Anno Bissextili ad lectionem Marty-  
 „ rologii pro Vigilia, & Festo S. Mathiæ,  
 „ prout exprimitur in Breviario sub mense  
 „ Februario, & in Martyrologio ad diem 23.  
 „ & 24. Februarii, dies 24. eo anno inter-  
 „ ponitur quasi non esset, nec reputanda  
 „ esset: & hinc non legitur eo die lectio  
 „ Martyrologii, sed tantum dicitur: *Sexto*  
 „ *Kalendas Martij Luna* quota fuerit, de-  
 „ inde sic: *Vigilia S. Mathiæ Apostoli. Item*  
 „ *Commemoratio plurimorum &c.* Die porro  
 „ 25. (quæ pro 24. tunc reputatur, dicitur  
 „ rursus: *Sexto Kalendas Martij*, eademque,  
 „ quæ pridie, Luna pronuntiatur, & legi-  
 „ tur Lectio diei 24. appropriata: *In Judea*  
 „ *Natalis S. Mathiæ &c.* & sic consequenter

„ dies 26. censetur esse 25. & 27. censetur  
 „ esse 26.

„ Si Vigilia S. Mathiæ incidat in ultimam  
 „ diem Bacchanalium, non potest, juxta  
 „ Dianæ sententiam, Episcopus transferre  
 „ jejunium in Sabbatum præcedens, quia  
 „ habetur Decretum editum à S. R. C. 23.  
 „ Januarii 1694. prohibens talem anticipa-  
 „ tionem, quod Decretum datur in nostro  
 „ Indice sub *num. 185.*

„ Eadem die 23. per totam Italiam cele-  
 „ bratur Officium S. Margaritæ de Corto-  
 „ na, sub Ritu Semiduplici de Comuni  
 „ non Virg. nec Martyr. & Missa etiam re-  
 „ spectivè celebratur, Lectiones primi No-  
 „ cturni de Scriptura occurrente; Lectiones  
 „ verò secundi Nocturni, Oratio, & An-  
 „ tiphona ad *Benedictus*, & ad *Magnificat*  
 „ propria, ex Decreto S. R. C. die 5. Maji  
 „ 1736. annuente Clemente XII. die 11.  
 „ ejusdem mensis.

24 Mathiæ, ut diximus de S. Andrea.  
 Quoad originem Festi, habetur in Sacramen-  
 tario Gregor. Duplex à Bonif. VIII. Pius V.  
 addidit Evangel. cum Homilia, & Lect. 2.  
 Noct. mutavit. Quòd autem in Bissextili  
 Anno, fiat Officium die sequenti 25. Ale-  
 xand. III. præcepit *de verb. signif. cap. 14.*  
 Concionem de S. Mathiæ habuit Berno. Se-  
 creta Missæ alia est in Sacrament. Gregor.

Circumfertur Officium S. Conradi 19.  
 Februarii, & quod pejus est Venetiis intra  
 Breviarium impressum est, sine Decreto Sa-  
 cræ Rituum Congregationis, quæ illud con-  
 cessit Placentinis, & Netinis in Sicilia tan-  
 tum, sub Ritu Semidupl. 19. Maji 1614.  
 deinde ab Urbano VIII. etiam Ordinis Mi-  
 norum S. Francisci die 13. Septembris 1625.  
 quocirca non est cuique datum illud recita-  
 re; neque fuit ad libitum concessum, ut vi-  
 deri potest in novis impressionibus factis Ve-  
 netiis, ubi dicitur pro Netinis, & Placenti-  
 nis tantum.

Cap. V. De Feftis Sanctorum Mense Martio.

**F**esta Sanctorum in Quadragesima ab antiquis non celebrabantur; quem Ritus retinet mordicus Ecclesia Ambrosiana. Longè tamen ante Micrologum cœpta sunt coli in Quadragesima, ut idem significat, *cap. 48.*

4 *Casimiri.* Extat Decretum, Paulo V. Pontifice, Sacræ Rituum Congregationis, quod fiat Semiduplex, die 23. Januar. 1621. Officium autem sub Clem. VIII. fuerat editum pro Regno Poloniae: deinde à Paulo V. ad usum communem approbatum fuit, die 7. Augusti 1621. In lectione Martyrologii legatur primo loco, juxta leges Martyrologii.

Lucii. In Appendice Gregoriana, restituit Clem. VIII. ob ejusdem Corpus inventum cum Corpore Sanctorum Valeriani, & Tiburtii in Ecclesia S. Cæcilia.

7 Thomæ Aquinatis. à Johanne XXII. anno 1323. uti Doctoris, à Pio V. 1567. Simplex in Brev. 1550. à Pio V. Duplex cum Officio. Si transferatur, mutatur tertius versus Hymni, *Iste Confessor.*

Perpetuæ, & Felicitatis. S. Aug. in hoc Festo tres Tractatus habuit, ex Possidio, & habetur Festum in calce Sacrament. Gregor. „ Et in Codice Gelasianò. „ Simplex in MS. & 1550. ut hodie.

„ 8 S. Johannis de Deo Confessoris Ordinis Fratrum Hospitalitatis Fund. nunc „ Duplex à S. R. C. approbante Innocentio „ XIII. die 25. Aprilis An. 1722. olim idem „ Officium recitabatur sub Ritu Semiduplici, mandante S. R. C. die 21. April. 1714. „ annuente Clemente XI. sub die 4. Maji „ ejusdem anni.

9 ✚ Francisca Romana. Paulus V. primo concessit Officium de Comuni nec Virg. nec Mart. non determinans Ritus, ut habetur in Bulla Canonizationis §. 40. *Virg. Statuen es*, anno 1608. Kalendis Junii, quem *Gavant. Rubr. Brev.*

postea Urbanus VIII. Semidupl. ad libitum in Urbe tantum, cum Lectionibus secundi Noct. propriis, & tandem Duplex ab Innocentio X. de præcepto ab omnibus, adjuncta Oratione propria, & dedit diem sequentem Quadraginta Martyr. & de ea legatur primo loco in Martyrologio.

10 Quadraginta Martyrum. Basilius, & Nyssenus Orationem habuere in eorum Festo, Manuel *in tit. de Feriis*, in Appendice Gregor. habetur Festum Simplex in MS. & 1550. Semidupl. à Pio V. cum Officio.

12 Gregorii Papæ. In Sacrament. Gregor. hoc die, cui statim additum fuit in calce hoc Festum, post ejus obitum; sed Orationes Missæ discordant à nostris in editione Romana; concordant in Pameliana. „ Habet hoc Festum etiam Calendarium Frontonis, & Codex Gellonensis. „ In Septembri, quando fuit ordinatus die 3. Festum agebatur, ex Radulph. *propof. 17.* eo tempore, quo in Quadragesima natalitia Sanctorum non celebrabantur. Officium ab ejusdem successoribus statim, ex Schulingio. Duplex à Bonif. VIII. si transferatur, mutatur in Hymno, *Iste Confessor*, tertius versus, quæ mutatio quoque fit, si transferantur sequentia Festa.

17 Patritii. Ab Urbano VIII. in recognitione Breviarii, sine Lectione, quia semper occurrit in Quadragesima, & in Martyrologio erit de eo legendum in primo loco.

„ Nunc celebratur sub Ritu Semiduplici, „ cum Lectionibus secundi Nocturni, & „ Oratione propriis, ab Innocentio XI. anno 1687.

19 Joseph. In Appendice Gregor. cum hoc titulo - - Nutritoris Domini. Renovavit Festum Sixtus IV. Præcepit diem Populo Festum Gregor. XV. cum Decreto Sacr. Rituum Congregat. 8. Maji 1622. Duplex in

P p Brev.

Brev. 1550. Pius V. mutavit Officium, quod prius erat totum de eodem propriissimum. Duplex secundæ Classis à Clem. X. die 29. Novemb. 1670. & Sac. Rit. Congreg. approbavit. Hymnus proprius in primis Vesperis, ad Matut. & Laud. ac Antiph. ad *Magnificat*, & *Benedictus*, die 21. Novembris 1671.

„ Officium S. Josephi Sponsi B. M. Virg. cum novis Antiphonis, Versibus, Lectionibus primi Nocturni, Responsoris, & Capitulis approbavit, ac in Festo ejusdem recitari mandavit S. R. C. die 3. Februar. 1714. annuente Clemente XI. sub die 4. ejusdem mensis, & anni; & hoc Decretum datur in nostro Indice sub n. 256.

„ Occurrente hoc Festo in Feria quinta majoris hebdomadæ, non transfertur Festum, seu Sollemnitatis, sed solummodo Officium ad aliam diem juxta Rubricas, & Decreta Sac. Congregationis. Ceterum obligatio audiendi Missam, & vacandi ab operibus servilibus adhuc urgebit in prædicta Feria V. majoris hebdomadæ, adeoque per Ordinarios locorum accuratè providendum erit, ut eo die aliqua quidem Missa privata pro præcepti adimplemento non desint, & cætera præsentur, præter hæc in Decreto à S. R. C. edito die 13. Septembris 1692. & dato per extensum in nostro Indice Decretorum spectantium ad Rubricas Missalis sub n. 501. Ob identitatem rationis, & ob similem casum idem præstandum est, si Festum SS. Annunciationis occurrerit in prædicta Feria V. in Cæna Domini. Quoniam verò in prædicto casu occurrit, transferri debere etiam Officium SS. Annunciationis, quod incidet in Feriam IV. post Pascha, licet hoc sit posterius in translatione, attamen antè debet esse in repositione, juxta Decretum editum die 14. Junii 1692. & datum in nostro Indice sub n. 171.

20 Joachim, à Greg. XV. qui Duplici ritu celebrari jussit 2. Dec. 1622. off. approbato die 18. Martii 1623. convenit in Quadrage. legi lect. ix. additam Octavæ, cum in ea contineatur summum privilegium S. Joachim; quòd sit nimirum pater B. Virginis, & in hujus rei gratiam legitur Evangelium de generatione Christi.

21 Benedicti. In calce Sacramentarii Gregor. & infra Antiphonarium ejusdem; sed posterius est Gregor. ait ibidem Pamelius; & de generali consuetudine, Radulphus *propof.* 17. qui & Semidupl. asserit habuisse Officium, quod duravit ultra an. 1521. ut ex Brev. eodem anno impresso constat. Duplex in Brev. 1550. ut hodie. Officium est Gregor. vel, ut ait Schulting, à S. Bernardo vel à S. Petro Damiani, vel Odone Floriacensi: aliud tamen Officium Missæ habetur in Antiphonar. Gregor. in mense Julio.

„ PP. Benedictini Congr. Cassinensis, & Vallis Oletanæ facultatem habent hoc Festum celebrandi cum Octava, etiam in Quadragesima, quod quidem privilegium, seu Indultum Apostolicum extensum fuit etiam ad Moniales ejusdem Ordinis S. Benedicti, quæ sunt subjæctæ Ordinariis locorum, ut concessit Clemens X. die 17. Februarii & 31. Decembris ann. 1672. & die 22. Septembris 1674. Notat Martene de antiqu. Eccles. discipl. *cap. 31. num. 25.* quod in veteri Sacramentorum libro Ecclesie Turonensis tres Missæ habentur de S. Benedicto, quas ipse retulit *lib. 1. de antiqu. Eccles. Ritib.*

25 Annunciationis B. Virg. Orationem habuit (creditur in ejus Festum) S. Gregorius Thaumaturgus, quam in Latinum transtulit Card. Sirletus, seu verius ex Notis Baronian. in Martyrolog. eo prodente Græcam, latinitati donavit Willelmus Lindanus Ruremundensis Episcopus. Meminit Festi S. Athanasii, enarratione de *Deipara*, quæ tamen videtur tribuenda Cyrillo, cum ibi pagnet auctor contra Nestorium. Sexta Synodus *cap. 12.* meminit

minit Festi, tanquam antiqui, citata à Baron. in *Notis Martyrol.* S. August. sermonem de eadem habuit. S. item Petrus Chrysologus. Festum habetur in Sacrament. Gregoriano. „ Et Gelasiano, in Calendario Frontonis, & Marteniano. „ Duplex apud Durand. supra. Lectiones primi Nocturni habentur eadem hodie, quæ in Ord. Rom. reliquum Officium Schultingius Ildephonso tribuit. Orationes Missæ habentur in Sacramentario Gregorian. Quidagendum sit, Quando Festum hoc incidat in ultimo biduo majoris Hebdomadæ: An populus audire Missam teneatur; An queat communicare: diximus in primo Tomo, cum de iis, quæ ad Missam spectant. Si transferatur post Dominicam in Albis, primæ Vesperæ erunt de Beata Virg. cum Commemoratione Dominicæ.

„ Si hoc Festum Sanctissimæ Annuntiationis B. M. V. occurrat in Feria VI. Parasceve, vel in Sabbato Sancto, transfertur unà cum præcepto audiendi Missam, & vacandi ab operibus servilibus, ad Feriam II. post Dominicam in Albis, uti diximus supra in nostris Observat. & Addit. ad prædictam Feriam II. de qua agit Gavantus *Señ. 6. Cap. XV.* unde videantur ibi dicta, ne eadem hic repetantur. Vide etiam Decretum datum in nostro Indice sub n. 37.

„ Feria VI. post Dominicam Passionis Festum Septem Dolorum B. V. M. Duplex majus, de quo vide quæ à nobis dicta sunt supra in nostris Observationibus, & Additionibus ad Ferias post Dominicam Passionis, de quibus Gavantus agit *Señ. VI. Cap. 12.*

### Cap. VI. De Festis Sanctorum Mense Aprili.

2 **F**rancisc. de Paula. In Missali Romano fuit an. 1557. restituit Sixtus V. 1585. qui & Duplex Officium recitari jussit: quod mutatum quidem fuit in Semidupl. à Clem. VIII. ne Offic. Dominicæ impediret (quod in sequentibus similibus mutationibus observa.) sed restitutum denuò Duplex (quia Ordinis Fundator) à Paulo V. fuit. Officium verò à Sixto V. fuerat evulgatum. Si transferatur, mutatur versus tertias Hymni *Iste Confessor.*

„ 4 S. Isidori Episcopi, & Confessoris sub ritu Duplici minori recitari mandavit S. R. C. 25. Aprilis 1722. approbante Innocentio XIII. cum Lectionibus propriis secundis, & tertii Nocturni, ac octavo Responsorio *In medio Ecclesie,* & Oratione „ *Deus, qui populo tuo,* necnon cum Antiphona ad Magnificat in utrisque Vesperis „ *O Doctor optime,* assignata Missa de Communi Doctorum cum *Credo.*

5 **†** Vincentii Ferrerii Confess. Semidupl. ad libitum à Clem. IX. cum Orat. propria,

ac Lect. 2. Noct. die 10. Martii 1668. & de eo primò legatur in Martyrologio.

„ Deinde Semiduplex de præcepto à Clemente XI. tandem Duplex pariter de præcepto à Benedicto XIII. 5. Aprilis 1726.

11 Leonis PP. in Appendice Gregoriana; non tamen fuit in Breviariis MSS. & 1550. à Pio V. deinde cum Duplici ritu, & Officio, fuit restitutum. In Octavario Romano pro Octava S. Leonis potuissent legi (monet Praxis Ceremoniarum Auctor) Lectiones, seu Homiliæ in Festis S. Petri 29. Julii, & 18. Januarii; sed Bellarmino placuit, Homilias tantum infra hanc Octavam legi à S. Leone compositas, in quibus de se loquitur, & quarum gratia datum est huic Festo tale Evangelium. Si transferatur, mutatur tertius versus in Hymno, *Iste Confessor.*

13 **†** Hermenegildi Mart. Officium Semid. ab Urbano VIII. cum Oratione, Hymnis ad Vesp. & Matutinum, & Lectionibus propriis, & celebretur tempore Pa-

schali, legatur Evang. *Si quis venit ad me & non adit Patrem, &c.* contra aliquos, qui dixerunt, quòd debebatur legi Evang. temporis Pasch. nam in Brev. habetur cum Hymnis, & Evang. ut supra. „ Si Hymnus in „ primis Vesperis sit impeditus, ponendus „ est in Matutino, & Hymnus Matutini in „ Laudibus, juxta Decretum emanatum die „ 5. Maji 1736. in *Einfulden*. datum in nostro „ Indice n. 291.

14 Tiburtii, & Valeriani, &c. in Sacrament. Gregor. „ Sicut in Calendariis Frontonis, & Martene. Nulla ipsorum est „ mentio in Codice Gelasiano, sed in Leonino unius Tiburtii meminit Collecta, „ quæ ibi legitur. „ Simplex in Brev. MS. & deinceps Officium Gregorian. Non dicitur, *Hæc est vera, &c.* quia non est Respons. Paschale, neque sunt omnes fratres.

17 Aniceti. In Appendice Gregor. Semidupl. ex Microlog. cap. 43. Romæ tantum, Radulph. *propof.* 22. Simplex in Brev. MS. & 1550. ut hodie.

„ 21 S. Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis, & Angliæ Primatis, aliàs sub Ritu Semiduplici de præcepto, nunc sub Ritu Duplici recitari mandavit S. R. C. 3. Februarii 1720. approbante Clemente XI. sub die Octava ejusdem mensis, eodemque anno. In utrisque Vesperis poni debet Antiphona *O Doctor optime*, & in ejus Missa, quæ incipit *In medio Ecclæ* debet dici etiam *Credo*, ita rescribente eadem Congregatione.

22 Soteris, & Caji. In Append. Gregor. Soteris tantum, „ S. Soteris Festum in Codice Gelasiano habetur non hac die, sed int. „ Id. Febr. „ Radulph. *propof.* 22. Semidupl. ex Microlog. c. 43. Simplex in MS. & 1550. à Pio V. restitutus est Ritus Semidupl. unà cum Officio.

23 Georgii. In Antiphon. & Sacrament. Greg. sed additum putat Pamelius *ibid.* post S. Gregorium. „ Habetur quoque in Calendario Frontonis, deest in Marteniano. „

Manuel tit. de *Feris*. Simplex in MS. Brev. & 1550. à Pio V. Semidupl. cum Orat. sumpta à Festo S. Barnabæ. Nulla Lectio propria in antiquis, neque in recentioribus.

„ De hoc S. Martyre mentionem facit „ Martyrologium Romanum Vetus, sive S. Hieronymi, necnon Ufuardus, Ado, Norkerus, & passim alii recentiores Martyrologi, Menologium quoque Græcorum, „ Metaphrastes apud Lippomanum tom. 7. „ & Surium tom. 2. ubi referuntur acta „ Martyrii, de quibus, aliisque, quæ vulgò circumferuntur, quid sentiendum sit, videndus est Baronius in notis ad Martyrologium Romanum hac die, necnon ea, quæ ad eandem diem eruditè scripsit Papebroch. in Commentario prævio ad Vitam ejusdem S. Georgii tom. 3. ubi agit de antiquo hujus Martyris cultu statim à principio latè diffusò, deque templis, Monasteriis, Oratoriis S. Georgio per Universum Orbem erectis, ac Reliquiarum distractione plura congerit, ejusque actum latina, cum Græca, quæ melioris esse fidei, quàm latina, licet non omnino accuratissima, pluribus adstruit, & ex MSS. profert, notisque exornat; ubi & Encomium ejusdem Sancti, auctore S. Andrea Archiepiscopo Cretensi ex MS. Vaticano; aliudque Encomium, auctore Georgio Cyprio Patriarcha Constant. ex MS. Græco refert cum Analectis de ejusdem Sancti Reliquiis, miraculis, ac patrocinio. Martyrium subiit magnus hic Martyr, & toto Christiano Orbe celeberrimus Seculo IV. anno Christi 303.

25 Marci Evangel. Ordo Rom. Sacrament. Gregor. Decretum Bonifacii VIII. qui ritum Duplicem præscripsit. De Litanis majoribus, vide præcedentem *Section. c. p.* 16. Decrevit Sacra Rituum Congreg. Litanias majores occurrentes in die Paschalis differendas esse in Feriam tertiam sequentem: quod me petente, sancivit die 23. Sept. 1627. eò, quia Missa Episcopalis, communio totius populi

puli, & Cleri ob has causas occupatio, impediunt Processionem, in die tamen Festo faciendam, ex institutione Sancti Gregor. quare hæc translatio solius erit Paschatis diei privilegium, non autem dierum, qui sequuntur. Objiciebatur Concio Matutina: at hæc, vel ante, vel post Processionem haberi poterit, vel à prandio, ut in Paschate.

De origine, & Ritu Litaniarum majorum, quæ hac die recitantur, vide, quæ à nobis dicta sunt in tom. 1. nostrarum Observationum. necnon in hoc 2. tom. agendo de Rogationibus.

Si hoc Festum S. Marci transferendum sit; necnon Festum Apostolorum Philippi, & Jacobi; prius reponendum est Festum S. Marci, deinde Festum SS. Apostolorum, ita decrevit S. R. C. 18. Septembris 1676. necnon 17. Julii 1706. ratio autem est; quia Festa Evangelistarum, & Apostolorum sunt æqualis sollemnitatis, nec aliqua occurrit inter eos differentia, & ideo, quando sunt æqualis Ritus, in eorum repositione attendenda est prioritas translationis, seu temporis Festi transferendi quoad Officium.

26 Cleti, & Marcellini. In Appendice Gregor. Semidupl. ex Microlog. 43. Romæ tantum, ex Radulph. *propof.* 22. Simplex in MS. & 1550. Semidupl. à Pio V. restituitur, à quo & Officium.

28 Vitalis. In Antiph. & Sacramentar. Gregor. „ Et in Calendariis Martene, atque Frontonis. „ In hoc Festo sermonem habuit Petrus Card. Damiani apud Surium tom. 1. Simplex in MS. & 1550. ut hodie.

29 Petri Martyris. In Brev. Vatican. vol. 4760. restituit Sixtus V. 1586. qui & Dupl. cum Officio instituit. Semiduplex jussit esse Clem. VIII. Denuò Duplex à Clemente X.

30 Catharina Senensis Clem. VIII. Commemorationem ordinavit in præcedenti die, suggerente Roberto Cardin. Bellarmino, at Urbanus VIII. Semiduplex Officium esse voluit 7. August. 1628. Lectiones proprias, & Orationes addidit, præsertim ad varietatem Orationum in Officio, & Missa, quando contingit hoc Festum transferri in diem 4. Maji, in qua occurrit Festum S. Monica. Duplex à Clemente X.

### Cap. VII. De Festis Sanctorum Mense Majo.

Philippi, & Jacobi. Sine Vigilia, ex Innoc. III. *de observ. jejun. cap. 2.* Officium Vig. adhuc legitur in Sacrament. Gregor. pro Missa tantum. „ Habetur hoc Festum in Codice Gelasiano, Calendariis Frontoniano, & Marteniano. „ Festum, ut de S. Andrea dictum est; Officium creditur à Schulting. esse Pelagii Papæ, qui eorum corpora condidit in Basilica duodecim Apostolorum, & uno, eodemque die utriusque Festum celebrari jussit. Habetur in Comité Hieron. in Antiph. & Sacrament. Greg. Offic. Missæ. Si occurrat hoc Festum in Sabb. Dom. 3. post Pascha, tunc in Domin. 4. debent legi Lect. Fer. 2. seq. ne bis initium Epistolæ S. Jacobi legatur immediate

duobus diebus; ut diximus: *Secl. 6. cap. 15. num. 6.* quod si contingat eos dividi juxta Rubr. de qua *Secl. 3. cap. 10. num. 13. eo casu* in Eccles. S. Philip. Lect. 1. Noct. erunt de Communi Apost. reservata Lectione Epistol. S. Jacobi Officio ejusdem, cujus est propria.

Lectiones 2. Nocturni quinta, & sexta sumuntur de Communi Apostolorum; Lect. 3. Noct. cum Antiphonis in Laudibus, ut in proprio Festo; quia sunt magis propria de S. Philippo; in Officio verò S. Jacobi, quod transferri debet in primam diem non impeditam, etiam intra Octavam S. Philippi Titularis (hoc est, die 4. Maji, vel si ea dies Dominica est, in diem quintam) prima Le-

ctiones, ut dictum est, erunt de Epist. Jacobi, secunda erunt propriae, addita sexta de Communi Apostolorum, tertiae Lectiones erunt de Evang. *Ecce nos reliquimus omnia*, ut in eodem Communi Apostol. Antiphona omnes de Communi Apostol. tempore Paschali. De S. Monica fiet Comm. in Laudibus tantum, cum 9. Lectione ex duabus una. Pro varietate Orationum, quae necessaria certe erit in 2. Vesp. S. Jacobi, si die sequenti fiat de die infra Octav. S. Philippi, sumi poterit Oratio de S. Jacobo majore, 25. Julii. Eadem servanda erunt, vice versa; si Festum S. Jacobi minoris sit Titularis Ecclesiae. Missa quoque de S. Philippo erit ea ipsa, quae in Missali est propria cum Orationibus in numero singulari de eodem. De S. Jacobo poterit dici Missa ut in Festo Sancti Marci Evangel. demptis Oratione, Epistola, & Evangelio, quae cum Officio concordare debent.

Ubi sit Octava, si intra eandem occurrat Fer. 2. Rogationum, vel Vig. Ascensionis, Lect. 1. Noct. sumuntur de Communi Apost. Missa verò dicitur de Rogat. cum Commem. Octav. sine *Gloria*, & *Credo*, & cum Praefatione de Tempore, non de Octava.

Alicubi accidit hoc Festum transferri post Festum Trinit. & consultus respondi (salva semper auctoritate S. Rituum Cong.) Officium eo casu fieri, ut in Communi Apost. extra tempus Pasch. retentis iis, quae sunt propria Festi, & demptis, Alleluja, in Antiph. In Missa verò demptis etiam Alleluja in Introitu, & Communione, sumerem Epist. Gradualement, & Offertorium è Missa votiva SS. Apost. Petri, & Pauli.

2 Athanasii. In Appendice Greg. Orationem Nazianzenus habuit in ejus Festo, Manuel *tit. de Feriis*. Simplex in Breviar. 1550. Duplex à Pio V. cum Officio. In Octavario nostro non damus Octavae hujus Sancti tria Evangelia, quod scripsit aliquis: sed in die Octava legitur, in idem Evangelium Festi, Homilia Festi S. Polycarpi, quae

explicat postremam partem Evangelii Festi S. Athanasii. Homilia ergo non Evangelium Festi S. Polycarpi legi debet. Si transferatur, mutatur versus tertius in Hymno, *Iste Confessor*.

3. Inventionis Sanctae Crucis. Decreto Eusebii Papae, *dist. 3. Crucis* à S. Silvestro institutum fuit, ex Fl. Lucio Dextro in *Chronico* (si tamen illius est, quod nuper editum est) *Anno 424. num. 12*. Comes Hieronym. Ordo Roman. Sacramentar. Gregorian. „ Hujus Festi habetur mentio in Codicibus „ Gelasiano, & Gothico, nihil de eo legitur „ in Calendariis toties laudatis. „ Semiduplex apud Durand. *loco cit.* Duplex apud Radulph. *propof. 17*. Officium ab Eusebio, & habetur apud Microlog. *cap. 55*. Alii in Brev. Venet. 1521. auctorem faciunt Petrum Episcopum Singalensem, approbante Gregorio XI. Oratio est Ambrosiana, & habetur in Sacramentario Gregoriano cum aliis duabus, quae dicuntur in Missa; Officiumque Missae in Antiphonario, Clemens VIII. inter Festa secundae Classis collocavit, mutavitque Antiphonas ad Laudes, ut essent eadem, in Exaltatione, quia priores historiam continebant dubiam. Si concurrant Festa Ascensionis, & inventionis Sanctae Crucis, fiat Commemoratio de Festo Sanctae Crucis, licet videatur Festum de eodem Domino, & differentia satis patet in diversitate mysterii, quidquid alii contra scripserint.

Alexandri, &c. cum Juvenali Confessore. Primorum trium mentio est in Sacramentario Gregoriano: Juvenalis quoque in Antiphonario Gregoriano: omnium simul in Missali Vaticano, omnium antiquissimo, *vol. 4770*. „ Alexandri, Eventii, & Theoduli „ meminerunt etiam Calendaria Frontonis, „ & Martene. Codex Gelasianus unius Juvenalis Missam habet. „ Simplex 1550. Officium Gregorianum. In Oratione titulus (martyrum) omittitur, quia Juvenalis non fuit martyr.

„ Si hoc Festum transferatur extra tem-  
 „ pus Paschale, omittitur in Officio *Allelu-*  
 „ *ja*, exceptis quibusdam locis, ut in Ex-  
 „ altatione: in Hymno autem *Vexilla* dici-  
 „ tur *In hac triumphi gloria*. Ad Matutinum  
 „ Antiphonæ de Festo Exaltationis S. Crucis  
 „ dicentur, excepta prima primi, & secun-  
 „ di Nocturni, & Missa dicitur, ut in Fe-  
 „ sto Exaltationis ejusdem, exceptis Evan-  
 „ gelio, & Offertorio, quæ ei sunt propria.

4 Monica. In Breviar. Vatican. *volum.*  
 4753. Simplex in MS. & à Pio V. cum Of-  
 ficio, pro Octava ejusdem (quæ celebratur,  
 ut plurimum apud alumnos S. August. & pro-  
 prias habet Lect.) indicatum est satis in  
 Octavario: dataque idè sunt Lectio. de  
 Communi; possunt tamen etiam legi in die  
 Oct. quæ Fer. 5. Dom. 4. Quadrag. habentur  
 in Breviario. Semid. à Clem. IX. ad-  
 juncta Lect. 3. 2. Noct. ex Divo Augustino,  
 ac Lect. 3. Noct. Die 14. Jul. 1669.

„ Nunc elevatum est hoc Officium ad  
 „ Ritum Duplicem à S. R. C. sub die 26.  
 „ Augusti 1730. Gavantus ponit hoc Festum  
 „ sub die 5. hujus mensis, sed translatum  
 „ fuit ad præsentem diem, unde non potest  
 „ amplius ad diem 4. transferri Festum S.  
 „ Jacobi, ut asseruit Gavantus supra in ca-  
 „ su & c.

„ 5 Sancti Pii V. ex Ord. Prædicat. à  
 „ Clemente XI. in Sanctorum albo solle-  
 „ mniter adscripti cum Oratione, & Lectio-  
 „ nibus secundi Nocturni propriis; jam ali-  
 „ quibus Civitatibus, & Diocæsis Offi-  
 „ cium concessum, extensum fuit ad Eccle-  
 „ siam Universalem pro hac die sub Ritu  
 „ Semiduplici de præcepto recitandum; à  
 „ S. C. R. die 28. Januarii 1713. annuente  
 „ Clemente XI. die 17. Februarii ejusdem  
 „ anni.

6 Johannis ante portam Latinam. In Ap-  
 pendice Gregor. & Gemma *lib. 4. cap. 160.*  
 „ In Sacramentario Gellonensi habetur - -  
 „ Natale S. Johannis ante portam Latinam - -  
 „ in Missali Cothico post Festum Inventio-

„ nis S. Crucis legitur - - Missa S. Johannis  
 „ Apostoli, & Evangelistæ. Nihil de ea in  
 „ memoratis Calendariis, & in Codice Ge-  
 „ lasiano. „ Semidupl. apud Durand. *loco*  
 „ *cit.* Duplex à Pio V. ut in Brev. 1550. Cle-  
 mens Oct. Duplex majus declaravit esse. Si  
 occurrat in Sabbato Ascens. legitur initium  
 Epist. Dom. sequentis, in qua deinde legi  
 possunt Lect. Fer. 2. ne bis initium legatur  
 immediatè: ita in recognitione postrema  
 Breviarii. Si occurrat in Domin. vel Fer. 2.  
 Rogationum, convenit, ut nona Lectio con-  
 jungatur octav. quia in illa de martyrio illius  
 agitur.

„ Non solum si hoc Festum occurrat in  
 „ Dominica, vel Feria secunda Rogationum,  
 „ convenit, ut IX. Lectio jungatur cum  
 „ Octava, quia in illa de martyrio S. Johan-  
 „ nis agitur, sed idem dicendum est, si hoc  
 „ Festum celebretur Feria IV. Rogationum,  
 „ aut transferatur in diem; quo dici debe-  
 „ bit Lectio IX. de Festo Simplicii. Quod  
 „ si idem Festum S. Johannis occurrat intra  
 „ Octavam Ascensionis, in fine Hymnorum  
 „ Festi dicitur ultima Strophe de Ascensio-  
 „ ne, licet dicta sit Strophe penultima tem-  
 „ poris Paschalis, & eadem est lex in Festo  
 „ SS. Philippi, & Jacobi; si verò hoc Festum  
 „ transferatur extra tempus Paschale, fient  
 „ omnia de Communi Apostolorum extra  
 „ idem tempus, exceptis iis, quæ sunt pro-  
 „ pria; Missa autem dicitur, ut in ejusdem  
 „ Festo mense Decembri, præter Orationem,  
 „ & Evangelium, quæ dicentur, ut in hoc  
 „ Festo.

7 Stanislai in Brev. Vatic. *volum.* 4751.  
 à Clem. VIII. restituitur An. 1595. à quo  
 & Ritus Semiduplex, & Officium decerni-  
 tur; hac nimirum die, licet obierit die se-  
 quenti, ex Not. Baron. in *Martyrolog.* quæ  
 impeditur majori Festo. Petrus Galelin. in  
 suo *Martyrolog.* scribit obiisse die 11. Aprilis,  
 quæ item impedita est Festo S. Leonis.  
 „ Nunc verò dictum Officium elevatum est  
 „ ad ritum Duplicem à S. R. C. die 10.  
 „ Mar-

» Martii 1736. approbante Clemente XII.  
 » Summo Pontifice die 13. ejusdem mensis,  
 » & anni.

8 Apparitionis Michaelis Archangeli. Hujus Festi meminit Alexandr. II. *Epist. ad Petrum Archiep. Diocensem*, in qua concedit eidem, ut possit uti Pallio in duobus Festis S. Angeli, & in aliis de more. Explicat recentior hunc textum de duobus Festis, quæ sequuntur immediatè diem Paschatis; at unde probat dici hæc duo Angelorum Festa? An quia Mediolani celebratur Festum Ferie 2. Paschatis apud Ædem S. Angeli? annuit ille. Certè Urbanus II. concessit usum Pallii etiam in Festo S. Michaelis in *Epist. ad Berengarium Tarr-conensem Archiepiscopum*, quod adnotavit idem boni nominis Auctor. Contigit Apparitio sub Gelasio, in *Sigibert. Chronico*, ob aliam apparitionem ante eam, quæ in Gargano monte, (ait Baron, in Martyrolog.) agebatur Festum, & habetur in Missali Vatican. vol. 4770. Semidupl apud Durand. *loc. cit.* & in Breviario 1550. Duplex à Pio V. Duplex majus à Clemente VIII. ille addidit primas, & secundas Lectiones: hic Homiliam Sancti Hilarii, reliquum Officium à Festo Dedic. sumitur, ritu tamen Paschali. Octava Benedictio; *Quorum Festum &c.* ut ex 8. Lectione patet. Lectiones autem pro Octava à nobis aliàs editæ, & à Sacra Rituum Congregatione approbatæ, reformatæ fuerunt in Octavario Romano. Quod si Festum Apparitionis transferatur ultra tempus Paschale, fiat, ut in Septembri. Si occurrat in Feria secunda Rogationum, octavæ Lectioni convenit adjungi nonam, in qua de Sanctis Angelis agitur.

» Si hoc Festum transferatur extra tem-  
 » pus Paschale, Officium, & Missa dicentur,  
 » ut in Festo Dicationis, sicut etiam no-  
 » tavit Gavantus supra, exceptis tamen Le-  
 » ctionibus secundi, & tertii Nocturni, quæ  
 » dicentur, ut in hoc Festo apparitionis,  
 » omisso *Alleluja* in Responsoris.

9. Gregorii Nazianzeni. Manuel de Fe-  
 rrii. In Breviario Romano non ante annum  
 1500. ut notavi, diligentissimè perlustrans  
 multa Missalia, & Breviar. Antiquiora, ne-  
 que de eo fit mentio in Brev. edito 1550.  
 Duplex ergo cum Officio toto à Pio V. Si  
 transferatur, mutatur tertius versus Hymni,  
*Iste Confessor.*

10 Gordiani, & Epimachi. In Antiph.  
 & Sacramentario Gregoriano. » Et in Ca-  
 » lendario Martene, sed in Frontoniano nul-  
 » la fit mentio S. Epimachi, sicuti nec in  
 » veteri Codice Gellonensi, in quo hoc Fe-  
 » stum ita exprimitur -- Natale S. Gordiani  
 » via Latina. -- » Simplex in MS. & 1550.  
 Officium Gregorianum.

» S. Antonini Episcopi, & Confessoris,  
 » olim Semiduplex ad libitum, nunc de  
 » præcepto à S. R. C. 2. Aprilis 1707. ap-  
 » probante Clemente XI. sub die 16. ejus-  
 » dem mensis, & eodem anno.

12 Nerei, Achillei, &c. excepta Domi-  
 tilla, quæ obiit die 7. Maji, & quam, ob  
 hodiernam translationem, addidit Clemens  
 VIII. omnes habent Festum in Antiphonario  
 Gregoriano, ubi habetur Officium Missæ.  
 Orationes etiam leguntur in Sacramentario  
 Gregoriano, non Romano, sed à Pamelio  
 edito. » Hoc Festum memoratur etiam in  
 » Codice Gelasiano, & in Calendario Mar-  
 » tene; sed in neutro fit mentio S. Domi-  
 » tillæ, nec S. Pancratii in postremo. Ca-  
 » lendarium Frontonis duas hac die Missas  
 » habet, unam de SS. Nereo, & Achilleo,  
 » alteram de S. Pancratio, quas etiam ha-  
 » bent Codices Gellonensis, & Turonensis.  
 » Pancratii Festum habetur in Comite S. Hie-  
 » ronymi. Simplex in MS. & 1550. omnes  
 » autem Ritu Semidupl. à Clem. VIII. coli ju-  
 » bentur, qui addidit Homiliam cum Evange-  
 » lio, & Lectiones 2. Nocturni ampliavit in  
 » laudem Domitillæ, instante Cardin. Baronio,  
 » qui pridè transtulit in Ecclesiam eorundem,  
 » & Titulum suum, corpora trium primorum,  
 Anno 1597. reliquum Officium est Grego-  
 ria-

rianum. Si occurrat hoc Festum in Fer. 2. Rogat. congruit legi nonam Lectionem cum Octava; in ea enim agitur de Sanctis. Si venerit extra tempus Paschale, quia transferatur, mutantur Antiphona, & Responsoria; non tamen dicitur: *Hac est vera Fraternitas*: quia non sunt omnes fratres. *Vide Sect. 9. cap. 6. num. 9.* Missa dicetur cum Orationibus, & Evangelio propriis, ut in Communi extra tempus Paschale.

» Prædicta Missa dicenda extra dictum tempus Paschale erit - - Sapientiam,

14 Bonifacii. In Breviario Vaticano *vol. 4753.* Cum novem Lectionibus in Breviario. 1550. Cum duabus à Pio V.

16 Ubaldi à Cælestino III. Anno 1192. in Brev. Vaticano *vol. 4760.* A Paulo V. Duce Urbinate procurante, restitutum est Festum die 24. Septemb. quia hac die 16. creatus ille fuit Summus Pontifex, & huic seniori natus est filius, Anno 1605. Simplex in MS. Officium à Paulo V. editum est 17. Decembr. 1605.

» Nunc verò Semiduplex de præcepto à S. R. C. die 11. Febr. 1702. approbante Clemente XI.

18 ✠ Venantii mart. Semidup. à Clemente X. cum Oratione & Lect. 2. Noct. cum Hymn. in primis Vesp. ad Matutin. & Laud. 18. Nov. 1670. in gratiam hujus Sancti, Patroni Civit. Camerini in qua ipse fuit Episc.

19 Pudentianæ in Antiphonario Gregoriano. » Et in Calendario Frontonis, in aliis Liturgicis libris atum de ea silentium. » Posterius tamen est Gregorio ex Pamelio *ibid.* Simplex in MS. & 1550. Officium Gregor. Petri Cælestini Papæ & Confess. Semid. à Clem. IX. die 2. Jul. 1668. & Sacra Congregat. approbavit Orationem propriam cum quarta Lectione die 5. Octob. 1669. & de eo legitur primo loco in Martyrolog.

*Gavani. Rubr. Brev.*

» Officium S. Cælestini PP. & Conf. elevatum fuit ad Ritus Dupl. ab Innoc. XI. sub die 10. Mart. 1681.

20 ✠ Bernardini Senensis Semid. ab Alexand. VII. cum Oratione, & Lectionibus 2. Noct. propriis die 15. Septemb. 1657. & de eo legatur primo in Martyr.

25 Urbani. In Antiphonario, & Sacrament. S. Gregor. » Et in Calendario Martene. In Frontoniano ita legitur - - Natile S. Urbani Confessoris, atque Pontificis. » Semid. apud Microl. *cap. 4.* Romæ tantum, Radulph. *propof. 22.* Simplex in MS. & 1550.

» Officium S. Gregorii PP. VII. aliàs à S. R. C. die 19. August. 1719. cum Lectionibus secundi Nocturni, & Oratione propriis pro Basilicis Patriarchalibus Urbis, & universo Ordine Benedictino revisum, & approbatum, in posterum ab omnibus Christi fidelibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, hac die sub Ritu Duplici recitari, & Missam respectivè celebrari debere, ac ita in Breviario, ac in Missali Romano apponi mandavit Benedictus XIII. die 25. Septembris 1728. Cum hoc Officium dicendum sit juxta concessionem factam Ordini S. Benedicti, hinc in tertio Nocturno legenda est Homilia S. Hilarii Episcopi in Evangelium *Vigilate*, quæ habetur in secundo loco de Communi Confessoris Pontificis, & consequenter idem Evangelium recitandum in Missa, licet hæc sumenda sit ex primo loco ejusdem Communis, incipiens *Statuit*. In eodem Officio 9. Lectio erit de S. Urbano PP. & Martyre, de quo idcirco faciendæ etiam erit commemoratio in primis Versibus, Laudibus & Missa.

26 Eleutherii. In Missali Vatic. *volum. 4743.* Simplex in MS. & 1550.

Philippi Nerii Confessoris. Ad libitum fieri potest Festum cum Officio approbato, sub Urbano VIII. 6. Novemb. 1625. si fiat Officium, in Lect. Martyrologii legatur primo

mo loco : \* si transferatur, mutatur tertius  
versus Hymni, *Iste Confessor*.

De præcepto ab Alexandro VII. Tandem  
Duplex à Clemente IX, die 8. Junii 1669.

27 Johannis Papæ, ut dictum est de præ-  
cedenti Eleuthero : sed hic dies translatio-  
nis est : obiit enim die 21. & die 27. Ro-  
mam fuit translatum Corpus, ex Baron, in  
*not. Martyrolog.*

» S. Mariæ Magdalena de Pazzis Virgi-  
» nis. Officium Semiduplex de præcepto  
» pro universa Ecclesia à Clemente X. anno  
» 1670. 9. Jun. ad preces Card. de Hassia  
» nomine Cæsarea Majestatis.

» In Italia verò, & Insulis adjacentibus  
» Duplex à Bened. XIII. 28. Januar. 1728.  
» ad pias preces Violantis Beatricis Etruriæ  
» Magnæ Principissæ. Hoc Officium olim

» recitabatur die 25. hujus Mensis sed post-  
» quàm ejus locum occupavit Festum, &  
» Officium S. Gregorii VII. reperitur in o-  
» mnibus Breviariis, & Missalibus assignata  
» hac dies tanquam propria prædictæ S. Ma-  
» riæ Magdalena de Pazzis. Nona Lectio  
» erit de S. Johanne PP. & Martyre, & de  
» eo fit commemoratio in primis Vesp. Lau-  
» dibus, & Missa.

30 Felicis Papæ. In Appendice Gregor.  
Simplex in MS. & 1550.

31 Petronilla. In eadem Appendice, à  
Teutonicis, ex Radulph. *prop. of.* 17. Simplex  
in MS. & 1550. Lectionem dubiam de ea  
sustulit Clem. VIII. Ant. Gallonius optimè  
negat esse Petri filiam, nisi velis esse spiri-  
tualem tantum.

### Cap. VIII. De Festis Sanctorum Mense Junio.

2 Petri, & Marcellini. In Antiphonario,  
& Sacramentario Gregor. „ In Co-  
dice Gelasiano, in Calendariis Martene, &  
» Frontonis, & quamplurimis aliis Codici-  
» bus. „ Agebatur tamen Festum eorum,  
tempore S. Gregorii in Mense Decembri,  
nisi sit mendum in Codice ejusdem, in in-  
*scriptione Homil. 6. in Evangel. qua habita suis-  
se dicitur in die natali ipsorum, Dom. 3. Ad-  
ventus.*

» Erasmi. Romæ tantùm, Radulph. *prop.*  
22. & in Missali Vatic. *col.* 4743. Simplex  
in MS. cum novem Lectionibus in Breviar.  
1550. à Pio V. Simplex Officium Gregor.  
\* sed, cur Erasmus ultimo loco ? nam Episc.  
est, & Martyr. Fortasse, quia primi duo erant  
Romani, quibus & Constantinus Ecclesiam  
ædificavit ex Brev. in Festo Dedicat. Basilicæ  
Apostolorum 18. Novembris.

6 Norberti, A Paulo V. 14. Novembr.  
1620. cum Ritu Semidupl. & Officio ; die  
30. Mart. 1621. approbato à Sacra Rituum  
Congreg. in lectione Martyrol. ponatur pri-  
mo loco ; si transferatur, mutatur tertius

versus Hymni, *Iste Confessor*. Circumfertur  
Decretum Urbani VIII. anni 1625. quo  
transfertur hoc Festum in diem 11. Julii, sed  
idem Pontif. anno 1631. declaravit, ab Or-  
dine tantùm Pramonstratensi transferendum  
esse, non à reliquo Clero. \* Duplex à Cle-  
mente X. die 7. Septemb. 1672.

9 Primi, & Feliciani. In Antiph. & Sa-  
cram. Gregor. Simplex in MS. & 1550. „ In  
» Calendario Frontonis, in Codice Gello-  
» nensi, & quibusdam aliis. „ Officium  
Gregor.

» Horum Sanctorum Martyrum Corpora  
» Theodorus Papa I. ex Arenario Nomen-  
» tano, in quo post Martyrium sepulta fue-  
» runt, transtulit in Ecclesiam Sancti Ste-  
» phani in Monte Cælio, ubi anno 1625.  
» inventa fuerunt ab Urbano VIII. & iterùm  
» anno 1735. die 18. Novembris, & tan-  
» dem anno 1736. sollempni pompa à Car-  
» dinali Antonio Xaverio Gentili non minùs  
» Purpura, quam doctrina, ac pietate Emi-  
» nentissimo, & ejusdem Ecclesiæ Titulari  
» translata, & sub novo Altari summa ejus-  
» dem

dem Cardinalis munificentia extracto, collocata sunt; posita in fronte sarcophagi inscriptione sequenti.

” CORPORA SS. MM. PRIMI, ET FELICIANI EX ARENARIO NOMENTANO A THEODORO PP. I. HUC TRANSLATA, ATQUE AB URB. PP. VIII. ANNO 1625. INVENTA ANTONIUS HUIUS ECCLÆ SANCTI STEPHANI IN MONTE CÆLIO PRESB. CARD. GENTILIS SUB NOVO ALTARI ASE EXCITATO, ET CONSECRATO SOLEMNI POMPA RESPOSUIT. 10. JUNII 1736.

” Hæc animadvertere placuit, tum ut Auctorum opinionem refelleremus, qui Sanctorum Primi, & Feliciani Corpora alio translata scripserunt, tum, ut Eminentissimi Principis pietatem, cui plurimum etiam debet hoc opus nostrum, commendaremus. De hac SS. Corporum inventione, & sollempni translatione loquitur doctissimus Johannes Marangoni, Congregationis Oratorii S. Hieronymi Charitatis Presbyter, & Anagninæ Ecclesiæ Canonicus, in opere Ascetico Theologico, & Historico, cui titulus est: *De Santi Angeli Custodi, dodici Meditazioni &c.* singularem etiam, ac eruditissimam ea de re scripsit idem auctor Dissertationem, quæ brevi publici juris fiet.

” 10 S. Margaritæ Scotiæ Reginæ. Semiduplex de præcepto à Sac. Rit. Congreg. 21. Febr. 1693. annuente Innocentio XII.

” 11 Barnabæ. In Appendice Gregor. & ex generali consuetudine, Radulph. *propof.* 17. Semiduplex apud Durand. & Radulph. *locis cit.* Duplex in Brev. 1550. addidit Lectiones primi Noct. Clem. VIII. auctore huius operis procurante in honorem illius, à quo Barnabæ vocantur; qui item mutavit Evangelium cum Homilia, & declaravit esse Duplex majus. Si venerit ante Pentec. Of-

ficium fit, ut temp. Pasch. Missa erit, ut in Festo S. Marci, exceptis Orat. Epist. & Evang. quæ dicuntur, ut in propria Missa.

” 12 Basilidis &c. Primi tantum in Antiphonario Gregoriano: aliorum verò post Gregorium in Antiphonario fuisse positum Officium Missæ, notat Pamélius; omnium verò simul in Sacrament. ejusdem habentur Orationes, quarum prima Ambrosiana est, sumpta de Festo SS. Vitalis, & Agricolæ, mutatis nominibus. „ Basilidis tantam meminuit Calendarium Frontonis, & Codex „ Gelasianus Cyrini, Naboris, & Nazari, „ omisso Basilide. Consuli potest nota Frontonis ad hanc diem.

” S. Johannis à S. Facundo Confessoris Ord. S. Augustini. Duplex à Benedicto XIII. sub die 16. Novembris 1729. 9. Lectio erit SS. Basilidis, Cyrini &c. de quibus fit pariter commemoratio in primis Vesperis, Laudibus, & Missa.

” 13 Antonii Patavini. In Missali Vatic. *vol.* 4743. à Sixto V. restituitur anno 1586. cum 9. Lectionibus in MSS. quæ, ut initio dixi, erant Franciscana. Duplex à Sixto V. Semid. (ut olim) à Clem. VIII. Officium à Sixto V. Si transferatur, mutatur tertius versus in Hymno *iste Confessor*. \* Iterum Duplex à Clem. X. die 18. Jun. 1670. ad preces Eminentiss. Cardinalis Barbadici Episcopi Patavini.

” 14 Basilii. Obiit Calendis Januarii, & in ea die habetur Festum in Brev. Vatic. *volum.* 4752. Alia Brev. habent in Octob. ut in Vatic. *vol.* 4759. Ordinatus dicitur anno 369. hoc mense, & die 14. ideò nunc communiter hac die celebratur. Simpl. in Brev. edito 1550. Novem Lection. à Clem. VI. ut in calce Martyrol. MS. apud Fortunatum Scacchum. Duplex cum Officio à Pio V. in Hymno *iste Confessor*, mutatur tertius versus.

” 15 Viti, Modesti &c. In calce Sacramentarii Gregor. Crescentiæ verò in Appendice Gregoriana. „ Codex Gelasianus Missam „ tantum habet de S. Vito. „ Simplex in

MS. & 1550. Officium Gregor. Oratio est Ambrosiana.

18 Marci, & Marcelliani. In Antiphon. & Sacrament. Gregor. „ Et in Calendariis „ Marteniano, & Frontoniano. Codex Gelasianus duas exhibet Missas, primam de SS. „ Marco, & Marcelliano, alteram de Vigilia SS. Gervasii, & Protasii, quod observatur pariter in Codice Gellonensi. „ Simplex in MS. & 1550. Officium Gregor. Oratio est Ambrosiana.

19 Gervasii, & Protasii. Extat Sermo S. Ambrosii, in Comite S. Hieron. habentur Epistola, & Evangelium. Et quia eo die conciliata pax fuit inter Imperatorem Romanum, & Regem Longobardorum, S. Gregorius composuit Introitum Missæ hujus Festi: *Loquetur Dominus pacem &c.* Durand. lib. 7. cap. 33. & habetur in Antiphon. Gregor. Orationes autem in Sacrament. ejusdem. „ Missa „ etiam ipsorum habetur in Sacramentario „ Gelasiano, necnon in Calendariis saepe „ laudatis. „ Simplex in MS. & 1550. Officium Ambrosianum est ex Radulph. *propof.* 19. sed non illud, quo nos utimur.

20. Silverii. In Missali Vatic. vol. 4743. à Gregor. VII. ex Microl. cap. 43. Romæ tantum, ex Radulph. *propof.* 22. Semid. ex Microl. cit. & in Brev. 1550. Simplex à Pio V.

„ 21 In tota Italia, & Insulis adjacentibus, necnon in Dominis omnibus Sacræ „ Casaræ Majestati subiectis, nonnullisque „ aliis Regnis, & Provinciis celebratur Festum S. Aloysii Gonzagæ Soc. Jesu sub „ Ritu Duplici. Oratio, & Lectiones 2. „ Nocturn, propriæ, Missa pariter propria: „ *Minuisti eum &c.* in secundis Vesperis „ commemorat. S. Paulini Episcopi. Ex „ S. R. C. die 18. Maji 1737.

22 Paulini. In Append. Gregor. Simplex in MS. & 1550. ut hodie.

23 Vigilia S. Johannis Baptistæ. Beda meminit. Officium à Pio V. Oratio tamen antiquior in Sacramentario S. Gregorii: Of-

ficiam Missæ in ejusdem habetur Antiphonario, & in Comite S. Hieron.

„ Occurrente hac Vigilia S. Johannis Baptistæ in die Festo SS. Corporis Christi, „ anticipato jejunio in diem 22. hujus mensis, ad formam Constitutionis Urbanae „ (de qua in Decretis pertinentibus ad Rubricas Missalis sub die 24. Septemb. 1638.) „ nihil de Vigilia in Officio, & Missa peragendum est, ut declaravit, & statuit S. R. C. sub die 18. Septembris 1706. approbante Clemente XI. die 2. Octobris ejusdem anni.

24 Nativit. S. Johannis Baptistæ, Augustinus, & Maximus Sermones habuere de hoc Festo. Ordo Roman. meminit. Comes S. Hieron. Antiph. & Sacrament. Gregor. in quo omnes habentur Orationes Missæ; sed prima est Ambrosiana, ex Panelio. „ Hujus Festi mentio habetur in omnibus ferunt libris, Calendariis, & Martyrologiis, & quidem cum Vigilia, præterquam in Missali Gothico, & in Sacramentario Leonino, in quo nulla mentio Vigiliæ, quamquam in præfatione fiat mentio sollemnis jejunii, quo B. Johannis Baptistæ natalitia præveniuntur; ex quo eruitur magnam in eo Sacramentario rerum confusionem factam fuisse. „ Ab Ægyptiis celebratur, ex Cyrillo Alexandrino, ait Baron. an. 432. A Græcis etiam, ex Manuele *rit. de Festiv.* Duplex majus dicitur à Durando, & Radulph. *locis cit.* Officium à S. Gregorio, Hymni à Paulo Diacono, qui raucedine impeditus sanitatem impetravit, quam initio Hymni, qui ad Vesperas dicitur, postulavit. Durand. lib. 7. cap. 14. De artificio primæ strophæ vide *sect. 5. cap. 6.* Amalar. *de Ord. Antiph. cap. 59.* notat, in hoc Festo legi multa de Isaiâ, & Jeremia; quia Isaias de Johanne prophetavit; Jeremias Johanni fuit similis in sanctificatione: in tertio item Nocturno, addit, non dici, *Alleluja*, in Antiphonis, sicut in tertio Nocturno Apostolorum,

S. Juliana  
Falcon. vide  
Decret. sub  
num. 340.

ram, quia, inquit, Nativitas Johannis ex-  
titit ante Christi Resurrectionem. Antipho-  
na ad *Benedictus*, non impedit, quin inchoetur  
Canticum, *Benedictus*, à capite de more;  
quia Rubrica generalis loquitur de Antipho-  
na, quæ est eadem cum Cantico. At in  
Antiphona hac dicitur *Dominus*. Cæterum  
accidit Nativitas S. Johannis in die Veneris,  
ut rectè colligit ex Nativit. Christi Azorius  
*part. 2. lib. 1. cap. 25.*

26 Johannis, & Pauli. In Comite S. Hie-  
ronymi, & Antiphonario, & Sacrament. S.  
Gregorii. „ Et in Sacrament. Leonino, Mis-  
„ sali Gothico, ac Frontonis Calendario.  
„ Hoc Festum in Codice Gelasiano, & aliis  
„ à Martene relatis habet etiam Vigiliam. „  
Semidupl. in MS. & 1550. Nihil Durandus  
de iisdem. Officium Missæ habetur in An-  
tiphonario Gregoriano, & Orationes item in  
Sacramentario; sed prima est Ambrosiana,  
de SS. Gervasio, & Protasio. Pius V. mu-  
tavit Evangelium, & addidit Homiliam. In  
secundis Vesperis adest Ritus specialis contra  
Rubricam generalem de Concurrentia Of-  
ficii *num. 4.* qui tamen ibidem significatur  
iis verbis:  *nisi aliter signetur: & ratio est,*  
quia fuere nobiles Romani. Vesperæ igitur  
secundæ erunt integræ de Sanctis, cur non  
primæ nobiliores secundis? ita placuit Ma-  
joribus nostris. Si Festum hoc concurrat  
eum Dom. aut transferatur, in 2. Vesp. se-  
quere Rubricas gener. de Concurrentia Of-  
ficii.

„ Hoc Officium SS. Johannis, & Pauli  
„ Martyrum elevatum fuit ad Ritus Dupli-  
„ cem à Benedicto XIII. sub die 21. Maji  
„ 1728. unde Rubrica illa, quæ hætenus  
„ legitur in Breviario sub die 26. Junii in  
„ proprio Sanctorum, & quæ innuitur à  
„ Gavanto suprâ, nempe:  *Si hoc Festum ve-*  
„ *nerit in Dominica transferatur in sequentem*  
„ *diem, modò cessat, quia cum Officium*  
„ *eorundem Martyrum sit nunc Duplex,*  
„ *celebrari potest non solum in Dominica*  
„ *infra Octavam S. Johannis Baptistæ, ve-*

„ rum etiam in Dominica infra Octavam  
„ SS. Corporis Christi, omnia, & singula  
„ Duplicia occurrentia admittentem. Ex  
„ prædicta Ritus Duplicis elevatione cor-  
„ ruit, cæteroquin tunc bene fundata opi-  
„ nio Gavanti mox exposita, nimirum, quòd  
„ si Festum hoc concurrat cum Dominica,  
„ aut transferatur, in secundis Vesperis ser-  
„ vandæ sint Rubricæ de Concurrentia Offi-  
„ cii, nam modò semper erunt integræ de  
„ prædictis Sanctis Martyribus, dummodò  
„ die sequenti non fiat de alio Festo Dupli-  
„ ci, propter quod vel dividendæ sint à Ca-  
„ pitulo, vel debeant esse de sequenti, jux-  
„ ta Ritus duplicis qualitatem. Denique  
„ ad primas Vesperas dictorum Sanctorum  
„ Martyrum Antiphonæ erunt *Paulus, &*  
„ *Johannes* cum reliquis de Laudibus, &  
„ Psalmi de Comuni plurim. Martyr. ad  
„ primas Vesperas, sicut etiam Capitulum,  
„ Hymnus, Versiculus &c. Ad *Magnificat*  
„ verò Antiphona propria, sicut & Oratio  
„ cum Commemoratione de Octava S. Jo-  
„ hannis Baptistæ.

28 Leonis. In Sacrament. Gregor. sed ad-  
ditum est post obitum S. Gregorii. „ In  
„ Calendario Frontonis ita legitur -- Trans-  
„ latio Corporis Beati Leonis. „ Semidupl.  
in MS. & 1550 Durandus non habet Offi-  
cium antiquius Pio V. qui Homiliam addi-  
dit pro Vigil. SS. Apostol. de qua vide suprâ  
in Vigil. S. Andrea. Vigiliæ meminit Hie-  
ronymus in Comite, seu Lectionario. Offi-  
cium Missæ ejusdem Vigil. legitur in Anti-  
phon. Gregor. sed Orationes aliæ sunt in eju-  
dem Sacrament. Prima tamen Oratio in eo-  
dem Sacrament. legitur in calce Missæ Com-  
memorat. S. Pauli, quæ deinde translata est  
in Offic. Vigil. Pamelius eam collocat in Vi-  
gil. Si transferatur Festum, mutatur ter-  
tius versus Hymn.  *Iste Confessor.*

29 Petri, & Pauli. Ambros. Sermones  
sex habuit. Comes S. Hieron. habet Festum,  
& Ordo Rom. Senator autem Festus obtinuit  
majorem Festi celebritatem ab Anastasio Im-  
pera-

peratore, qui obiit anno 518. ex Niceph. lib. 18. *Histor. cap. 39.* Manuel meminit tit. de *Feiis*. Duplex majus apud Durand, Lect. 1. Noct. ut in Ord. Romano, Hymno ad Vesperas additum fuit Pii V. jussu: *O felix Roma &c.* & ad Laudes, *Doct̄r egregie Paule*, quos tamen versus ego legi in Brev. MS. Coll. Aniciani. Reliquum Officium à S. Gregor. sicut & sequentis diei, ex Microl. *cap. 42.* divisit enim S. Gregor. hæc Festa ad eorum majorem cultum. Durand. *lib. 7. cap. 15.* Habetur Officium Missæ utriusque diei in Antiphon. & Sacrament. Gregorii. „ In Sa-  
 „ cramentario Gelasiano à Cardinali Tho-  
 „ masio edito, de quo pluries in hoc opere  
 „ mentionem fecimus, præsertim in supe-  
 „ riori tomo; in prædicto inquam Sacra-  
 „ mentario leguntur pro hac die tres Missæ,  
 „ quarum prima intitulatur: *In Natali S.*  
 „ *Petri propria.* Secunda verò: *In Natali*  
 „ *Apostolorum Petri, & Pauli.* Tertia de-  
 „ nique: *In Natali S. Pauli propria.* Eas-  
 „ dem habent, teste Martene, Codex Re-  
 „ gius vetustissimus, & Noviomenis anno-  
 „ rum circiter 900. In cæteris Liturgicis  
 „ monumentis Missa communis est, etiam  
 „ in Sacramentario Leonino, de quo satis  
 „ mirari non possum, cum Ritus ille Codi-  
 „ cis antiquior sit. De antedictis tribus  
 „ Missis mentionem fecimus supra ad diem  
 „ 18. Januarii, agentes de Festo Cathedræ  
 „ Divi Petri, & ibi innuimus, primam Mis-  
 „ sam pertinere ad Festum dictæ Cathedræ,  
 „ quod postea translatum fuit ad aliam diem.  
 „ Huic sententiæ valde favent verba illa,  
 „ quæ leguntur in Calendario Bucheriano  
 „ ad diem 22. Februarii, qua celebratur  
 „ Festum dictæ Cathedræ sub Titulo: *Nat-*  
 „ *ale Petri de Cathedra.* In Sacramentario  
 „ verò Leonino à Blanchino edito in hoc  
 „ Festo Divi Petri reperiuntur decem &  
 „ octo Missæ.

30. Commemoratio S. Pauli. A S. Gre-  
 gorio, ex Ord. Rom. & Microl. *loc. cit.* „ Ejus  
 „ mentio habetur in Galondario Frontonis

„ his tantum verbis -- Ad S. Paulum. „  
 In Appendice Gregoriana vocatur *Celebratio*  
*S. Pauli*, in Codice Pameliano, *Natale San-*  
*cti Pauli.* Solebat, ait Baron. in *Not. Mar-*  
*tyrol. g.* Summus Pontifex obire pridie. Pon-  
 tificias functiones in utraque Ecclesia S. Pe-  
 tri, & S. Pauli, ob distantiam verò loco-  
 rum, consultius visum est, duobus diebus  
 integrum de iis agere Festum. Duplex mi-  
 nus est, apud Durand. *lib. 7. cap. 1.* legitur  
 sermo S. Augusti, ut in Ord. Rom. de reliquo  
 Officio diximus præcedenti die, ex Microl.  
 & habetur, ut supra dictum est, in libris  
 Gregorianis.

Dices, cujus Classis est hæc S. Pauli Com-  
 memoratio? Respondeo: non est prima,  
 nisi ubi est Patronus, vel Titularis: non est  
 secunda, quia admittit in Laudibus Commem-  
 orationem de Oct. S. Johan. non est Du-  
 plex majus, quia non habet integras utras-  
 que Vesp. non est Duplex minus, quia Apo-  
 stoli Festum est secundarium: est ergo unica  
 Classis: & unico debentur unica Paulo, id-  
 eoque Commemoratio nominatur, non Fe-  
 stum.

Si transferatur in diem 4. Julii, ut in Ta-  
 bulis nostris, *num. 34.* ratione Oct. Corporis  
 Christi, vel in sequentem diem non impe-  
 ditam Festo novem Lectionum: totum Offi-  
 cium à primis ad secundas Vesp. inclusive sit,  
 ut in propria Ecclesia, omnia Commemo-  
 ratione Octavæ S. Johannis, & ita decretum  
 est in recognitione postrema Breviarii, con-  
 sideratis omnibus, quæ hinc inde adduci po-  
 terant; & S. Paulo favendum erat in casu du-  
 bio. Quod autem sit aliquando transferen-  
 da hæc Commemoratio, habetur aperte in  
 tit. 11. de *Concurrentia Officii*, *num. 7.* in iis  
 verbis, *excepta Octava Corporis Christi concu-*  
*rente cum Octava S. Johann. Baptista, in qua*  
*de sequenti fit tantum Commemoratio.* Non ta-  
 men ubique transfertur: nam in propria Ec-  
 clesia, ubi Commemoratio est primæ Clas-  
 sis, fit de S. Paulo cum Commemoratione Oct.  
 Corp. Christi tantum ex Rubric. de *Trans-*  
*lat.*

lat. Fest. 10. num. 1. in iis verbis: *exceptis tamen Festis Nativit. S. Johann. Bapt. & SS. Apost. Petri & Pauli, quæ in die Oct. Corp. Christi celebrantur*, & pro Festo intelligitur etiam, Commemoratio hæc S. Pauli, in propria scilicet Ecclesia, ut ex Officio patet, quod excludit in Laudibus Commemorationem Octavæ S. Johannis, Translata verò hac Commemoratione; tunc in die Octava Corp. Christi fiet Commemoratio in Laudibus, & 2. Vesp. primò de Oct. S. Joh. deinde de Oct. SS. Apostolorum, per Antiphonas, quæ dicuntur infra Oct. eorundem, & Orationem communem iisdem, Neque dicas fieri de Oct. S. Pauli ante Festum

illius per quatuor dies 30. Junii 1. 2. & 3. Julii: quia Festum ejusdem celebrari ceptum est cum S. Petro; quamquam sine propriis S. Pauli Laudibus, quæ habentur in Antiphonis, Lectionibus, & Responsorii: quæ, & ideò (contrarium scripsit non nemo) non sunt omnino tacendæ.

Si dies 30. fuerit Sabbatum, in secundis Vesperis, quæ sunt in Antiphona Commemorationis communes ambobus Apostolis, Commemoratio Dominicæ fieri debet post Apostolos, non ante; quod malè notavit, & docuit recentior, non advertens, quòd hæc secunda Vesperæ Duplices sunt, nobiliores Dominica.

### Cap. IX. De Festis Sanctorum Mense Julio.

**O**ctava Sancti Johannis. Bona meminit, & habetur in Missali Vatican. 4743. inter majores Octavas eam numerat Radulph. *propos.* 19. Semidupl. apud Duran. *lib. 7. cap. 1.* & in Breviario 1550. Duplex à Pio V. & qui sermonem S. Maximi addidit: si contingat non legi de Homilia S. Ambrosii, quæ habetur in secunda, vel quarta die infra Octav. S. Joh. ob Dominicam occurrentem infra eandem, poterit legi, quod omisum est, in die Octava ad varietatem, & ad libitum, quod notavimus in Tabul. Ordinis nostri perpetui A. B. D. litterarum Dominicalium, & est conforme Rubricis Octavæ. ii. Romani.

Visitationis B. Mariæ. Ab Urbano VI. anno 1389. à Bonifac. IX. publicatum est anno sequenti 1390. ex Bzovio anno eodem. Extat Decretum de hoc Festo in Concilio Basileensi *Sess.* 43. Anno 1441. qua nimirum die finita est Visitatio B. Mariæ in domo Elisabeth, ut ait Azor. *part. 2. lib. 2. cap. 23. q. 2.* apud Ordinem Minorum celebratum fuit ab anno 1263. ex Annal. Min. Duplex in Breviario 1550. cum Officio proprio; quod mutavit Pius V. excepta Homilia, sed Clem. VIII. fere totum, ut hodie habetur, com-

plevit; præsertim Antiphonas, & Responsoria; majusque Dupl. esse declaravit. Processi, & Martiniani in Antiph. & Sacram. Gregor. sed post Gregorium, ait Pamelius. „ Hoc Festum habetur etiam in Calendariis „ Frontoniano, & Marteniano, & in Cediti „ ce Gellonensi. „ Simpl. in MS. Semidupl. in Brev. 1550. Pius V. restituit ut olim.

4 Elisabeth. Officium est ad libitum ab Urbano VIII. ejusdem Officii auctore, Semidupl. Anno 1630. & si fiat, de ea legatur primo loco in Martyrol.

„ Hoc Festum assignatum fuit ad diem „ Octavam hujus mensis.

6 Octava Apostolorum. In Actis S. Sebastiani in Martyrio S. Tranquillini, de quo Martyrol. hac die, Comes S. Hier. meminit. S. Leo sermonem habuit in hac die, habetur etiam apud Bedam, & Radulph. *propos.* 19. qui & appellat Octavam majorem. Duplex minus, à Dur. *lib. 1. cap. 1.* & in Breviario 1550. Officium Gregor. ex Schultingio, & Officium hujus Missæ habetur in Antiph. & Sacram. S. Gregorii; sed Orationis auctor est Leo II. ex Dur. *lib. 7. cap. 15* Leo IV. ex auctore ligni vitæ *lib. 5.* ex Platina, & auctore Brev. Chronologici; cum esset

eer-

certaturus contra Saracenos ad Ostia Tyberina. Pius V. mutavit per totam Apostolorum Octavam Lectiones 2. Nocturni.

» 8 Elisabeth Reginae Portugalliae Viduae  
» Semiduplex à S. R. C. die 18. Decembris  
» 1694. annuente Innoc. XII. olim erat die  
» 4. hujus mensis, & ad libitum.

10 Septem Fratrum. Officium Missae in Antiph. & Sacram. Gregoriano habetur Rufinae, & Secundae, in Missali antiquissimo Vaticano, volum. 4770. Romae tantum, ait Radulph. *propof. 22.* cum novem Lectionibus in MS. Simplex in Breviar. 1550. Semidupl. à Pio V. cum Officio, ut diximus, Gregoriano, cui Pius V. Homiliam addidit, quae hodie legitur. Si transferatur hoc Festum in Feriam 2. convenit, ut Octavae Lectioni adjungatur nona, quae de iis agit. » Hujus  
» Festi mentio habetur in Calendario Martene; in Frontoniano tres assignantur  
» Missae, prima ad Aquilonem, secunda ad  
» S. Alexandrum, tertia ad S. Felicitatem.  
» Id factum Fronto ac Martene propter loca diversa, in quibus SS. illi Martyres sepulti creduntur, quod confirmari potest  
» ex Codice Leonino, in quo ita legitur.  
» vi. Idum Juliarum Natale SS. Martyrum  
» Felicis, Philippi in Coemeterio Priscillae;  
» Vitalis, & Martialis & Alexandri in Coemeterio Jordanorum, & Silani in Coemeterio Maximi viae Salariae, & Januarii in Coemeterio Praxetati viae Appiae.

11 Pii Papae. In Missali Vaticano, volum. 4743. Semid. ex Microlog. *cap. 43.* Romae tantum, ex Radulph. *propof. 22.* Simplex ex MS. & 1550. ut hodie.

12 Naboris, & Felicis in Missali Vaticano proxime citato. Romae Radulph. *propof. 22.* Simplex sine Lectione in MS. cum tribus in Brev. 1550. Pius V. antiquiora Breviaria sequutus nullam Lectionem legi mandavit. Oratio est antiquior Pio.

✠ Jo. Gualberti à Clem. VIII. Commemoratio tantum in recognitione Brev. Semid.

à Clem. X. ad libitum cum Oratione propria Lection. 2. Noct. ac 3. die 21. Mart. 1671.

» Nunc Duplex de praeepto à S. R. C.  
» 16. Decembris 1679. annuente Summo  
» Pontifice Innocentio XI. 18. Januar. 1680.  
» olim erat Semiduplex pariter de praeepto  
» à S. R. C. sub die 10. Dec. 1679.

13 Anacleti. In Missali Vaticano volum. 4743. Semid. ex Microlog. *cap. 43.* Romae tantum ex Radulph. *propof. 22.* Simplex in MS. & 1550. Semidupl. à Pio V. ut olim una cum Officio.

14 Bonav. Sixto IV. deinde, uti Doctoris, à Sixto V. 1588. Semidupl. à Pio V. Dupl. à Sixto V. mutata Oratione, quae erat, *Exaudi*, & Evangelio Doctorum addito.

15 Henrici I. Imperatoris. Commemoratio, ab Urbano VIII. in recognitione Breviarii, instante Ferdinando Austriaco Imperatore, Anno 1631. de quo legendum erit 1. loco in Martyrol. Orationes Missae habentur in Bulla Canonizationis S. Chunegundis S. Henrici conjugis, auctore Innoc. III. & mutato tantum nomine in nomen Henrici Semid. de praeepto à Clem. IX. die 13. Junii 1668. & Clemens X. approbavit Lectiones 2. Noct. mutata Orat. die 28. Februar. 1671. Ad Hymn. mutatur tertius Versus.

» 16 B. M. V. de Monte Carmelo Duplex major à Benedicto XIII. sub die 24. Sept. 1726.

17 Alexii. Institutum fuisse Festum circa Ann. 1200. ait Chronicum Germanicum cit. à Schultingio, & habetur in Brev. Vatic. *vol. 4751.* Simplex in Breviar. 1550, sed hodie Semid. ad libitum ab Urbano VIII. die 18. Octob. 1637.

» Deinde Semid. de praeepto ab Innoc. XII. 31. Augusti 1697. Romae verò, & in toto ejus districtu Duplex de praeepto à S. R. C. die 23. Junii 1736. approbante Clemente XII. die 30. ejusdem mensis & anni. Oratio & Lectiones 2. nec non 3. Nocturni propriae.

18 Symphorosa, & filiorum. In Appendice Greg. Romæ tantum, ait Radulph. *propes.* 21. Simplex in MS. & 1550. ut hodie.

19 Vincentii à Paulo Fundatoris Congregationis Missionis Confessoris Semiduplex. Ita novissimè S. R. C. die 7. Decemb. 1737. annuente Clemente XII. die 11. ejusdem Mensis, & Anni, à quo Pontifice feliciter regnante sollempni ritu Sanctorum Catalogo fuit adscriptus. Oratio, & Lectiones secundi Nocturni propria. In tertio Nocturno Homilia S. Gregorii Papæ in Evangelium *Designavit Dominus &c.* ut in Communi Evangelistarum. R. VII. *Iste est &c.* R. VIII. *Sint Iambi &c.* In secundis Vesperis fit Commem. S. Margaritæ. In Hymno *Iste Confessor* dicitur *Verfus Meruit supremos*, quamvis enim recolatur Festivitas ejusdem Sancti, non est tamen dies sui obitus.

20 Margaritæ. In Litaniiis fit de ea mentio in Ordine Romano. Item in Appendice Gregor. & in Concil. Oxoniensi. Simplex in Breviar. 1550. Pius V. ademit Lectiones incertas de ejus martyrio, & mutavit Orat.

21 Praxedis in Antiph. Gregor. Simplex in MS. & 1550. Officium Gregor.

22 Mariæ Magdalena. Habentur Orationes ad Missam in Sacramentario Gregoriano à Pamelio edito; qui tamen notat, eas esse posteriores Gregor. Anselmus meminit Festi *Epist. ad Ermulphur.* De generali consuetudine testatur Radulph. *propes.* 17. & habetur in Missali Vaticano *vol.* 4743. Semiduplex apud Durand. *lib.* 7. *cap.* 1. Duplex apud Radulph. citat. rursus Semiduplex in Brev. 1550. tandem Duplex à Pio V. qui mutavit Capitula, addidit Hymnum ad Vesperas (quem Clem. VIII. correxit) & alium ad Laudes: mutavitque Lectiones, & ordinem Responsoriorum. Clem. VIII. mutavit Hymn. post Invitat. quem accepit ab Ordine Romano in die Palmarum: *Nardo Maria piscico*: cui tandem extremam imposuit manu Urbani VIII.

Gavam. Rubr. Brev.

23 Apollinaris. In Antiphonario, & Sacrament. Gregor. „ Et in Calendariis Frontoniano & Marteniano. „ Petrus Chrysologus sermonem habuit. Microlog. meminit *cap.* 47. Simplex in MS. 1550. Semiduplex à Pio V. cum Homilia propria. Officium Gregorianum, ex Microlog. cit. & Offic. Missæ habetur in Antiph. Gregor.

„ S. Liborii Episcopi, & Conf. sub Ritu „ Simplici à S. R. C. 1. Jul. 1602. annuente „ Clemente XI. die 15. ejusdem mensis, & „ eodem anno; Oratio: *Da quesumus*, ex ejus „ Communi. Si hæc die occurrerit Sabbatum, fiet in eo Commemoratio de Vigilia „ anticipata S. Jacobi Apostoli, cujus Oratio, cum sit: *Da quesumus*, ideo ad varietatem tunc pro Commemoratione S. Liborii, dicenda erit Oratio: *Exaudi*, in hærendo Rubricæ Missalis *Tit.* 4. de Commemorationibus sub *num.* 8.

24 Vigilia S. Jacobi, ut dictum est de Vigilia S. Andrea.

Christina. In Appendice Gregor. Simplex in Breviar. MS. & 1550. ut hodie

25 Jacobi Apost. Dies Translationis est; nam obiit in Paschate, Gemma *lib.* 3. *cap.* 163. Vide in Festo S. Andrea. Duplex à Bonifacio VIII. Officium creditur à Callisto II. compositum, qui de S. Jacobi miraculis scripsit, & Compostellam Archiepiscopatu decoravit, ex Schulingio. Orationes, quæ in Missa dicuntur, habentur in Sacramentario Gregor. „ Missa ipsius notatur etiam in „ Calendario Marteniano, desideratur in „ Frontoniano.

Christophori. In Appendice Gregor. & Breviar. S. Isidori citat. à Baron. in *Martyrol.* Simplex Commem. in MS. & 1550.

26 Anna. In Breviar. Toletano S. Isidori, in Missali Vatic. *vol.* 3808. Manuel. *tit.* de *Feris*, quod apud Minores S. Francisci ab Anno 1263. ex Annal. Min. Gregor. XIII. restituit Festum Ann. 1584. cum novem Lectionibus erat in Brev. 1550. Duplex cum Officio à Greg. XIII. Orat. antiquior Pio V.

R r

Cle

Clemens VIII. mutavit Lect. 2. Noct. Greg. XV. præcepit diem agi Festum ubique Constat. edita 24. April. 1622.

27 Pantaleonis, aliàs Pantaleemonis. Ait Baron. in Martyr. In Appendice Greg. Manuel tir. de Fer. Simpl. in MS. & 1550.

28 Nazarii, &c. Ambros. sermonem habuit. Habentur primi duo in Missali Vatic. vol. 4770. Victor. in Missali Vatic. vol. 4743. & ex Microl. cap. 43. Romæ tantum, Radulph. propof. 22. Innocentii, in Append. Greg. & Radulph. loc. cit. omnes verò simul in Missali Vatic. 4743. Simpl. in MS. cum 9. Lect. in Brev. 1660. Semidupl. à Pio V. qui addidit Homiliam. In Ecclesia SS. Nazarii, & Celsi transfertur Festum SS. Victoris, & Innocentii in primam diem non impeditam, Ritu Semiduplici de Communi Plurimorum Martyrum, ex decreto Sac. Rituum Congregationis die 12. Febr. 1633. & cum Evangelio, & Oratione Festi eorundem, omnis nominibus SS. Nazarii, & Celsi. Hac illa; hoc est, post Oct. SS. Nazarii, & Celsi ex Rubr. Brev. nuperrimè recogniti. Neque mirum videatur, quòd sanctus Innocentius colatur, ut Martyr, unà cum Martyre, tum quia colitur in tota Eccl. cum Officio Martyr. ut patet; tum quia Martyr, ut nobilior, ad se trahit non Martyrem; tum quia aliis non Martyribus, seu non viris dantur ab Ecclesia Psalmi Martyrum, & virorum, ut videre est in Festo S. Martini Episcopi, SS. Agnetis, & Agathæ ex speciali privilegio, quod in translatione S. Innocentii non fuit illi detrahendum. Antiph. autem, & Responsoria de effusione sanguinis, & nonnulla cum demonstratione, *Istorum est enim &c. Isti sunt qui venerunt, &c.* ne sumas pro iis rigorosè, quorum festum colitur: sed ea intellige, vel de præparatione animi ad Martyrium, respectu S. Innocentii; vel quia plurale ponitur in Breviario pro singulari, & econtra, ut in Festo plurium Apostolorum dicimus in 2. Vesper. *Collocet eum Dominus,*

*&c.* & sapius in festo unius Apostoli, *Isti sunt, &c.* bis, & ter, & in Festis plurium Confessorum non mutantur Antiphonæ, nec Responsoria de uno Confessore; vel accipe kincomiasticè, in laudem totius Ordinis Martyrum, quod fit in toto Officio Apostolorum Communi, & in Festo SS. Innocentium adhuc licitè dicitur in 3. Noct. *Tradiderunt corpora sua in mortem, ne servirent idolis*, quod non contigisset iis, si diutiùs vixissent.

29 Marthæ. In Missali Vatic. 4743. & apud Minores S. Francisci ab Ann. 1263. In Ann. Min. Simpl. in MS. & 1550. Semid. à Pio V. qui mutavit Orationem & Homiliam addidit. Felicis in Antiphonario, & Sacramentario Gregor. sociorum distinctè *ibid.* apud Pamelium. „ Hujus & Sociorum mentionem faciunt Calendarii toties memorati, „ Codex Gelasianus omittit Felicem, & loco „ co Beatricis habet Viaticis. „ Simplex in MS. & 1550. In Octavario Romano Bononiæ primùm edito pro Octava S. Marthæ citantur Homiliæ, quæ infra Oct. Assumpt. B. V. at, quia additum est S. Hyacinthi Festum, & 2. die nulla erit amplius Homilia; tu lege, quæ in 4. 5. 7. & 8. die habentur in edit. Octav. Antverpiensi, Veneta, & Neapolitana, inoffenso decurres pede.

30 Abdon, & Sennen. In Sacramentario Gregoriano. „ Et Codice Gelasiano, „ Calendario Frontonis. „ Simplex in MS. & 1550. Officium Missæ in Antiph. S. Gregor.

31 ✠ Ignatii Confessoris. Semid. Ab Innocentio X. cum Oratione propria, & Lætionibus secundi Noct. Duplex novissimè à SS. D. N. Clemente Papa IX. die 11. Oct. 1667. in Martyrol. de eo legatur primo loco. In iii. Noctur. legitur Homilia S. Gregorii Papæ Evang. *Designavit Dominus*, de Communi Evangelistarum; ita Sacra Congr. die 21. Jan. 1623. & assignavit etiam Missam propriam.

\* \* \*

Cap. X. De Festis Sanctorum Mense Augusto.

Quotidie hoc mense celebrari de Sanctis, testatur Concil. Turonen. 2. cap.

18.  
1 Petri ad Vincula. Ab Alexandro Papa ex Durand. lib. 7. cap. 19. institutum est: vel à Sylvestro, Anno 315. ex Polyd. Virgil. lib. 6. cap. 8. quod reprobatur Baron. in Martyrologio. In Sacrament. Gregor. „ Et in multis aliis Codicibus à Martene laudatis. „ Calendarium Frontonis simpliciter habet -- ad Vincula. „ Gemma meminit lib. 3. cap. 6: & de generali consuetudine tradit Radulph. proposit. 17. circa Ann. 438. ex Sigeberto. Semidupl. apud Durand. lib. 7. cap. 1. Duplex apud Radulphum loco cit. & in Breviar. 1550. Oratio est Gregoriana in Sacramentario, & fortè etiam totum Officium; quod in multis concordat cum Festo Junii. Officium Missæ aliud tamen est ab Antiphonario S. Gregorii, & item Oratio Secreta alia est in Sacramentario. Pamelius numerat inter Officia non Gregoriana, post eum scilicet addita, Schultingius Sixto III. tribuit, qui ad Eudoxiæ preces Festum decrevit. Pius V. addidit Lectiones proprias 2. Nocturni Clem. VIII. Homiliam S. Augustini valdè propriam, & declaravit esse Duplex majus.

Machabæorum. Extant Orationes Nazianzeni, Ambrosii, Chrysostomi, Aug. Leonis in eorum Festo, & Maximi; habetur Festum in Appendice Gregoriana, & in Codice Pameliano Sacramentarii Greg. „ Et in „ Codice Gelasiano, ac in Pontificali MS. „ Egberti Eboracensis Archiepiscopi. „ Simplex in MS. & 1550. Nomina eorum sunt: Salomona Mater, Machabæus primogenitus, Aber, Machir, Judas, Achas, Arath, & Jacob ultimus, ex Josepho in Commentar. ad Polybium, cur Machabæi sint appellati, Sixtus Senen. lib. 1. Biblioth. Sanct. docet, in vexillis eorum scribi solitum M. C. B. I. quæ

Hebraicè sonant: quis similis tui in fortibus Domine?

2 Stephani Papæ. In Sacramentario Gregoriano. „ Et in utroque Calendario sæpè „ citato. „ Simplex in MS. Missæ Officium non aliud ab Antiphonario Gregoriano.

3 Inventionis S. Stephani. In calce prædicti Sacramentarii. Anconæ erat Festum sollempne, ubi lapis est sancti Stephani, ex Beda, cui Festo facta est deinde accessio, tit. Inventionis; quæ tamen non accidit hæc die: neque verò hæc die obiit Steph. ut aliqui putant, contra quos fufius Baronius in Martyrolog. Semidupl. in MS. & 1550. Lectiones 1. & 2. Nocturni mutatae sunt à Pio V. auctorem facit Offic. S. Steph. Leodiensem Ant. Demochares lib. 4. cap. 14. contra Misoliturgos, sed omnia sumuntur de Festo Dec. cujus Offic. ab Alcuino dicitur compositum, ex Cornelio Schultingio, qui hodierni Offic. facit auctorem Bonifacium I. sub quo Luciani Historia de hac inventione scripta est; seu Pelagium I. quo tempore ossa S. Stephani Romam fuere translata. Sed ego puto; esse Gregorianum: Orationes tamen in Missa hujus Festi alia sunt in Sacramentario. „ In Calendario Leonino hæc die celebratur „ Festum potius S. Stephani Protomartyris, „ quàm Reliquiarum ejusdem Inventionis; „ Collectæ enim omnes de ejus Natali loquuntur, nihilque de eo habetur die 26. Decembris. In quadam tamen præfatione ejusdem Codicis huic diei assignata fit sermo de Dedicatione Basilicæ S. Stephani: habentur enim hæc verba -- Verè dignum hæc festivitate letantes, qua dicatam nomini tuo Basilicam B. Stephanus Martyr suo honore signavit Levita Venerandus &c. Quid hoc rei sit juxtà scimus cum ignarissimis. Eruditissimus Auctor, qui Codicem illum evulgavit, fortasse nos instruet in Ob-

» servationibus ad illum Codicem, quas  
» parat.

4 Dominici, à Greg. IX. Anno 1234. sed Festum fieri iussit de die sequenti, quo relatus est inter Sanctos, & in Missali Vaticano habetur *vol. 4743*. Paul. IV. hac ipsa die 4. celebrari iussit, ob Festum B. Virg. sequens, licet obierit ille die 6 hujus mensis, Semidupl. erat in MS. Brev. & 1550. Dupl. à Paul. IV. Pius V. excepta Oratione, mutavit totum Offic. antiquum à Constantino Episcopo Urbevet. compositum, jussu Johan. Teutonici Generalis 4. In Hymno, *Iste Confessor*, mutatur tertius versus.

5 Dedicatio Sanctæ M. ad Nives, seu Basilicæ Liberii, seu Xystinæ à Xysto Tertio, seu Majoris dictæ, seu ad Præsepe, quod *ibidem* asservatur, vide causas apud Baron. in *Notis Martyrolog.* De ea in Missali Vatican. *vol. 4743*. Romæ tantum celebrabatur, ait Radulphus *propof. 22*. Duplex in Breviario MS. & 1550. nihil Darand. Pius V. mutavit Orationem, aliqua Responsoria, & Lectiones primi, & secundi Nocturni. Clem. VIII. declaravit esse Duplex majus unâ cum sequenti.

5 Transfigurationis Domini Nostri, hodie revelata fuit ab Apostolis, testibus ejusdem, ait Beeth. *cap. 144*. extant sermones de hoc mysterio SS. Leonis, Cyrilli Alexand. Ephrem, Basilii Seleuciæ, & Andreæ Cretertis. Habetur Festum in Martyrolog. Wandelberti, qui floruit Anno 850. in Missali Vaticano. *vol. 4770*. Manuel meminit *tit. de Fetiis* Duplex in Breviario 1550. Auctor Festi, & Offic. apud omnes fuit Callixtus III. Ann. 1456. ex Platina, & Nauclero, *gener. 49. vol. 2*. sed verè non fuit Festi, quod notat Baron. in 2 *notat. Martyrolog.* ex Wandelberto. Pius V. mutavit Hymnos ad Vesp. Laudes, & Lectiones primi, & secundi Nocturni.

Xysti, Felicissimi &c. Comes Hieron. meminit Xysti, & est II. S. Augustinus expressè de hoc Festo testatur tract. 27. in Johan. Sacram. Gregor. divisim omnium, &

ejusdem Antiphonarum, cum novem Lectionibus in MS. & 1550. Simplex à Pio V. Orationes Missæ leguntur in Sacrament. Gregor. » Codex Gelasianus, & Missale Gothicum Sixti tantum meminerunt, ut etiam Calendarium Martene: Frontonianus omnium meminit. In Sacramentario Leonino ita legitur -- *Natale S. Xysti in Cæmeterio Callixti, & Felicissimi, & Agapiti in Cæmeterio Prætextati viâ Appiæ* -- ex quo habes rationem, ob quam in Codice Gregoriano, & Gellonenſi duæ habentur Missæ, una de S. Sixto, altera de SS. Felicissimo, & Agapito, nimirum eam, quam assignavimus, ubi de VII. Fratribus loquuti sumus. In hoc etiam Leonino Codice duæ habentur Missæ.

7 Donati. In Appendice Gregor. Simplex in MS. & 1550. Cajetani Thienæi Conf. Semid. de præcepto à Clemente X. die 27. Mart. 1673. hucusque nihil de proprio: ideo de Communi Confess. non Pontif. nona Lect. & Comm. S. Donati, & in Martyrolog. legitur primo loco.

» Nunc Officium S. Cajetani nostræ Congregationis Institutoris est Duplex de præcepto à S. R. C. die 24. Januarii 1682. approbante Innocentio XI. semper habuit Lectiones proprias secundi Nocturni, & tertio Nocturno legitur Homilia S. Augustini, quæ habetur in Dominica 14. post Pentecosten cum Lectione ejusdem Evangelii; Ad *Magnificat*; & ad *Benedictus* pariter semper fuerunt Antiphonæ propriæ, necnon Oratio, prout describuntur in Breviario.

8 Cyriaci, Largi, &c. Primus habetur in Sacrament. Gregor. ejus Missæ Offic. idem, quod in Antiph. & Sacram. S. Gregorii: additis deinde locis, de quibus in Appendice Gregoriana. » Cyriaci tantum meminit Calendarium Frontonis, & Codex Gellonenſis. » Simplex in MS. & 1550. Semidupl. à Pio V. cum Officio proprio.

Hac

Hac autem die translata fuerunt eorum corpora, qui obiere die 16. Martii, ut dicitur in Martyrologio Romano.

9 Vig. S. Laurentii. In comit. Hieron. & Sacram. Gregor. „ In Codice Gelasiano, „ Calendariis, aliisque quam plurimis monumentis. Codex Leoninus quamvis Titulum Vigiliæ non habeat, habet tamen „ Vigiliæ Collectas. „ Ex pristina consuetudine vigilandi ad corpus martyris, ut Acta testantur ex Baron. Alia causa prædicationis, vel martyrii allatæ à Durand. *lib. 7. cap. 13.* minus probantur. Offic. à Pio V. sed Missa idem, quod in Antiphon. & Sacram. Gregoriano.

Romani. In Appendice Gregoriana Simplex in MS. & 1550.

10 Sancti Laurentii. In Actis S. Matronæ apud Metaphrastem fit mentio Festi, in Comite item Hieron. in Sacrament. Gregor. habentur Orationes Missæ, excepta ultima; quam tamen habet Pamelianus Codex. „ Hujus Festi mentionem habent omnes antiqui Codices. Calendaria sæpius laudata duas exhibent Missas hac die. Prima „ in utroque Calendario inscribitur -- In „ *prima Missa* -- Altera in Calendario Frontonis -- *Ad Missa publica Natal. S. Laurentii* -- In Marteniano -- *Item ad Missam* -- Duas hæc Missas habent etiam „ plures Codices ab eodem Martene relati. „ SS. Augustinus, Leo, & alii antiquissimi Patres sermones habuere de Festo. Tradit Radulphus *proposit. 17.* ortum habere ex Apostolica auctoritate, hoc est, à Sede Apostolica. Duplex majus, ex Durand. *lib. 7. cap. 1.* & Radulph. *loco citato* Officium est Gregorianum, ex Schultingio: & Missæ Offic. habetur in Antiph. Gregor. Pius V. mutavit Lectiones primi, & secundi Nocturni. In Antiphonis tertia & quarta ad Laudes: *Caro mea igne cremata est: & non sum estuatus: nulla est contrarietas ex S. August. in fine Lectionis sextæ secundæ diei infra Octavam Sancti Laurentii.*

11 Tiburtii. In Antiphonar. & Sacramentario Gregor. „ In Sacramentario Gelasiano, Calendario Frontonis, & Codice „ Gellonenfi. Calendarium Frontonis duas „ habet Missas, unam de S. Tiburtio, alteram de S. Susanna. „ Susannæ. Romæ tantum, Radulph. *proposit. 22.* utriusque Festum habetur in Appendice Gregor. Simplex in MS. & 1550.

12 Claræ. Ab Alex. IV. 1255. & in Missali Vatic. *vol. 4743.* in Breviar. MS. erat sollemne, quia Breviaria, ut dixi, Nicolai III. jussu Franciscana erant. Simplex à Pio V. Duplex ad libitum ab Innoc. X. De præcepto à Clemente X. die 27. Maji 1670.

13 Hippolyti. In Sacram. Greg. „ In „ Codice Gelasiano, Missali Gothico, & „ utroque Calendario. Sacramentarium „ Leoninum Hippolyto socium addit Pontianum. „ Apud Romanos Festum celeberrimum fuisse suo tempore testatur Prudentius in Hymno. Mentio est in Breviar. S. Isidori, Hippolyti, Cassiani, & simul in Antiphonario Gregoriano, & Appendice Greg. Simplex in MS. & 1550.

14 Vigil. Assumptionis. Ordo Romanus, Sacrament. Greg. ubi habentur Orationes Missæ, paulò mutata Secreta, Beda, Nicol. Papa *ad consulta Bulgarorum* meminere. Officium à Pio V.

Eusebii. In Antiphonario, & Sacramentario Gregoriano excepta ultima Oratione Missæ. „ Meminit etiam Frontonis Calendarium. In Codice Geilonensi duæ habentur Missæ, una de Vigilia Assumptionis, altera de S. Eusebio. „ Simplex in MS. & 1550.

15 Assumptionis B. V. Comes Hieronym. Ordo Romanus, Sacramentarium Sancti Gregorii, ubi Orationes Missæ leguntur, in ejus Appendice appellatur Paulario B. V. & idem legitur in Appendice Bibliorum antiquissima Vatic. *vol. 5729.* „ Sacramentarium Gelasianum Calendaria citata -- In „ Frontoniano duæ habentur Missæ -- „

Dies Dominæ ab Hunnis dicta fuit ex Baron. An. 48. & in Martyrolog. Apud Orientales verisimile est, ceptum esse Festum colli statim post Conc. Ephesinum; quo tempore Cyrillus Alexand. cultum Deiparæ contra Nestorium amplificavit, ut notavit Azor. part. 2. lib. 1. cap. 20. quest. 1. & deinde propagatum est sub Mauricio ex Niceph. lib. 17. cap. 28. Manuel habet in tit. de F. r. i. i. Apud Gallos sub Carolo Magno in Concil. Moguntino cap. 36. S. Bernard. meminit Epist. 174. Dupl. majus ex Durand. loco citato. Officium Greg. sed Officium Missæ aliud est in Antiph. Gregor. Lect. Cantici Cantic. in primo Noct. ex Ord. Rom. mutavit Pius V. Lect. 2. Noct. quarum etiam titulum merito deinde mutavit, veriore auctore apposito, Clemens VIII. Lectiones autem Cantic. Canticorum conveniunt mysticè B. V. sed & possunt dici Lectiones de Scriptura occurrente mense Augusto, in quo leguntur omnes libri sapientiales Salomonis, ex Radulph. propefit. 11.

Dubitatum fuit: an Officium de B. Rocho nondum Canonizato, neque à Sede Apostolica Beatificato, post Alexan. III. Defuncto, An. 1327. in Concil. Constantiensi Anno 1414. inter Beatos habito, recitari possit, & negotio maturè discusso, Sacra Rit. Cong. censuit, concedendam esse Missam, & Offic. in ejus die Festo, in Ecclesiis dumtaxat, & Eremitoriis habentibus requisita Ecclesiarum in honorem ejusdem Deo dicatis, non extra dicta loca, die 4 Junii, & clarius die 20. Novemb. 1629.

» Quoniam hic habetur sermo de S. Rocho, cujus Festum celebratur die sequenti alicubi, idcirco subjicimus sequens Decretum, nimirum, quod licet ejus Festum servetur ex Devotione, attamen non potest de eo recitari Officium, & celebrari Missa, nisi in propriis Ecclesiis, eidem Sancto dicatis ex concessione S. C. die 4. Junii 1629. & clarius die 20. Novembris ejusdem anni, & tunc dicendum est ejus

» Officium sub Ritu Duplici primæ Classis, ita declaravit, & decrevit S. R. C. 10. Januarii 1693. & datur in nostro Indice sub num. 183.

16 Hyacinthi. Ab Urbano VIII Dupl. cum Offic. 1. Febr. An. 1625. approbato, ad instantiam Filii Regis Poloniae, cum esset Romæ pro Jubileo Anni Sancti. In Mart. Lect. pridiana primo loco ponatur; \* in Hymn. iste Confessor mutatur tertius versus. Lect. 1. Noct. erunt de Script. occur. juxta Rubr. quæ posita est in Breviar. ante Dom. 3. Augusti; licet ibi fieret olim tantum mentio de Oct. S. Laur. & de Festo S. Bern. eadem enim est ratio in his tribus Festis.

17 Oct. S. Laurentii. In Sacrament. Gregor. Inter majores Octav. numeratur à Radulph. propefit. 19. Semidupl. ex Durand. 17. cap. 1. & 1550. Dupl. à Pio V. qui addidit Orationem propriam, quæ tamen habetur in Sacrament. Gregor. ad Calcem Festi S. Laurentii, in editione Romana, & ordinavit melius Lect. totius Oct. Offic. Missæ habetur in Antiph. Greg. Orationes autem alie sunt in Sacrament.

Agapiti. In Antiph. & Sacrament. Gregor. à quo Secretam tantum in Missa Orationem habemus; sed in Codice Pameliano sunt eadem, quæ apud nos. » Missa S. Agapiti legitur etiam in Codice Gelasiano, » habetur in Calendario Frontonis, desideratur in Marteniano. Codex Leoninus inter Collectas, quæ assignantur pro Natali » Sanctorum Hippolyti & Pontiani unam » habet, quæ meminit Agapiti, sed eruditissimus illius Codicis editor suspicatur » mendum irrepsisse, & legendum esse Hippolyti, puto ego in titulo omissum fuisse » ab Amanuensi, nomen Agapiti, aut unius » Festi collectas mixtas cuam aliis alterius Festi. » Simplex in MS. & 1550.

20 Bernardi. In Missali Vaticano volum. 3808. Semidupl. in Breviar. 1550 Dupl. à Pio V. Offic. putat Schulting. ab Alexand. III. qui eundem canonizavit, Pius V. mutavit

vit Orationem, addidit Homiliam. Stephanus, Hungarorum Regis, Simpl. Commemor. ab Urbano VIII. 1631. ad instantiam Ferdinandi Imperatoris. In Martyr. legatur 2. l. Ubi celebratur cum novem Lect. in Hymn. *Iste Confessor* mutatur tertius versus, ut ex Lect. patet propria, nono loco legenda. De S. Steph. vide ad diem 2. Sept.

22 Oct. Assumptionis. A Leone IV. ann. 847. ex Sigeberto, vel anno 848. ex Jacobo Phil. Bergomensis, vel 855. ex Baronio tom. 10. qui citat Anastas. Bibliothec. Radulph. meminit *propositi*. 19. Duplex minus apud Durand. *loco citato*, & in Brev. 1550. Pius V. in tota Oct. reformavit Lectiones, & novas adjecit.

Timothei, &c. Primus habetur in Sacram. Gregor. „ Et in Calendario Frontonis. „ Symphorianus etiam in Antiph. Gregor. Hippolytus in Brev. Vaticano *vol.* 4753. Simplex in MS. & 1550. Pamelius numerat inter Officia Gregorio posteriora: Oratio tamen Sacram. est nobis etiam Communis.

23 Vigilia S. Bartholomaei. De hac, & de Festo sequenti Concil. Oxoniense, Innoc. III. *de observat. jejun. cap. consilium* attendatur, inquit, locorum consuetudo, quod ad diem atinet hodiernum, vel sequentem 23. 24. seu 25. Romae Vigil. 24. Offic. à Pio V. in Lect. Martyrol. hac die, & precedenti, extra Romam prænunciatur Vigilia, & Festum, juxta morem locorum, nam Martyr. Romanum consuetudinem sequitur Romanam.

„ S. Philippi Beniti Conf. & propagatoris Ordin. Servorum B. M. Duplex minus „ à S. R. C. 2. Octobris 1694. annuente Innocent. XII. Lectiones secundi Nocturni, „ & Oratio propria.

24 Bartholomaei. Beda Romae 25. De eo Martyrol. & Calendar. MS. *citat.* à Baron. in *Notis Martyr.* Item in Sacram. Greg. ubi secreta Missae, & Postcommunio paulo diversa leguntur. Collecta prima est Ambrosiana. „ Hujus Festi mentionem etiam facit Calen-

„ darium Martenianum. „ Graeci celebrant Festum bis in anno: Natalem diem 11. Junii, translationem hac die. Romani celebrant die 25. translationem ab Othone II. factam anno 983. in Romanam insulam Lycaoniam, in tumbam porphyreticam, ut scribit Otho Frisingensis *lib. 6. cap. 25.* Ecclesiam verò, quae nunc Apostoli nomine vocatur, in honorem Sancti Adalberti aedificatam asserit Baron. in *Martyrol.* 22. Junii. Duplex à Bonifacio VIII. Pius V. mutavit omnes Lectiones. Est attem idem cum Nathanaele laudato à Christo; quod in calce operis hujus in utriusque Laudem, qui tamen unus est, probabo fusius. Nunc Dupl. 2. Class.

25 Ludovici Regis IX. & Francorum XIV. A Bonif. VIII. 1297. inter Sanctos est relatus. Habetur Officium in Brev. Vatic. *vol.* 4752. Simplex in MS. Semidupl. à Paulo V. anno 1618. 29. Novemb. cujus Lectiones recitandae approbatae fuerunt 23. Februarii 1619. & rursus 23. April. 1622. Ubi celebratur die 26. mutatur in Hymn. *Iste Confessor* 3. vers. „ In Gallis, ubi hoc Festum „ celebratur de praepo, adhuc ejus Offic. „ recitatur sub ritu Dupl. minori tantum; „ propterea non est dubitandum, quin recitari debeant Lectiones, quae assignantur „ de Scriptura pro primo Nocturno, approbatis propriis secundi, & tertii Nocturni, „ ita declaravit S. R. C. die 10. Januarii „ 1693. ut videre est in nostro Indice sub „ *num.* 183.

26 Zephyrini in Miss. Vatic. 4743. Semidupl. ex Microlog. *cap.* 43. Romae tantum Radulp. *prop.* 22. Simpl. in MS. & 1550.

28 Augustini. In Sacrament. Greg. ubi omnes Orationes Missae sunt eadem, quae apud nos. Bonif. VIII. decreto Dupl. Pius V. mutavit omnia, retenta Oratione tantum; Officium autem Missae aliud est in Antiph. Gregor. & Pamelius illud numerat inter Officia posteriora Gregorio.

Hermetis. In Antiphonario & Sacrament. Greg. à quo ultimam tantum habemus Ora-

tionem; Missæ primam, & secundam in Pameliano Codice; apud Antium celebris memoria, ex Actis S. Bonifacii Papæ tom. 1. Concil. „ Hujus Festi mentio est in Sacramentario Gelasii & Calendario Frontonis- „ Sacramentarium Gregorianum à Menardo „ editum, & Codex Gellonensis duas habent Missas, 1. In Natali Sancti Augustini, „ 2. In Natali S. Hermetis - - Codex perve- „ tustus Turonensis duas etiam exhibet Mis- „ sas - - 1. In Natali SS. Martyrum Erme- „ tis, & Juliani, 2. S. Augustini - - In alio „ Codice ejusdem Ecclesiæ tres assignantur „ Missæ, 1. de S. Ermete, 2. de S. Juliano, „ 3. de S. Aug.

29 Decollationis S. Johan. In Comite S. Hieron. & in Sacramentario Gregor. ubi omnes Missæ, Orationes habentur, posteriores tamen Gregor. excepta prima, quæ à Missali Ambrosiano accepta est. „ Hujus Festi „ meminit Calendarium Martenianum hoc „ titulo - - Passio S. Johannis Baptistæ - - Co- „ dex Gelasianus habet - - In die Passionis S. „ Johannis Baptistæ - - In Calendario Fron- „ tonis habetur hoc Festum die sequenti. „ Manuel *cit. de Fer.* Hac die Caput est in- „ ventum, ex Gemma *lib. 3. cap. 165.* & placet Baronio *in Martyr.* hoc est, secunda in- „ ventione, nam obiit in die Annunciationis B. Virg. ex auctore Gemmæ *ibid.* & imminente Paschate, ex Baronio *loc. cit.* qui addit, hæc item die fuisse consecratam celebrem Ecclesiam Alexandria in honorem S. Johan. & reliquias ejusdem in ea reconditas: Semidupl. apud Durand. *lib. 7. cap. 1.* & in Brev. 1550. Dupl. à Pio V. qui de more mutavit primas, & 2. Lect. Officium Missæ aliud est in Antiph. Gregor. posterius Gregor. ex Pamelio, ut dictum est. Optarunt aliqui

hoc Festum fieri Dupl. majus, sicuti sunt alia minora Festa Apostolorum: sed neque dies hæc martyrii illius est, neque martirium pro fide Christi, & Evangelio; neque statim in cælum ivit; neque demeretur S. August. ut amittere debeat 2. Vesp. quas dividit cum S. Jo. quibus etiam de causis longè majus Festum est Nativitatis, quàm Decoll. S. Joan. Aliam adde causam, quia Nativitas illius toti mundo magis profuit, tanquàm Præcursoris Christi, quàm Decoll. quæ illi soli utilis fuit; & multi, ait Angelus, *in Nativitate ejus gaudebunt.*

Sabinæ. In Antiph. „ Et Calendario „ Frontonis. „ Et Sacrament. S. Greg. sed deinde mutatae sunt omnes Orationes Missæ quas tamen habet Pamel. Cod. Simpl. in MS. & 1550.

30 Felicis, & Adaucti. In eodem Sacrament. cum Orationibus omnibus Missæ „ Missa horum SS. Martyrum legitur in Co- „ dice Leonino, Calendario Frontonis. „ Simpl. in MS. & 1550. Officium Missæ, ut in Antiphona Gregor.

„ S. Rosæ Limanæ Virginis Ord. Prædi- „ cat. Dupl. à Benedicto XIII. sub die 28. „ Jul. 1727. Lectiones secundi Nocturni „ propriæ, aliàs à S. C. approbatæ pro Re- „ gnis Hispaniarum, aliisque Dominis, & „ Diocæsis, Oratio pariter propria.

31 ✠ Raymundi Nonnati. Semidupl. ad libitum Clem. IX. cum Oratione propria, ac Lect. 2. Nocturni, 13. Augusti 1669. ad Hymnum mutatur tertius vers. & in Martyrologio legatur primo loc.

„ Nunc Dupl. ab Innocentio XI. sub die „ 10. Mart. 1681. Lectiones secundi No- „ cturni propriæ, necnon Oratio.

### Cap. XI. De Festis Sanctorum Mense Septembri.

1 **Æ**gidii Abb. ab Urbano IV. ex Radulph. *citato à Schult.* in Missæ Vatican. *volum. 3808.* cum 9. Lect. apud Ra-

dulph. *prop. 22.* Simpl. in MS. & 1550. & à Pio V.

Duodecim Fratrum Romæ tantam ex Radulph.

Radulph. cit. In Missali Vaticano vol. 4770. Simplex in MS. & 1550.

2 S. Stephani Hungariae Regis Confessoris Semidupl. de praecepto ab Innocentio XI. die 19. Aprilis 1587. habet Lectiones proprias pro secundo Nocturno, nec non Orationem.

4 In toto Statu Ecclesiastico, & in Etruria S. Rosae Virginis Viterbiensis tertii Ordinis S. Francisci sub Ritu Duplici de praecepto à Benedicto XIII. sub die 18. Januarii 1728. Lectiones propriae secundi Nocturni, & Oratio propria, prout erant approbatae pro Ordine Minorum.

5 S. Laurentii Justiniani Episcopi, & Confessoris primi Venetiarum Patriarchae Semid. ad libitum sub die 16. Decembris 1690. ab Alexandro VIII.

8 Nativitatis B. Virginis. Temporibus Ephesini, & Chalcedonensis Concilii diem Festum hunc celebrari cepisse existimat Azor. part. 1. lib. 1. cap. 29. quest. 1. at Baron. in Notis Martyrol non praesumit hoc dicere, quia in Concilio Moguntino videntur illius Patres hoc ignorasse Festum. Extant Orationes de hoc eodem Festo Chrysostomi, Procli, & Johannis Damasceni. Manuel meminit tit. cit. Certum est, quod apud Latinos non ubique celebratum fuit hoc Festum ante Augustinum, qui nullius hominis Nativitatem celebrari asserit, nisi Christi, & Johannis. Serm. 20. & 21. de Sanctis, quod si in Breviario hac die dicat Augustinus in Sermone: tanta Virginis illustrata Natali: & in secunda die infra Octavam, tuam sanctam Nativitatem: illa verba Natali, Nativitatem sunt adventitia, mutata ab Ecclesia; pro quibus alia habet originalis textus, in Serm. 18. de SS. qui est 2. de Annuntiatione. Habetur praeterea Festum hoc in Comite S. Hieronimi in Ord. Rom. & in Sacrament. Gregor. cum omnibus Orationibus Missae. Habetur etiam in Codice Gelasiano, in Calendario Frontonis, & in vetustissimis MSS. Codicibus ante annos 900. descriptis teste Martini. Rubr. Brev.

tene de antiq. Eccles. discipl. cap. 34. n. 2. Codex Turonensis annorum 800. duas continet Missas de Nativitate B. V. S. Ildephonus indicat hoc Festum in lib. de Virg. Mariae de quo etiam Sermonem habuit. Post eum Bernardus meminit, rationemque addidit, quia Sancta nata est. In Serm. super Salve Regina; atque ex cantu Angelorum hac die audito statutum fuisse Festum, docet Gemma lib. 3. cap. 166. tum Sergii Decreto firmatum, aut Sigebertus in Chronico; sed fortasse eo die indixit ille Litanias tantum, ut ait Auctor Breviar. Chronol. qui & addit, quod in Gallia post Ludovicum Pium celebrari cepit. Duplex majus, ex Durand. lib. 7. cap. 1. Antiph. & Resp. à Jo. Damasceno composita post recuperatam abscissam manum, scribit Schulting. citans Martinum Consentinum Archiepisc. lib. 4. Chron. in Siricio. Nihil mutavit Pius V. Officium tamen Missae aliud est ab Antiph. Gregor. Ubi est Titulus Ecclesiae Nativit. B. Virg. in tertio Noct. vel de septima, & de octava Lectione fiant tres, vel pro nona legatur septima diei sequentis infra Octavam, parumque refert, si die sequenti eadem repetatur. Huic Festo Vigiliam inditam fuisse à Gregorio XI. asserit Radulphus Tungrensis in lib. de observant. Canon. cap. 19. Et certe in vita dicti Gregorii à Bosqueto edita haec legitur -- Secundò ordinavit, quod Nativitas B. Mariae Virginis haberet Vigiliam cum jejuniis, pro qua etiam Officium proprium Missae ordinavit.

Adriani. In Antiph. & Sacrament. Gregor. mutatis deinde Orationibus, & est translationis Festum, quando Romam ejus Corpus delatum est, ex Baron. in Martyrol. obiit enim die 4. Martii. Commemoratio in MS. Simplex in Brev. 1550. Missa hujus Festi habetur etiam in Calendario Frontonis, Cod. Gellonenfi, & aliis.

9 Gorgonii. In Antiph. & Sacrament. Gregor. cum omnibus Orationibus Missae; non tamen in Pamel. Cod. Simplex in MS.

& 1550. Posterius est Gregor. ex Pamelio.  
 Quod esse non potest, nam hujus Festi me-  
 minit Gelasii Sacramentarium.  
 » Dominica infra Octavam Nativitatis B.  
 » M. V. Celebratur Festum Nominis ejusdem  
 » B. V. sub Ritu Duplici majori de praecepto  
 » ab Innocentio XI. sub die 22. Novembris  
 » 1693. cum Officio, & Missa propriis,  
 » quæ postea sub die 5. Februarii 1694. ap-  
 » probavit S. R. C. Antea hoc Festum ce-  
 » lebrabatur in plerisque Ecclesiis die 17.  
 » hujus mensis cum Officio, & Missa ex  
 » Indulto Apostolico, sed in memoriam in-  
 » signis victoriæ ab armis Christianis de  
 » Turcis reportatæ, & Civitatis Viennæ ab  
 » arctissima obsidione soluta, quotannis in  
 » Ecclesia universali ab omnibus utriusque  
 » sexus, qui ad Horas Canonicas tenentur,  
 » sub prædicto Ritu celebrari mandavit me-  
 » moratus Pontifex Innocentius.  
 » In prædicto Festo SS. Nominis B. M. V.  
 » non est facienda commemoratio de ejus-  
 » dem Nativitate, & in secundis Vesperis  
 » de Nativitate cadentibus in Sabbato non  
 » est facienda commemoratio de præfato SS.  
 » Nomine, ut decrevit S. R. C. die 23. Sep-  
 » tembris 1684. Rursus si hoc Festum  
 » SS. Nominis B. M. V. occurrerit in die 8.  
 » Nativitatis ejusdem B. V. Officium erit de  
 » Sanctissimo Nomine, omiſſa in utriusque  
 » Vesperis, & Laudibus commemoratione  
 » de prædicta die Oct. Nativitatis: ita sta-  
 » tuit, & declaravit S. R. C. die 15. Sept.  
 » 1685. quæ pariter Congregatio sub die  
 » 22. Januarii 1707. declaravit, quod si oc-  
 » currerit apud Franciscanos dies Octava S.  
 » Rosæ Viterbiensis in Dominicam infra  
 » Octavam Nativitatis B. M. V. debeant  
 » idem Franciscani Officium recitare de di-  
 » cta Octava, protracto ulterius Festo SS.  
 » Nominis ejusdem B. M. V. dies enim Oc-  
 » tava cujuslibet Festi, quia non transfer-  
 » tur, excludit, & transferri facit quodli-  
 » bet Festum Duplex, sive majus, sive mi-  
 » nus, solisque cedit Festis sollempnibus pri-

» mæ, vel secundæ Classis, proinde declara-  
 » vit eadem S. C. 1. Martii 1681. idcirco  
 » autem in Octava Nativitatis B. M. V. si  
 » occurrat Festum dicti SS. sui Nominis Oct.  
 » omittitur, quia ambo sunt Festa ad ean-  
 » dem SS. Virginem spectantia, & præfer-  
 » tur illud, quod est sub altiori Ritu. De-  
 » nique si hoc Festum SS. Nominis B. M. V.  
 » occurrat in Festo Exaltationis S. Crucis,  
 » transfertur ad primam diem non impedi-  
 » tam, ut declaravit S. R. C. 20. Jul. 1686.  
 » & datur per extensum hoc Decretum in  
 » nostro Indice sub *num.* 156.

10 Nicolai de Tolentino. In Brev. Va-  
 tic. *vol.* 4760. restituitur à Sixto V. 1585.  
 cum Officio, & duplici Ritu, sed compa-  
 ratione facta cum Nicolao Mirensi Episc. à  
 quo hic Nicolaus prodiit in lucem. Clem.  
 VIII. Semidupl. Ritu Festum decrevit fieri,  
 mutavitque Orationem. Si transferatur, mu-  
 tatur verus tertius in Hymno *ſc. Confessor.*  
 Duplex denuò à Clemente IX.

11 Prothi, & Hyacinthi. In Antiphon.  
 & Sacrament. Gregor. » Et in Calendariis  
 » sæpè laudatis. » Romæ celebre Festum  
 fuisse docet Baron. in *Martyrol.* Simplex in  
 MS. & 1550. Gregorianum, ubi supra. Fue-  
 re germani, teste S. Damaso in Epigram. quod  
 in recognito Martyrol. & B. ev. adnotatum  
 est; quare in Officio novem Lection. 8. Resp.  
 erit *Hæc est vera.*

14 Exaltationis S. Crucis. Ante obitum  
 S. Jo. Chryostomi, qui hac die obiit, & duos  
 de hoc Festo Sermones habuit. In Comite  
 S. Hieron. fit mentio; in Ord. Rom. & in  
 Sacrament. Gregor. habetur Secreta Missæ  
 Oratio, qua nos utimur; reliquæ deinde  
 mutata fuerunt. » Codex Gelasianus, &  
 » Gregorianus duas hac die exhibent Missas,  
 » 1. de Exaltatione SS. Crucis, 2. de SS. Cor-  
 » nelio, & Cypriano; easdem habet Calen-  
 » darium Frontonis. In vetusto Codice Tu-  
 » ronensi tres continentur Missæ, duæ de  
 » Exaltatione S. Crucis, tertia de SS. Mar-  
 » tyribus Cornelio, & Cypriano. In Codi-  
 » cibus

„cibus Regio, & Gellonenſi tres etiam le-  
guntur, 1. de Exaltatione S. Crucis, 2. de  
SS. Cornelio, & Cypriano, 3. de S. Cy-  
priano propria. „ Honorius I. invexille  
dicitur hoc Festum in Ecclesiam Orientalem  
anno 623. ex Platina; fortasse ampliavit.  
Quare Heraclii victoria longè posterior red-  
didit illustriorem jam institutam celebra-  
tem, quæ contigit anno 631. ex Sigebert.  
Sened. apud Durand. *lib. 7. cap. 1.* Duplex in  
MS. & 1550. Officium Gregor. mutavit  
aliqua Pius V. in Resp. & Lectionibus. Clem.  
VIII. in Hymno iussit dici: *In hac triumphi  
gloria.* Et declaravit etiam hoc Festum Du-  
plex majus. Officium Missæ Introitum tan-  
tum habet ex Antiph. Gregor.

15 Octava Nativitatis B. V. Ab Innoc. IV.  
ex Durand. *lib. 7. cap. 28.* hoc est, Officium  
ejusdem, ait Baron. in *Martyrol.* Beda enim  
meminit Octavæ cum Radulph. *propof. 19.*  
qui eam numerat inter Octavas majores.  
Habetur in Missali Vaticano *vol. 3808.* Sem-  
midupl. apud Durand. *lib. 7. cap. 1.* Duplex  
ab Alexand. IV. ut dicitur in Brev. 1550.  
Officium ab Innoc. IV. ex Platina an. 1246.  
qui & eidem tribuit Festum, sed falso, ut  
suprà innuimus. Pius V. infra Oct. ademit  
in primo Nocturno Lectiones de Canticis  
Canticorum quotidianas, exceptis prima, &  
ultima die, & mutavit Lectiones secundi, &  
tertii Nocturni.

Nicomedis. Olim die prima Junii, ex Be-  
da, Uluardo, & Adone. Habetur Officium  
Missæ in Antiph. & Sacrament. Gregor. cum  
omnibus Orationibus Missæ. „ Habetur in  
„ Calendario Frontonis, & Sacramentario  
„ Gellonenſi. „ Simplex in Breviar. MS.  
& 1550.

16 Cornelii, & Cypriani. Obiere tamen  
die 14. Septembris, qua, & sequenti impe-  
dita est iisdem hæc dies pro natali.  
De iis in Comite Hieron. & Sacram. Greg.  
ubi habetur prima, & ultima Oratio Missæ.  
„ Hoc Festum legimus etiam in Sacramen-  
„ tario Leonino, & Calendario Marteniano,

„ ac Missali Gothico. „ De Cypriano Na-  
zianzenus orationem habuit, & sollemnius  
erat Festum apud Græcos. Extant aliorum  
sermões, Augustini 113. 114. 115. 116.  
*de diversis:* SS. Maximi, & Petri Chrysol.  
In Italia per antonomasiam dicebatur cele-  
britas Cyprianea, ut scribit Procopius *de bel-  
lo Wandal.* Simplex in MS. & 1550. Semid.  
à Pio V. cum Offic. Lection. 1. Noct. de  
Comm. Martyr. satenus fuerunt assignata,  
quatenus de libro Tobie ceptum sit legi:  
alioquin initium ejusdem legatur in hoc Fe-  
sto (qui casus contingit alicubi ob Festum  
sollemne in Dom. die 13. Sept.) ne scilicet  
liber ille omittatur. Missæ Offic. discordat  
ab Antiph. Gregor.

Euphemie &c. A tempore Chalcedo-  
nensis Concil. in Sacram. Gregor. divisim  
habentur: ubi etiam Orationes omnes, quæ  
nunc in Missa dicuntur. Pamelius numerat  
inter Officia Gregor. posteriora. „ Quod  
„ verum esse non potest, cum natale S. Eu-  
„ phemie notetur in Codicibus Leonino, &  
„ Gelasiano. Euphemie, & Lucie memi-  
„ nit etiam Calendarium Frontonis. Co-  
„ dex Gellonenſis duas habet Missas, unam  
„ de S. Euphemia, alteram de SS. Lucia, &  
„ Geminiano. „ In Antiph. Gregor. ante  
tempora Doni Papæ, ait Baron. in *Martyrol.*  
*Manuel tit. de Festis,* cum novem Lect. in  
MS. & 1550. commemoratio tantum à  
Pio V.

„ Cum in hoc Festo SS. Cornelii, & Cy-  
„ priani pro commemoratione SS. Euphe-  
„ mie, & sociorum dicatur in primis Ve-  
„ speris Antiphona *Gaudet in Colis,* & in  
„ Laudibus Antiphona *Ifforum,* qua situm  
„ fuit, utrum prædictæ Antiphonæ dicen-  
„ dæ sint etiam, quando Officium SS. Cor-  
„ nelii, & Cypriani transfertur ex quo oc-  
„ currat in Dominica? & Sacra Congrega-  
„ tio sub die 14. Septembris 1709. respon-  
„ dit, quod in prædicto casu in primis Ve-  
„ speris Dominicæ pro commemoratione SS.  
„ Euphemie, & sociorum dicenda sit Anti-  
pho-

„ phona *Istorum*, & in Laudibus Antiphona,  
„ *Vestri Capilli &c.*

17 Stigmatum S. Francisci. Baronius in *Martyrol.* scribit, Bened. XI. iussisse sollempnitatem hanc celebrari Duplici Officio: id est, in Ordine S. Francisci: & lapsam, in *Martyrol. Rom.* iussisse Sixtum V. hac die recenseri, additis ipsiusmet Sixti V. verbis. Deinde verò concessit Paulus V. celebrari eandem posse ad libitum Cleri. Duplici quidem Officio in Religione S. Francisci: extra eandem Semiduplici, ut patet ex prima editione Romana, & Decreto S. R. C. die 28. Augusti 1615. & rursus die 2. Octob. 1627. Scripsit de hoc Festo Anton. Daza Minorita, & ait, universa Ecclesie fuisse præceptum sub Ritu Duplici à Benedicto XI. & à Paulo V. sed fallitur: tum quia Marcus Ulyssiponenlis in suo *Chronico Minorum part. 1. cap. 59.* aperte tradit, à Benedicto XI. datum esse Festum Duplex Ordini tantum S. Francisci: tum quia semel, & iterum decrevit Sacra Rit. Congreg. Riturum Semiduplicem, ut diximus: tum quia ejusmodi Decreto deleta sunt ea verba in 6. Lectione: *Officio Duplici*: quæ videbantur ad totum Clerum pertinere 6. Novemb. 1627. & ratio favet: quia in Brev. secundaria SS. Festa longè sunt inferiora primariis, ut videre est in Duplicibus majoribus per annum: non ergo debet esse Festum Stigmatum æquale Festo primario S. Francisci, quod est Dupl. minus; congruit autem esse Duplex in Ord. Minor. ubi Festum primarium S. Francisci est Duplex primæ Classis. Color albus adhibendus est, ut aliis docuimus contra usum FF. Minorum. In *Martyrol. Lect.* si fiat Offic. ponatur 1. loco de præcepto à Clem. IX. „ Nunc apud Min. in tali Festo adhibetur „ color albus, juxta Dec. S. R. C.

18 S. Thomæ de Villanova Episc. Semel ad libitum ab Alexand. VII. cum Orat. propria, Lect. 2. Noct. & Antiph. ad *Benedictus* & ad *Magnificat*, die 17. Jun. 1659. Ad Hymn. mutatur tertius versus, & in Mar-

tyr. de eo legatur primo loco. „ Deinde Se- „ mid. de præcepto ab Innoc. XII. 4. Sept. „ 1694.

19 Januarii &c. Primus erat in Appendice Gregor. Apud Græcos ante Procopium, qui de hoc Festo scribit *lib. 2. de bello Gothico*, cum sociis restitutum fuit à Sixto V. 1586. & cum Officio Semiduplici. Clem. VIII. mutavit Evang. cum Homil. „ Nunc Duplex „ ab Innoc. XI. 7. Dec. 1676.

20 Vigilia S. Mathæi. Ut de Vigilia S. Andrea, & S. Thomæ dictum est. In Comite Hieron. Evangelium, Officium Missæ in Antiph. & Sacram. Greg.

Eustachii &c. „ Unius Eustachii meminit Calendarium Frontonis. „ Appendix Sacrament. Gregor. habet hoc Festum Cal. Novembr. hac verò die Missale Vatic. vol. 4743. commemorat. in MS. Simplex 1550. Pius V. ademit Lect. ob Homiliam Vigilie. Urbanus VIII. Ritu Semid. celebrari iussit, ad instantiam Mauritii Cardinalis à Sabaudia Diaconi ejusdem Ecclesie; ejus Lect. approbata fuerunt die 24. Novembr. 1625. addiderunt alii sine facultate Resp. *Hæc est vera*; quod non quadrat: aliàs dicendum esset etiam in Festo SS. Marii, & Marthæ &c. 19. Januar. eadem enim est ratio, patris, matris, & duorum filiorum; Non igitur est dicendum. \*Dupl. à Clem. X. die 26. Jan. 1671.

21 Mathæi. Ut de S. Andrea, Comes S. Hieron. meminit. „ Sicut & Calendarium „ Martenianum. „ Oratio est Ambrosiana. Pius V. mutavit Lectiones omnes Offic. Missæ, ut in Antiph. & Greg. Sacram.

22 Mauritii &c. Primus in Antiph. Gregor. sed ex Panelio post Gregorium; socii verò in Appendice Sacrament. „ Codex „ Corbejenis Ratoldi duas habet Missas de „ SS. Martyribus Mauritio, ejusque sociis. „ Missa ipsorum legitur etiam in Missali Gothico-Gallicano. „ Simplex in MS. & 1550. Officium Gregor. & Missæ præsertim, ut in citato Antiph.

23 Lini. In Appendice Gregor. Semidupl. ex Microl. *cap.* 43. Romæ tantum. Radulph. *prop.* 22. Simplex in MS. & 1550. Semid. restituitur à Pio V. mutavit autem Evangel. cum Homilia Clem. VIII.

Thecla. In Append. Gregor. Ubique celebre Festum, ait Baron. in *Martyrol.* cum novem Lection. in Brev. 1550. commemoratio à Pio V.

24 B. M. V. de Mercede Redemptionis Captivorum sub Ritu Duplici majori à Benedicto XIII. 22. Martii 1727. olim sub Ritu Duplici minori tantum de præcepto à S. R. C. 18. Februarii 1696. cum Oratione propria, ac Lectionibus, approbante etiam Innocentio XII. sub die 22. ejusdem Februarii, & anni 1696.

26 Cypriani, & Justina. In Appendice Greg. Simplex in MS. & 1550.

27 Cosmæ, & Damiani. In Sacram. Gregor. mutatis Orationibus omnibus Missæ: quas tamen nobis etiam communes Pamelianus habet Codex. „ Missa hujus Festi habetur etiam in Codice Gelatiano, & Calendario Frontonis. „ Romæ celebrem eorum cultum ante Menolog. indicat Baron. in *Martyrol.* Manuel *tit. de feriis.* Simplex in MS. & 1550. Semidupl. à Pio V. Offic. autem Missæ habetur in Antiph. Gregor. ubi & posterius esse S. Gregor. notat. Pamel.

28 Wenceslai Mart. Ducis Bohemæ. Novissime à Clemente X. Semid. ad libitum eum Orat. propria, & Lect. 2. Noct. die 29. Nov. 1670.

„ Nunc Semiduplex de præcepto à Benedicto XIII. sub die 14. Martii 1729. „ Quapropter si hoc Officium occurrat in Dominica, vel in die infra Octavam, non omittitur, prout omittebatur quando erat ad libitum, sed infra Octavam potest celebrari, & si occurrat in Dominica, debet transferri in primam diem non impediam.

29 Dedicacionis S. Michaelis in Monte scilicet Gargano, ait Martyr. Romanum. Habetur in Comite Hieron. & in Sacr. Gregor. cum omnibus Orationibus Missæ. „ In Calendario Frontonis, Codice Gelatiano „ & Sacramentario Leonino, in quo ita legitur: *Basilica Angeli in Sabarza*; ex quo manifestum est hoc Festum à sui institutione nihil commune habere cum apparitione S. Michaelis in Monte Gargano, nec illius Ecclesiæ dedicationem hac die celebratam fuisse, ut volunt Gavantus, & Martene, omnesque alii. Doctissimus Sacramentarii Leonini Editor rem nobis aperiet. „ In Concilio Moguntino *cap.* 6. Manuel *tit. de feriis.* Ado inquit, ob dedicationem Ecclesiæ in mole Adriani; quam Baron. in *Martyrol.* vult fuisse dedicatam à Bonifacio III. vel IV. qui sunt posteriores Gregor. Radulph. ait *prop.* 17. fieri ex auctoritate Apostolica. Gemma addit *lib.* 3. *cap.* 167. ob victoriam fieri contra Paganos. Duplex apud Radulph. *cit.* & in Breviario 1550. Officium est Greg. quod dici testatur Schulting. à Concilio 2. Triburiensi MS. celebrato ann. 1030. Pius V. mutavit Lectiones primi, & secundi Nocturni, tum ordinem Responsor. tum Capitulum ad Sextam. Nota, quòd ad octavam Lectionem dicitur; *Quorum festum colimus*; quia est Festum omnium Angelorum, ut in Oratione, & Lectione quarta patet, & sequentibus, & quia Dedicatio hæc in Monte Gargano facta fuit in Michaelis, & Angelorum memoriam, ut expresse dicitur in Lectione sexta Festi Apparitionis, *die 8. Maji.* Officium Missæ habetur in Antiph. Greg. Si occurrat hoc Festum in Dominica, convenit, ut Octava Lectioni jungatur nona, quæ de Angelis agit.

30 Hieronymi. In Sacram. Greg. cum diversis tamen Orationibus Missæ. Ex Decreto Bonifacii VIII. Duplex. Pius V. mutavit Lectiones omnes.

## Cap. XII. De Festis Sanctorum Mense Octobri.

**F**estum Rosarii debet utique, & perpetuo celebrari in iis Ecclesiis, in quibus adest Altare, seu Cappella Rosarii B. Virginis, duplici majori Officio, in prima Dominica Octob. quæ scilicet occurrit in Kalendis, vel post Kalendas, ex decreto Greg. XIII. die 1. Aprilis 1573. Off. recitant Bononienses de Nativitate, mutato nomine in *Festivitate*, quod non improbamus. Certè melius, ut in Festo ad Nives; cum Læction. 2. Noct. de Nativitate B. V. mutato verbo, *Natali in sollemnitate*: minus enim coherent Antiph. & Resp. Nativitatis Festo Rosarii, quàm Festo Visitationis, & Præsentationis B. V. & tamen hæc duo Festa non habent amplius Offic. de Nativitate: mutante Clem. VIII. in Off. quæ hodie habentur. Quibus autem placet Off. Nativitatis, pro iis verbis: *Hodie nata est*: dicere poterunt, *Hodie Festum est B. V.* sed verè dissonat illud, *ex progenie David*. à voce *Fest.* Vide, quæ diximus in primo Tom. part. 4. tit. 15. num. 22. Nota, quod in secundis Vesperis, si concurrant cum Angelis Custodibus, Vesperæ integræ erunt de Beata Virgine, cum commemoratione Angelorum Custodum, habet enim Festum Rosarii integras utrasque Vesperas; quia Gregorius celebrari voluit ritu duplicis majoris, ut diximus: & ubi hoc Festum, legatur de eo in Martyrologio primo loco. Occurrit non rarò dies Octava Titularis Ecclesiæ S. Michaelis, S. Hieronymi, & aliorum, in Dominica 1. Octob. in qua Rosarii Festum à Clero ejusdem Ecclesiæ fieri debet, officiumque de eodem recitari; & sicuti dies octava non potest transferri: ita neque videtur transferri debere Festum Rosarii, quod à die 7. Octobris in primam Dominicam ejusdem ex professione transtulit Gregor. XIII. ut officio populus intersit, ex *Bulla cit. supra*. Quodnam erit igitur officium recitandum? consultus respondi, recitandum esse

Officium de Rosario cum commemor. diei Oct. & Domin. 1. Octob. tum quia, dum neutrum transferri debet, ut dixi, Festum Rosarii est duplex majus, Octava verò duplex minus; tum quia Festum Rosarii est Deparæ: tum quia Festum est de præcepto universalis Ecclesiæ, ex *Bulla Gregorii*; dies Oct. est de præcepto in particulari Ecclesia: tum quia Sac. Rituum Congreg. in honorem B. V. decrevit, à Clero Regii fieri Festum Visitationis B. V. in die Oct. S. Prosperi Patroni loci, ut supra scripsimus. *Sect. 3. cap. 12. num. 20.* licet potuisset, & debuisset ex vi Rubricarum transferri Festum Visitationis, at Rosarii Festum à Dominica non est dimovendum.

Major est difficultas, quando in prima Dominica Oct. occurrit Fest. Patroni loci, seu Titularis Ecclesiæ, in qua altare adest Rosarii, de quo fiet Officium, de Festo, an de Rosario? Bononiæ ann. 1637. recitatum est Officium de Festo S. Petronii, & in Domin. 2. Oct. translatum est Offic. Rosarii, vel potius festum: nam Clerus eo die recitavit Officium de Oct. S. Petronii. At S. Rit. Cong. die 6. Febr. 1638. decrevit in hoc casu nihil fieri de Festo Rosarii, neque transferri debere.

„ Nunc prædictum Officium Sanctissimi  
 „ Rosarii B. V. M. Clemens XI. die 3. Octo-  
 „ bris 1716. extendit ad Ecclesiam univer-  
 „ salem absque ulla restrictione sub ritu du-  
 „ plici majori in Dominica pariter prima  
 „ Octobris recitandum: & hoc ob insignem  
 „ victoriam ab Exercitu Augustissimi Caroli  
 „ VI. Romanorum Regis in Imperatorem  
 „ electi de innumeris Turcarum copiis in  
 „ Hungaria relata V. Augusti, hoc est, Fe-  
 „ sto Dedicationis S. Mariæ ad Nives, nec-  
 „ non ob Civitatem, & Arcem Corcyren-  
 „ sem paulò post, videlicet in Octava Festi  
 „ Assumptionis Sanctissimæ Virginis prædi-  
 „ & z

» Etæ ab immanissima eorundem Turcarum  
 » oppugnatione feliciter liberatam. Exstat  
 » Diploma Apostolicum de hoc Officio in  
 » Bullario particulari Clementis XI. parte  
 » III. Const. 25. quæ incipit: *Cum aliàs,*  
 » pag. mihi 574. & reperitur etiam in Bul-  
 » lario Rom. recentissimæ edit. Ex quo Fe-  
 » stum Sanctissimi Rosarii, ejusque Officium  
 » modo est universale, & de præcepto, licet  
 » affixum Dominicæ primæ Octobris, si ali-  
 » cubi impediatur ab Officio altioris Ritus,  
 » & majoris Dignitatis, vel à die Octava  
 » alicujus Festi habentis Octavam; nihilomi-  
 » nus erit absolutè transferendum in pri-  
 » mam diem non impeditam, prout idem  
 » dicendum est, & diximus de Sanctissimo  
 » Nomine ejusdem B. V. quod celebratur  
 » in Dominica infra ejus Octavam, & de  
 » Sanctissimo Nomine JESU, quod celebra-  
 » tur in Dominica secunda post Epiphaniam:  
 » Festa enim universalia, licet affixa Domi-  
 » nicis, transferuntur, non verò omittun-  
 » tur, si impedita sint, ut alibi diximus,  
 » & colligitur ex Decreto edito die 20. Mar-  
 » tii 1685.

1 Remigii. Dies est Translationis, obiit  
 enim Idibus Januar. ex Bar. *Martyrolog.* Ha-  
 betur Fest. in Appendice Gregoriana, & in  
 Concilio Moguntino *cap. 6.* simplex in MS.  
 & 1550. In Hymn Vesper. mutatur tertius  
 versus. Semid. ad libitum à Clemente IX. die  
 26. Nov. 1668.

» Si hoc Officium occurrat in Dominica,  
 » vel alicubi in aliquo Festo, aut infra Octa-  
 » vam, omittendum quidem erit quoad Ri-  
 » tum Semiduplicem ad libitum, sed dicen-  
 » dum quoad Ritus simplicem, nempe per  
 » nonam Lectionem, & Commemorationem  
 » juxta Decretum editum à S. R. C. die 13.  
 » Junii 1682. & datum in nostro Indice sub  
 » num. 126. Si tamen alicubi occurrerit hac  
 » die Festum Duplex primæ Classis, tunc  
 » neque legetur nona Lectio, neque ulla  
 » fiet Commemoratio de S. Remigio.

2 De Fest. SS. Angelorum Custodum con-  
 cessit Paulus V. 27. Septembr. ann. 1608.  
 posse fieri Off. Dupl. à se approbatum ad li-  
 bitum Cleri, prima die non impedita Offi-  
 cio novem Lect. post Festum Dedicationis S.  
 Michaelis. De præcepto à Clemente X. af-  
 signata pro sua die propria hac 2. Oct. quia  
 prima est impedita pro Festo S. Remigii.

Ad Oct. Lectionem dicitur: *Quorum Fe-  
 stum colimus.* Nam titulus, & Oratio est de  
 pluribus, & unusquisque intendit venerari  
 suum Angelum in Choro unà cum aliis; qui  
 solus recitat Officium, adhuc dicat *Quorum  
 Festam colimus &c.* non *cujus Festum colimus  
 &c.* quod postremum docuit recentior, mi-  
 nus advertens, quod uni recitanti neque  
 convenit: *colimus*, in plurali, si verborum  
 vim attendimus: in Lect. Martyrologii lega-  
 tur primo loco de eodem.

» Cum in omnibus Dominiis Imperio  
 » subjectis recitetur ex Indulto Apostolico  
 » Officium proprium SS. Angelorum Custo-  
 » dum Dominica prima Septembris cum O-  
 » ctava, non est de eis recitandum etiam hac  
 » die 2. Octob. ita declaravit S. R. C. 30.  
 » Sept. 1679. & datur in nostro Indice sub  
 » num. 103.

» Quando hoc Festum concurrat in pri-  
 » mis, vel secundis Vesperis cum simili Offi-  
 » cio Duplici minori, totum debet fieri de  
 » SS. Angelis cum sola Commemoratione al-  
 » terius Duplicis concurrentis, ut liquet  
 » ex Decretis S. R. C. datis in nostro Indice  
 » sub num. 116. & 145.

4 Francisci. A Greg. IX. 1228. dilatatur  
 Festum à Sixto IV. 1472. in Missali Vatica-  
 no *vol. 4743.* Duplex in Miss. & 1550. Pius  
 V. retenta Oratione, mutavit Officium an-  
 tiquius, opera Fratrum Minorum in Brevia-  
 rio positum, & auctoritate Nicolai III. ap-  
 probatum, ut diximus *cap. 1. hujus Sectionis.*  
 In Lect. 6. legitur, quod S. Franciscus in die  
 Festo Exaltationis S. Crucis recepit Sacra Sti-  
 gmata, & in Lect. 4. Fest. Stigmatum, ait S.  
 Bonav. quod circa Fest. Exaltationis id acci-  
 derit.

derit. Non tamen pugnant inter se hi textus : quia tempore S. Bonav. erat incertus dies, qui deinde fuit præcisè revelatus. Legge Wadingum in Annal. Min. Ann. 1282. Festum S. Francisci est de præcepto ubique locorum; ex Decreto Sixti IV. Ut indicat Silvester. *V. Dominica, num. 3, § 6.* ubi tamen ait, constitutionem illius non fuisse moribus utentium approbatam, sed rursus præcepit ubique S. Rituum Congreg. die 3. Jan. 1622. annuente Sanctissimo; Decretumque originale ostendit mihi Joan. Petrus Massarius meus, virtutum, doctrinæ, & fortunarum hæres Julii Benigni Advocati Confessorialis, Primarii, & unici tunc temporis in Gymnasio Romano Doctoris, Archiepiscopi Thessalonicensis, & S. Rituum Congreg. Secretarii, de Romana Republica optime meriti, cui & ego debeo plurimum, cum ejus opera potissimum, in album Consultorum ejusdem S. Congreg. relatus fuero: idemque Massarius publicari Decretum Romæ curavit, in Tabella, de consensu majorum edita An. 1631. Festorum ubique observandorum ex præcepto S. Romanæ Ecclesiæ; favente Tegrino Tegrinio, Domino meo, Episcopo Assisinate, & præfatæ Sac. Rituum Congr. à Secretis incomparabili viro, in gratiam Sancti Patroni Assisinate. Equum est igitur, ut deinceps ubique gentium observetur.

» Gavanti Avo hoc Festum erat utique  
» de præcepto observandum, sed posterius  
» fuit hoc Festum abrogatum ab Urbano  
» VIII. ut patet ex ejus Constitutione edita  
» idibus Septembris anno 1642. quæ incipit  
» *Universa per Orbem.* Et in qua recensentur  
» omnia Festa de præcepto, ubique servanda,  
» nullam faciendo mentionem de hoc Festo  
» S. Francisci, unde patet hoc Festum fuisse  
» tunc abrogatum.

5 Placidi, & Sociorum in Brev. Vaticano volum. 4760. restituit Sixtus V. anno 1588. Simplex ab eodem. Mutavit Orationes Cle-

mens VIII. non dicitur Responf. Vide *Sect. 8. cap. 2. num. 6.*

6 Brunonis. A Greg. XV. die 17. Febr. 1623. Semid. cum Officio ab eodem 6. Maji 1623. In Lectione Martyrol ponatur primo loco. Si transferatur, mutatur in Hymno Vesp. tertius versus. » Nunc verò celebratur sub Ritu Duplici ex Decreto S. R. C. die 3. Mart. 1674. annuente Clem. X. die 14. ejusdem Mensis.

7 Marci Papæ. In Ant. & Sacram. Greg. à quo initium primæ Orationis, & ultimam Missæ Orationem habemus: omnes autem leguntur in Codice Pameliano. » Calendarium Frontonis Marci quidem Festum » habet, reliquos omnino silet. In Codice » Gelasiano legitur tantum Missæ SS. Marcelli, & Apuleii.  
» SS. Sergii, &c. In Appendice Greg. Simplex in MS. & 1550.

8 Brigittæ. A Gregor. XV. & 3. Aprilis 1623. approbatum est Officium cum Ritu Semiduplici, Oratione, & Lectionibus propriis. Decreto Sac. Rituum Congr. recitandum quidem die 7. Octobris in qua fuit illa Canonizata, ut in Bulla Bonifacii IX. sed Urbanus VIII. ne Missæ v. Marci Papæ in Missali deleteretur, jussit hac die Octava, annuente Poloniæ Rege, celebrari Festum; in Polonia verò, ut prius, die septima, cujus obitus contigit die 23. Julii, impedita Festo S. Appollinaris: unde, & in Martyrol. quoque recognito translata est Lectio de eadem in hanc diem Octobris Octavam. Acta sunt hæc anno 1628.

» Prædictum Officium S. Brigittæ Viduæ  
» à Ritu Semiduplici ad Ritu Duplicem  
» elevatum fuit à S. R. C. die 26. Augusti  
» 1724. annuente Benedicto XIII. sub die  
» 2. Septembris ejusdem anni.

9 Dionysii, &c. quem Athanas. de Syriacæ decr. appellat Theognostum. Habetur de eodem in Antiph. Greg. sed post Gregorium, ex Pamelio; qui ait esse Gallicanum Officium. Nam ortum habuit in Gal-

Gallia à tempore Ludovici Pii & Amalarii, ex epist. Hil' uini ad eundem. „ Hoc Festum „ habet Vigiliam in Codice Rhemenſi & „ Corbejenſi Ratoldi. Mirum eſt hoc Fe- „ ſtum non reperi in Miſſali Gothico; „ De Generali conſuetudine teſtatur Radulph. „ propoſ. 17. Simplex in MS. & 1550. Semid. „ apud Radulph. quem Ritum reſtituit Pius V. „ mutavit autem Evang. cum Homil. Clemens „ VIII. Offic. Miſſæ aliud eſt in Ant. Greg.

„ 10 S. Franciſci Borgiæ Societatis Jeſu „ Confelloris Semiduplex de præcepto à S. „ R. C. die 1. Sept. 1688. annuente Alex. „ VIII. anno ſeq. cum Lectionibus 2. No- „ cturni, & Oratione propriis.

„ 13 S. Eduardi Angliæ Regis Confell. „ Semidupl. de præcepto à S. R. C. ſub die „ 6. Aprilis 1680. annuente Innocentio XI. „ cum Lectionibus 2. Nocturni, & Oratio- „ ne propriis; in Hymno *ſte Confellor* mu- „ tatur tertius verſus.

„ 14 Callixti. In Sacram. Greg. cum omni- „ bus Orationibus Miſſæ. „ In Calendario „ Frontonis, & Codice Gellonenſi. „ Se- „ midupl. ex Microl. cap. 43. Romæ tantum, „ ex Radulph. propoſ. 22. Simplex in MS. & „ 1550. Semid. Pius V. inſtituit ubique. Cle- „ mens VIII. mutavit Evangelium cum Homi- „ lia. Officium aliud eſt Miſſæ in Gregor. „ Antiph.

„ 15 \* Theretiæ Virginis. Urban. VIII. ad- „ libitum conceſſit fieri Officium Semid. ap- „ probatum à S. R. C. die 25. Auguſti 1636. „ De ea ſi fiat Officium, in Lectione Marty- „ rologii legatur primo loco; de præcepto ab „ Innoc. X. die 29. Octobris 1644. tandem „ Duplex à Clemente IX. die 11. Septembris „ 1668.

„ 17 S. Hedwigis Viduæ. Semid. de præ- „ cepto à S. R. C. ſub die 20. Martii 1706. „ annuente Clem. XI. cum Lectionibus ſe- „ cundi Nocturni, & Oratione propriis.

„ 18 Luæ Evangeliftæ. Martyr à S. Pau- „ lino ad Severum epist. 12. reputatur. Meta- „ phraſtes in hoc Feſto concionem habuit. In

Gavanti. Rubr. Brev.

Sacram. Greg. habetur cum omnibus Ora- „ tionibus Miſſæ, quarum prima eſt Ambro- „ ſiana. Decreto Bonifac. VIII. eſt Duplex. A „ Pio V. Duplex 2. Claſſis.

„ 19 „ S. Petri de Alcantara Confell. Or- „ dinis Minorum. Duplex à S. R. C. die 16. „ Aprilis 1701. annuente Clemente XI. olim „ Semid. à Clemente X. cum Lectionibus „ ſecundi Noct. & Oratione propriis.

„ 21 Hilarionis. In Appendice Greg. Sim- „ plex in MS. & 1550. „ Urfulæ &c. In quinto Seculo, hoc eſt, „ anno 500. indictum eſſe Feſtum, ait Jac. „ Philip. Bergomenſ. citatus à Schultingio, in „ Miſſali Vaticano volum. 3803. Officium ſol- „ lemne proprium totum in Brev. 1550. Pius „ V. Commemorationem decrevit. Si adſit „ alicujus ex his Virginibus caput, aut inſigni „ Reliquia, & nomen ignoretur, fiat de ea „ Officium, Duplici Ritu, ſumpta Oratione „ de Comuni in ſingulari, tacito illius nomi- „ ne (quod ſit in S. Callixto, & aliis) & fiat „ commemoratio S. Hilarionis, & SS. Urfulæ, „ & ſociarum: niſi aliud à Majoribus conce- „ datur, aut legitime præſcribatur.

„ 25 Chryſanti, & Daria. In Appendice „ Gregor. „ Et in Calendario Frontonis. Co- „ dex Geſtaſianus habet hoc Feſtum 3. De- „ cemb. unâ cum Antonino, & Martha. „ Simplex in MS. & 1550. Officium creditur „ compoſitum à Varino, & Armeno fratribus „ ordinatis Presbyteris à S. Stephano, qui vi- „ tas eorum ad omnes Eccleſias direxerunt. „ Hæc Cornel. Schultingius; ex quibus facile „ conjicitur Feſtum indictum eſſe 400. annis „ ante S. Gregorium. „ Hæc tamen fidem „ omnem ſuperare videntur.

„ 26 Evariſti. In Miſſali Vatic. vol. 4743. „ Semid. ex Microl. cap. 43. Romæ tantum, ex „ Radulph. prop. 22. Simplex in MS. & 1550.

„ 27 Vigilia SS. Simonis, & Judæ. Vide in „ Vigilia S. Andree. In Comite S. Hieronymi „ habetur Evangelium. Homilia à Pio V. „ Miſſæ verò Officium in Antiph. & Sacram. „ Gregor.

28 Simonis, & Judæ. Dicitur, ut de Festo S. Andrea. Pius V. innovavit Officium, Oratione excepta. Evangelium idem, quod in Comite S. Hieron. Officium Missæ, ut in Antiphon. & Sacrament. Gregor. si contingat eos dividi, quia alter tantum Titularis est Ecclesiæ juxta Rubr. quæ habetur *sect. 3. cap. 10. num. 11.* tunc pro S. Simone legatur in 1. Noct. de Communi Apost. reservata Epist. Judæ eidem, qui est ejusdem Auctor, ut *Sect. 5. cap. 12. num. 15.* significavimus. Vide quæ diximus in prima die Maji; at quia Lectio quarta non potest dividi, ea legatur in Festo Titularis, & iterum in Officio alte-

rius translata, sicuti etiam Evangelium cum Homilia. Lectiones quinta, & sexta variari possunt, ut in Communi Apost. Pro varianda Oratione, sumi potest Oratio Vigiliæ in numero singulari, & mutatis verbis: *prævenimus in celebramus: & præveniat in implet,* sed in his casibus consule Sacram Congregationem, ut aliquid proprium concedat.

31 Vigilia omnium Sanctorum. In Antiph. & Sacrament. Gregor. habentur Orationes cum Officio Missæ; sed posterius est S. Gregor. ex Pamelio. Concil. Oxoniense, & Beda meminerunt.

### Cap. XIII. De Festis Sanctorum Mense Novembri.

**O**mnium Sanctorum. Ord. Rom. habet hæc verba notanda: *In Calend. Novemb. & per totum Orbem plebs universa, sicut in die Natalis Domini ad Ecclesiam in honorem omnium Sanctorum ad Missarum sollemnia convenire studeat: illud attendentes, ut quidquid humana fragilitas per ignorantiam, aut negligentiam in sollemnitatibus, ac Vigiliis Sanctorum minus plene peregerit, in hac observatione sancta solvatur.* S. Cyprian. *epist. 34.* docet, natalitia Sanctorum annua celebranda esse cum Missæ Sacrificio; sed quia omnium Martyrum, & aliorum non possunt singula celebrari (teste Eusebio, citato à Beleth. *c. 154.* existimante, quotidie excedere numerum quinque millium) ideò Bonifac. IV. instituit Romæ Festum omnium Sanctorum hac die: quod deinde aliis Orbis Ecclesiis edixit Gregor. IV. an. 835. ex Sigeberto, & præsertim Gallis, & Germanis, ex Baronio in *Annal. ad annum eundem.* Neque verò hoc Festum est Sanctorum Martyrum tantum hoc Festum; verum etiam Confessorum, ut in Codice MS. se legisse ait Baron. in *Martyrol. die 13. Maji.* Habetur Festum in Sacram. sollemne Festum in Ord. Rom. Unde Duplex primæ Classis convenienter fuit statutum. Officium à Gregor. IV. compositum esse scribit Schultingius,

ex Beleth. *cap. 127.* Pius V. mutavit omnes Lectiones, sustulit primum Responsorium, & addidit octavum de Virginibus. In secundo Nocturno, & per Octavam, legi jussit Sermonem accommodatum Festo, quem tribuebant alii Augustino, quod est falsum, cum ille obierit ante Bonifacium IV. alii Odoni Abbati, de quo tamen unicum Manuscriptum habemus testem in Vaticana Bibliotheca. Nomine Bedæ à Clemente VIII. jussus est legi, quia inter ejus opera habetur, & vixit ille post Bonifacium IV. unde & in postrema recognitione Breviarii secuti sumus textum ipsum, qui Bedæ adscribitur. Officium Missæ in Antiph. & Sacrament. Gregor. legitur, exceptis Offertorio, & Comunione, quæ fuerunt mutata: sed posterius est S. Gregorio, ait Pamelius. In secundis Vesperis mandavit Urbanus VI. post Vesperas festivas cantari Vesperas Defunctorum Ritu Duplici, ut dicitur in Brev. Venetiis edito anno 1524.

„ Pantheon erat celeberrimum Romæ de-  
„ lubram, quod à Marco Agrippa Augusti  
„ Genero, & ter Consulè Jovi Vindici, vel  
„ Marti, Venerique dicatum fuit; dubium  
„ tamen est, an illud Agrippa à fundamen-  
„ tis erexerit, vel jam inceptum perfecerit;  
„ Dio enim *lib. 53.* vocem usurpat, quæ  
„ obser-

„ observante Pitisco, non totum ædificium  
 „ construere, sed perficere tantummodo si-  
 „ gnificat: *Pantheon quoque perfecit Agrippa.*  
 „ Quidquid sit, certum est Agrippam sal-  
 „ tem hoc delubrum porticu ornasse, ut  
 „ fidem facit, ejus inscriptio: *M. Agrippa*  
 „ *L. F. Conf. Tertium fecit.* Tanti fiebat hoc  
 „ ædificium, ut inter præstantissima Urbis  
 „ opera enumeraretur, ad quod posteritati  
 „ servandum Romani Cæsares sedulo incu-  
 „ buere; illud enim vetustate collapsum re-  
 „ stituit Hadrianus, Spartiano teste in ejus  
 „ *vita cap. 14. -- Roma instauravit Pantheon --*  
 „ Antoninus quoque, & Septimius Severus  
 „ hoc idem Fanum repararunt, ut testatur  
 „ inscriptio Gruteriana *part. 1. num. 1.* ideò  
 „ autem hoc nomine Pantheon appellatum  
 „ fuit, quòd in simulacris Martis, ac Ve-  
 „ neris multas Deorum imagines acceperit,  
 „ quamquam Dioni videatur inde id nomi-  
 „ nis habuisse, *quòd forma convexa sustiga-*  
 „ *tam Cæli similitudinem acceperit.* Olim la-  
 „ minis argenteis coopertum erat, sed Con-  
 „ stantinus Heraclii nepos eas abstulit cum  
 „ reliquis Urbis ornamentis. Multò cele-  
 „ brius postea hoc templum evasit, cum ab  
 „ Idololatriæ sordibus expurgatum, à Ve-  
 „ nere transtulit ad nostram Virginem, operâ  
 „ Bonifac. IV. Summi Pontificis, qui illud  
 „ à Phoca Imperatore obtentum, eidem  
 „ Deiparæ Virgini Mariæ, Sanctisque Mar-  
 „ tyribus consecravit sub annum Christi Do-  
 „ mini 607. die 13. Maji, unde postea no-  
 „ men accepit *Basilica S. Mariæ ad Martyres,*  
 „ & ob formæ structuram vulgò vocatur *S.*  
 „ *Mariæ Rotunda.* Hæc uno consensu re-  
 „ fertur Anastasius in vita Bonifacii IV. *Beda*  
 „ *lib. 2. Historiarum cap. 4.* Paulus Dia-  
 „ conus, & vetustissimum Epitaphium Va-  
 „ ticanum apud Manlium. Verùm Edmun-  
 „ dus Martene in notis ad Kalend. Rom. ab  
 „ ipso editum *tom. 4. Theauri Anecd. &c. &*  
 „ quod antiquius est ævo Bonifaciano, con-  
 „ tendit longè ante memoratum Bonifacium  
 „ IV. Pantheon in honorem B. M. & SS.

„ Martyrum fuisse consecratum, neque in-  
 „ dubiam esse libri Pontificalis fidem ad tem-  
 „ pora Bonifacii IV. id referentis, duplici hoc  
 „ argumento demonstrare conatur, quorum  
 „ primum ab ipso suo Calendario desumit,  
 „ in quo Kalendis Januarii hæc leguntur: *In*  
 „ *Octava Domini ad S. M. ad Martyres.* Se-  
 „ cundum petit ex Sacrament. Gregoriano,  
 „ quod ad diem Maji 13. habet: *Dedicatio-*  
 „ *nem Ecclesie S. Mariæ ad Martyres.* Ve-  
 „ rùm quis docuit Edmundum Martene ver-  
 „ ba illa tum pervetusto Calendario Roma-  
 „ no ab ipso edito, tum Sacramentario Gre-  
 „ goriano inserta, & adjecta non fuisse?  
 „ certè Pamelius observat ad diem 13. Maji  
 „ verba illa in duobus antiquissimis MSS.  
 „ desiderari, quod manifestè ostendit in ge-  
 „ nuino Gregorii Sacramentario illa non ex-  
 „ titisse. Et quamvis Calendarium à lau-  
 „ dato Martene editum, ejus esset antiqui-  
 „ tatis, quam illi adscribit (quod tamen cla-  
 „ rissimus Pinus in Dissertatione de Liturgia  
 „ Hispanica rotundè inficiatur) nihilominus  
 „ norunt omnes, quàm facile hujus generis  
 „ libris recentia Festa ab Amanuentibus in-  
 „ ferantur. Neque unus libri Pontificalis  
 „ Auctor posteriorum memoriæ mandavit  
 „ Bonifacium IV. B. M. & SS. Martyribus  
 „ Pantheon dedicasse, sed id ante ipsum Pau-  
 „ lus Diaconus, & Beda scriptis suis confi-  
 „ gnaverunt. Ac proinde negari non posse  
 „ videtur, ante Bonifacium IV. Pantheon  
 „ nondum fuisse vero Numini, ejusque no-  
 „ mine consecratum. Gregorius III. qui  
 „ anno 731. universam regebat Ecclesiam,  
 „ prædictam sollemnitatem à Bonifacio IV.  
 „ in honorem Sanctorum Martyrum tantùm  
 „ institutam, ad omnes etiam Sanctos ex-  
 „ tendit, eamque Kalendis Novembris co-  
 „ lendam esse decrevit, quod Baronii noti-  
 „ tiam fugit. Id verò ex Ussuardi Marty-  
 „ rologio colligunt Andreas Saussay, Johan-  
 „ nes Fronto in notis ad hanc diem, nec-  
 „ non recentissimè Franciscus Pagius in suo  
 „ Breviario Historico Chronologico ad vi-

„ tam S. Bonifacii IV. Pontificis num. 2. cui  
 „ opinioni libenter accedo, cum de præfato  
 „ Pontifice scribat Anastasius: *Hic fecit O-*  
 „ *ratorium intra eandem Basilicam (S. Petri)*  
 „ *juxta arcum principalem, parte virorum, in*  
 „ *quo recondidit in honorem Salvatoris, S. ejus*  
 „ *Genitricis Reliquias, Sanctorumque Aposto-*  
 „ *lorum (id est, in honorem SS. Apostolo-*  
 „ *rum) vel omnium Sanctorum Martyrum, at-*  
 „ *que Confessorum, perfectorumque Justorum*  
 „ *soto in orbe Terrarum requiescentium, quo-*  
 „ *rum Festa Vigiliarum à Monachis trium*  
 „ *Monasteriorum (hi alibi dicantur Monachi*  
 „ *Canonici) illic ferventium quotidie per ordi-*  
 „ *nem existentium, atque Natalitiorum Mis-*  
 „ *sas in eodem loco celebrare instituit, in Ca-*  
 „ *none Misse hoc adjecit ita à Sacerdote dicen-*  
 „ *dum: Quorum sollempnitas in conspectu*  
 „ *tuæ Majestatis celebratur Domine Deus*  
 „ *noster in toto orbe Terrarum. Quam in-*  
 „ *stitutionem in eodem Oratorio tabulis lapideis*  
 „ *conscribere fecit. Ex quibus deducit Fron-*  
 „ *to, Gregorio III. deberi Sanctorum omnium*  
 „ *sollempnitas institutionem.*  
 „ Non me latet, Augustinum Oldoinum,  
 „ in suis Additionibus ad vitam Gregorii IV.  
 „ (qui anno Christi 828. Pontificatum sus-  
 „ cepit ineundum,) à Giacconio exaratam,  
 „ tribuere huic Pontifici statutum celebra-  
 „ di hoc Festum die 1. Novembris in hono-  
 „ rem Sanctorum omnium, cui opinioni fa-  
 „ vere videtur Sigebertus in Chronico; sed  
 „ recedere non possum à prima sententia,  
 „ quia præter allegata argumenta reperio  
 „ Festivitatem Sanctorum omnium celebra-  
 „ tam fuisse in Anglia ante Gregorium IV.  
 „ idque disertè eruitur ex genuino Marty-  
 „ rologio Bedæ; qui obiit anno 735. in eo  
 „ enim ad Kalendas Novembris habetur:  
 „ *Festivas omnium Sanctorum.* Ejus mentio  
 „ fit pariter in Pontificali Egberti Archie-  
 „ piscopi Eboracensis, qui è vivis excessit  
 „ Anno DCCLXI. In Gallis verò nonnisi  
 „ paucis ante Caroli Magni obitum mensi-  
 „ bus illud celebrabatur, & hoc colligitur

„ ex Capitularibus, eo regnante, editis, &  
 „ ex Concilio Moguntino anni DCCCXIII.  
 „ in quibus tametsi de Festivitatibus infra  
 „ anni circulum publico cultu celebrandis  
 „ agatur, nihil tamen de sollempnitate San-  
 „ ctorum omnium; quare Gregorius IV.  
 „ Ludovicum Pium anno DCCCXXXV.  
 „ monuit, ut in suis Ditionibus Festivitas  
 „ omnium Sanctorum ageretur, & hoc est,  
 „ quod tradit de Gregorio IV. Sigebertus  
 „ in Chronico ad eum Christi annum his  
 „ verbis: *Tunc monente Gregorio PP. & omni-*  
 „ *bus t. piscopis assistentibus, Ludovicus Imp-*  
 „ *rator statuit, ut in Italia, & Germania Fi-*  
 „ *stivitas omnium Sanctorum in Kalendis No-*  
 „ *vembris celebraretur, quam Romani ex in-*  
 „ *stituto Bonifacii PP. celebrant.* Observat  
 „ tamen Edmundus Martene in tract. de an-  
 „ tiq. Eccles. discipl. in Divin. celebrandis  
 „ Offic. pag. 587. ante Gregorium IV. in  
 „ quibusdam jam Galliarum Ecclesiis Fe-  
 „ stum hoc celebratum fuisse, cum ejus  
 „ mentionem faciat S. Adalhardus utriusque  
 „ Corbeje Abbas in statutis anno 822. edi-  
 „ tis in lib. 2. cap. 3. apud Dacherium tom. 4.  
 „ Spicilegii primæ editionis. Quapropter  
 „ magis, magisque comprobatur Romæ, &  
 „ alibi saltem, si non in universis Regioni-  
 „ bus, ante Gregorium IV. celebratum fuis-  
 „ se Festum Sanctorum omnium, ejusque  
 „ institutionem repetendam potius esse à  
 „ Gregorio III. quam ab alio hujus nomi-  
 „ nis IV.  
 „ Ad hanc diem pertinent sequentia De-  
 „ creta, nimirum: Matutinum Defuncto-  
 „ rum pro generali eorum Commemoratio-  
 „ ne prohibitum est cantari pridie Vesperti  
 „ in Festo omnium Sanctorum, sed recitan-  
 „ dum est manè die 2. Novembris post Lau-  
 „ des diei. Ita S. R. C. sub die 1. Septem-  
 „ bris 1607. & datur in nostro Indice sub  
 „ num. 28. Hoc idem confirmatum fuit,  
 „ per aliud Decretum editum 22. Januarii  
 „ 1701. & datum in nostro Indice sub  
 „ num. 220.

„ Nihilominus pro Ecclesiis Cathedralibus aliter sancium videtur, nam die 5. Julii 1698. à S. R. C. emanavit hoc Decretum. Officium Defunctorum pro secunda die Novembris potest recitari etiam praesente Episcopo ante Completorium diei Festi omnium Sanctorum. Hoc datur in nostro Indice sub *num* 206. quod quidem Decretum est conforme Ceremoniali Episcoporum, in cuius *lib. 2. cap. 10. num. 1.* sic habetur - - De Vesperis, & Matutinis, quae celebrantur quotannis pro Commemoratione, & Suffragiis omnium Fidelium Defunctorum immediatè post secundas Vesperas festivitatis omnium Sanctorum, quae simul, & junctim in multis Ecclesiis recitari solent, hoc est, statim post Vesperas omnium Sanctorum; Vesperae, & Matutinae Defunctorum, ad hoc, ut Populus commodius, & frequentius illis interesse possit: & tunc, si Episcopus ipsemet erit in crastinum celebraturus Missam sollempnem pro Defunctis, debet etiam in his Vesperis, & Matutinis Officium facere, nullis tamen tunc ei Canonicis è Lateribus assistentibus.

„ Denique ad Octavam hujusce Festi pertinet pariter Decretum editum die 2. Martii 1695. & datum in nostro Indice sub *num* 187. in quo declaratum fuit, Octavam omnium Sanctorum tanquam digniorem praerendam esse Octavae Dedicationalis Ecclesiae.

2. Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum. Tribuitur hic ritus communiter Odiloni Abbati Cluniacensi, ex Sigeberto ann. 998. à quo diffusus est in totum Orbem auctoritate Apostolica; sed à Bonifacio IV. indictam esse Commemorationem hanc scribit M. Polonus ann. 607. immò ann. post institutionem Festi omnium Sanctorum ab eodem Bonifacio, docet Petrus de Natal. citatus à Demochare *tom. 4. cap. 18.* Petrus Galestinus, auctorem facit Jo. XVI. suadente Odilone, in *Notat. Martyr.* Amalarius au-

tem meminit, de *Ord. Antiph. cap. 65.* qui vixit post Bonifacium; & ante Odilonem circa ann. 800. & causam reddit. Post Officium, inquit, Sanctorum inserui Officium pro mortuis. Multi enim transferunt de praesenti seculo, qui non illico Sanctis conjunguntur, pro quibus solito more Officium agitur. Haec ille: nota ea verba: *solito more*, ergo erat in usu. Duplex in MS. & 1550. De Officii auctore, & ritu dicemus *Sectione nona*

Si in Dominica occurrat, transfertur Commemoratio haec in diem Lunae, & Vesperae in Vesperas Domin. ex Decreto Urbani VI. *loc. cit.* Nisi dies Lunae sit item impedita Festo de praepo: tunc enim in diem quartam Novembris (etiam si sit impedita Festo novem Lctionum) transfertur Officium Defunctorum cum Missis, cantata de Festo altera Missa, una cum Officio de die. Neque Officium hoc Defunctorum omitti debet, cum sit pars Officii Divini eo die praescripti, ut notat Suarez, *lib. 4. de Flor. Canon. cap. 25. num. 8. & 9.* & cum sit pars notabilis, ad restitutionem fructuum tenetur Beneficiarius ad ratam Vesperarum vel Matutini, vel utriusque, prout in Bulla Pii V. de qua *sect. 1. cap. 6. num. 2.* Decevit etiam Sac. Congreg. Rit. 1. Sept. 1607. ne pridie Vespere recinetur Matutinum Defunctorum, sed hac die manè: quod est notandum, & observandum ex Rubrica propria Breviarii. Vide *Sectionem nonam cap. 2.*

„ Quamvis ab Ecclesiae primordiis Preces, & Sacrificia pro mortuis in Ecclesiae Societate semper oblata fuerint, minimè tamen comperimus Patres, Synodosque consuluisse stato aliquo die omnium generatim Defunctorum Commemorationem, precesque pro omnibus illis effudisse, ac sacrificia peregisse. Fertur, quòd omnium primus Auctor S. Odilo Cluniacensis Abbas Ritum hunc in sua Cenobia invexerit, ut innuit etiam Gavantus, anno 998. Et testatur Petrus Damiani in ejus rebus gestis:

„ *Ris: Venerabilis Pater Odilo per omnia Mo-*  
 „ *nasteria sua constituit generale Decretum, ut*  
 „ *sicut primo die Novembris juxta universalis*  
 „ *Ecclesie Regulam omnium Sanctorum sollempni-*  
 „ *tis agitur, ita sequenti die in Psalmis, &*  
 „ *elemosynis, & precipue Missarum sollempnis*  
 „ *omnium in Christo quiescentium memoria ce-*  
 „ *lebratur. Hunc Ritus approbavere Pon-*  
 „ *tifices Maximi, & in quasvis Ecclesias in-*  
 „ *troducere. In eundem ferè modum com-*  
 „ *plures Festi dies privato quodam, pioque*  
 „ *studio Monachorum, vel Ecclesiarum par-*  
 „ *ticularium Religione primùm instituti, ab*  
 „ *universa Ecclesia post diuturnum examen*  
 „ *celebrati sunt.*

„ Adnotare debemus, quòd si transferatur  
 „ Commemoratio hæc in diem 3. hujus  
 „ mensis, propter Dominicam occurrentem  
 „ in die 2. tunc, si occurrat Festum Duplex  
 „ etiam translatum, de eo celebrari poterit  
 „ Officium. Ita statuit S. R. C. pluribus  
 „ Decretis, quibus conceditur eadem die  
 „ recitatio Officii Duplicis etiam translati,  
 „ sed cum obligatione faciendi simul hanc  
 „ Commemorationem omnium Fidelium De-  
 „ functorum, & celebrandi unam Missam  
 „ tantùm conformem prædicto Officio Du-  
 „ plici. Vide Dec. data in nostro Indice  
 „ Decretorum spectantium ad Rubricas Mis-  
 „ salis sub num. 448. 536. 543. 683. & in  
 „ sequenti Indice vide Decreta data sub num.  
 „ 158. 218. 276. & 312.

4 Vitalis, & Agricola. In Missali Vatica-  
 no vol. 4743. Simplex in MS. & 1550.

Caroli A Paulo V. ad libitum Cleri 6. De-  
 cenb. 1613. cum Officio, & Ritu Semidup-  
 plici 3. Decemb. 1616. approbato. Si fiat  
 Officium, in lectione Martyrologii, legatur  
 de eo primo loco. In tota Provincia Medio-  
 lanensi celebrari potest Duplici Ritu, ex De-  
 creto S. R. C. 20. Novemb. 1610. \*De præ-  
 cepto ab Innocent. X. die 10. Sept. 1652. &  
 tandem Duplex ab Alexandro VII.

8 Octava omnium Sanctorum. A Sixto  
 IV. & ex Codice MS. Ecclesie S. Mariæ ad

Martyres citato à Baronio in *Martyr. hac die.*  
 Duplex ab eodem Sixto, & in Brev. 1550.  
 Pius V. per totam Octavam reformavit Le-  
 ctiones.

Quatuor Coronatorum. Ordo Romanus,  
 Antiph. & Sacrament. Gregor. cum omni-  
 bus Orationibus Missæ, sub nomine quinque  
 aliorum. Decreto Melchiadis, ait Durand.  
 lib. 7. cap. 36. „ Hoc Festum ita signatur in  
 „ Codice Gelasiano -- Natale Sanctorum  
 „ quatuor Coronatorum Costani, Claudii,  
 „ Castorii, Simproniani -- In Codice Gel-  
 „ lonensi ita enunciantur -- Clodii, Nico-  
 „ strati, Simproni, Castori -- Sacramenta-  
 „ rium Leoninum, & Frontonis Calenda-  
 „ rium simpliciter habent -- Nat. SS. IV.  
 „ Coronatorum. „ Simplex in MS. & 1550.  
 Officium, vel ab Honorio I. qui Romæ æ-  
 dificavit eorum Ecclesiam, ex Martino Con-  
 sentino in Chronicis; vel à Leone IV. qui ex  
 Platina Corpora eorum invenit, & Ecclesiam  
 illustriorem reddidit.

„ Dominica secunda Novembris in toto  
 „ Statu Ecclesiastico celebratur Festum Pa-  
 „ trocinii B. M. V. sub Ritu Duplici majori  
 „ ex mandato Benedicti XIII. sub die 23.  
 „ August. 1725.

9 Dedicacionis Basilicæ Salvatoris. Dicitur  
 est Basilica Julii à S. Gregorio. Item Con-  
 stantiniana Lateranensis à S. Hieronymo, cu-  
 jus laudes persequitur Petrus Card. Damiani  
 in *epist. ad Card. S. R. E.* ex quibus pa-  
 tet eam esse caput Ecclesiarum: & hæc est  
 potissima ratio Festi. Romæ tantùm cele-  
 brabatur, ex Radolph. *pro. of. 22.* Habetur  
 in Missali Vatic. vol. 4770 Duplex in Brev.  
 1521. Off. de Communi. Pius V. Lect. 1. &  
 2. Noct. addidit.

Theodori. In Antiph. & Sacrament. Gre-  
 goriano, cum omnibus Orationibus Missæ.  
 „ Meminit hujus Festi Calendarium Fron-  
 „ tonis. „ Habuit Orationem Nyssenus.  
 Metaph. meminit in *actis S. Alipii die 26. No-*  
 „ *vemb. apud Sur. tom. 6.* Manuel quoque *tit.*  
 „ *de Feriis.* Simplex in MS. & 1550.

„ Hæc

„ Hæc Dedicatio Basilicæ Salvatoris extra  
 „ Almam Urbem non habet integras Vespere-  
 „ ras, si concurrat cum sequenti Officio  
 „ Duplici minori, ita declaravit S. R. C. 12.  
 „ Jul. 1684. quod Decretum est in nostro  
 „ Indice sub n. 85.

„ Benedictus XIII. die 14. Sept. 1726. ad  
 „ humillimas preces Capituli, & Canonico-  
 „ rum Basilicæ Lateranensis, ut novæ Con-  
 „ secrationis ejusdem Basilicæ, quam San-  
 „ ctitas Sua die 18. Aprilis ejusdem anni sol-  
 „ lemni Ritu peregit, memoria in posterum  
 „ recolatur, benignè indulgè, atque con-  
 „ cessit, ut in Festo Dedicacionis illius hac  
 „ die 9. Novembris sextæ Lectioni secundi  
 „ Nocturni sequentia verba addantur, vi-  
 „ delicet: *Eandem Ecclesiam incendiis, va-*  
 „ *stationibus, Terræ insuper motibus di-jedam,*  
 „ *everfamque, ac sedula Summorum Pontificum*  
 „ *cura reparatam, nova postmodum molitione*  
 „ *restitutam Benedictus XIII. Pontifex Maxi-*  
 „ *mus, Ordinis Prædicatorum, die 28. Apri-*  
 „ *lis anni 1726. Ritu sollemni consecravit, ejus-*  
 „ *que celebritatis memoriam hac die recolendam*  
 „ *statuit.*

„ Insuper idem Pontif. mandavit, ut hoc  
 „ Festum Dedicacionis Basilicæ Lateranensis  
 „ tanquam Festum Dedicacionis Ecclesiæ  
 „ Cathedralis Almæ Urbis ab universo ipsius  
 „ Clero Seculari tantum, ejusque districtus  
 „ sub Ritu Duplici primæ Classis cum Octa-  
 „ va quotannis celebretur juxta Decreta S.  
 „ R. C. hac in re pluries edita. Juxta quæ  
 „ à reliquo Clero Regulari idem Festum de-  
 „ bet celebrari sub Ritu Duplici secundæ  
 „ Classis, sed sine Octava. Hæc Decreta  
 „ dantur in nostro Indice sub nn. 81. 147.  
 „ 176. 225. 266.

10 Tryphonis &c. Constantinopoli cele-  
 bre Festum Justiniano Imperatore, ex Pro-  
 copio lib. 1. de adif. Justiniani. Romæ, ex Ra-  
 dulphi. *propof. 22.* In Missali Vatic. vol. 4743.  
 Simplex in Brev. 1550.

„ S. Andreae Avellini Confessoris Con-  
 „ greg. Cler. Regul. Semiduplex de præce-

„ pto à S. R. C. die 7. Julii 1725. appro-  
 „ bante Benedicto XIII. die 18. Augusti  
 „ ejusdem anni; habetur Oratio, & Lectio-  
 „ nes secundi Nocturni propriæ, à S. R. C.  
 „ approbatæ. Nona Lectio SS. Tryphonis  
 „ &c. Martyrum, & eorum Commemora-  
 „ tio in Laudibus, & Missa.

11 Martini Episc. Leone I. Pont. celebra-  
 tum fuisse hoc Festum ex Concil. Turonico  
 scribit Galefin. in *Martyrol.* Habetur in Sa-  
 crament. Gregor. à quo in editione Romana  
 primam tantum Orationem habemus in Mis-  
 sa: omnes autem in Pameliana. „ Hujus  
 „ Festi Missam habent etiam Calendarium  
 „ Frontonis, Missale Gothicum. Plura Sa-  
 „ cramentaria teste Martene habent etiam  
 „ Vigiliam. „ S. Bernardus Sermonem ha-  
 „ buit, & de generali consuetudine testatur Ra-  
 „ dulph. *propof. 17.* Semidupl. apud Durand.  
 „ Rursus Semidupl. in Brev. 1550. à Pio V.  
 tandem Duplex, qui & mutavit Lectiones  
 omnes. Reliqui Officii Gallicani, ut obser-  
 vat Pamelius *at Antiph. S. Gregorii*, dicitur  
 auctor S. Radbodus Episcopus Trajectensis,  
 ex Schultingio. Psalmi Nocturnor. sunt de  
 Communi Martyris, quia S. Martino non  
 defuit palma martyrii, ut dicitur in Anti-  
 phona ad *Magnificat.* Officium Missæ non  
 est idem, quod in Antiphonario Gregoriano,  
 & est posterius Gregorio, ex Pamelio,

Mennæ. In Antiph. & Sacrament. Gregor.  
 à quo in Romana habemus primam tantum  
 Orat. Missæ: omnes autem in editione Pa-  
 meliana. „ Missa legitur etiam in Calen-  
 „ dario Frontonis. „ Simplex in Brev.  
 1550.

12 Martini Papæ. Ex Calendario, &  
 Martyrol. Romano antiquissimis, citatis à  
 Baronio in *Martyrol.* & in Missali Vatic. vol.  
 4743. Semidupl. ex Microl. *cap. 43.* Romæ  
 tantum, ex Radulphi. *propof. 22.* Simplex in  
 MS. & in Brev. 1550. Restituitur Semid.  
 à Pio V. Clem. VIII. mutavit Evangelium  
 cum Homilia,

13 ✠ Didaci Confess. Sixtus V. primo concessit Officium de Communi Confess. non Pont. non determinans Ritus, ut habetur in Bulla Canonizationis ejusdem Sancti §. 29. vers. *Statuentes*, edita anno 1588. Nonis Julii, quem postea Clem. VIII. Semidupl. adscripsit, ut habetur in ejus Bulla sub die 26. Martii ann. 1598. vers. *Præterea*, cum ab eodem Sixto, quæ habetur in Compendio Bullarii Flavii Cherubini inter Bullas Sixti V. post Compendium Bullæ Canonizationis ejusdem Sancti, sed ob incuriam (tunc temporis) cujus erant partes, ad executionem posita non fuit; tandem Clem. X. per suum speciale Breve sub die 27. Febr. 1671. mandavit idem Festum celebrari die 13. Novemb. juxta concessionem supradicti Sixti V. & Clementis VIII. In Hymno Matutini, & 2. Vesp. dicatur: *Meruit supremos*, & in Martyr. legatur primo loco.

„ In Hymno Matutini, & 2. Vesp. non  
 „ debet dici *Meruit supremos &c.* sed *beatas*  
 „ *scandere sedes*. nam, ut notavimus sub die  
 „ 3. Decembris pro Festo S. Francisci Xa-  
 „ verii in Decreto edito die 13. Jan. 1683.  
 „ declaratum fuit, quod, si Officium S. Con-  
 „ fessoris transferatur in diem proximè se-  
 „ quentem ab ejus obitu (sicut est præfens  
 „ Officium S. Didaci, qui pridie idus hu-  
 „ jus mensis, nempe heri, obdormivit in  
 „ Domino) & in primis Vesperis, saltem à  
 „ Capitulo fiat de ipso, sicut reverà fit de  
 „ hoc Sancto, cujus primæ Vesperæ dimi-  
 „ diantur cum S. Martino, tunc in Hymno  
 „ *Iste Confessor* non debet mutari versus, sed  
 „ debet dici, *Meruit beatas*, tam in primis  
 „ Vesperis, quàm in Matutino diei sequen-  
 „ tis, & ratio est, quia in die sui obitus ha-  
 „ buit Capitulum.

17 Gregorii Thaumaturgi. Nyssenus O-  
 rationem habuit. In Missali Romano non  
 ante ann. 1550. habetur Festum. Simplex  
 à Pio V. Semid. à Clem. VIII. cum Homil.  
 Si transferatur, mutatur in Hymno *Iste Con-  
 fessor* tertius versus.

18 Dedicacionis Basilicæ Apostolorum.  
 Loca ipsa antea Limina Apostolorum voca-  
 bantur, de quorum osculo ob dignitatem  
 legè Baronium in *Martyrol.* unde sumitur ra-  
 tio Festi. Romæ tantum tempore Radulph.  
*propof. 22.* In Missali Vatic. vol 4743. Dupl.  
 1550. Pius V. Lect. 1. & 2. Nocturni adje-  
 cit. Clem. VIII. Homiliam S. Gregor. assigna-  
 vit. Urb. VIII. quintam Lect. opere, & ver-  
 bis locupletavit anno 1627.

19 Pontiani. In Missali Vatic. proximè  
 cit. Simpl. in MS. & 1550.

✠ Elisabeth Viduæ Regis Hungariæ Fi-  
 liæ. Semiduplex ad libitum à Clem. X. cum  
 Oratione propria, ac Lectionibus secundæ  
 Nocturni à Sacr. Rit. Congr. approbatis die  
 13. Sept. 1670. Duplex de præcepto ab eo-  
 dem Pontifice die 29. Mart. 1671. In Mar-  
 tyr. de ea legatur primo loco.

„ 20 S. Felicis de Valois Confessoris olim  
 „ ad libitum, nunc Duplex de præcepto à  
 „ S. R. C. sub die 15. Maji 1694. approban-  
 „ te Innocentio XII. habentur Lectiones pro-  
 „ priæ pro 2 Nocturno, necnon Oratio.

21 Præsentationis Beatæ Virginis. Hæc  
 die præsentatam fuisse, Ufuardus ait in *Mar-  
 tyr.* Sermones habuere Gregorius Nyssenus,  
 Germanus Constantinop. & Georgius Nico-  
 mediensis, qui vixit circa annum 1000. Me-  
 nologium, & Manuel tit. de *Feris*. Apud  
 Gallos sub Carolo V. Franc. R. 1375. pro-  
 curante Abbate S. Nicolai in Normandia:  
 ab his ad Saxones; tum ad Siculos transit,  
 ut enarrat Wion. auct. Ligni vitæ l. 5. Pius  
 II. & Paulus II. ex Molano in *addit. ad Mar-  
 tyr.* vel, ut alii volunt, Sixtus IV. edixerunt.  
 Tandem restituit Festum Sixtus V. 1585.  
 Duplex in Brev. 1550. & à Sixto V. Offi-  
 cium verò, quo nunc utimur, Clem. VIII.  
 designavit, abrogato antiquo, quod erat de  
 Nativitate Virginis, mutato nomine, *Nati-  
 vilitatis, in Præsentationis*: cui non bene omnes  
 Antiph. congruebant: & declaravit esse Du-  
 plex majus; in 7. Resp. pro *Festivitatem*, dici  
 debet

debet *Præsentationem*. Vide Decretum sub num. 181.

22. Cæcilie. In Sacrament. Greg. cum prima, & secunda Oratione Missæ; ultima deinde fuit mutata, quæ tamen habetur in Codice Pameliano. De generali consuetudine testatur Radulph. *propof. 17.* & in Breviar. S. Iſidori habetur Hymnus de ea. Semid. apud Durand. *lib. 7. cap. 1.* & Radulph. citatum, & item in Brev. 1550. quod perseverat. Officium Missæ habetur in Antiph. Gregor. Lectiones mutata à Pio V. fuerunt. Duplex à Clem. X. „ Hoc Festum signatum etiam invenio in Codicibus Leonino, „ Gelasiano, Missali Gothico, & Calendario Frontonis: In Gelasiano, & Gregoriano Vigiliam habet.

23. Clementis. In Sacrament. Greg. sed Orationes omnes fuerunt postea mutata, quæ tamen leguntur in Codice Pameliano. De generali consuetudine Radulph. *prop. 17.* Sanctus Bernardus Sermonem habuit, Semid. apud Radulph. citat. & in Brev. 1550. immò tempore Microlog. *cap. 43.* Officium est antiquum, mutatis Lectionibus, & quibusdam Responsoriis à Pio V. Officium Missæ, ut in Antiphonario Greg. „ In Sacramentariis Leonino, & Gelasiano, ac Calendario Frontonis duæ hac die assignantur Missæ - Una de S. Clemente, altera de S. Felicitate.

Felicitatis. In Comite Hieron. habetur mense Julio, & item in Sacrament. Gregoriano, à quo habemus primam, & ultimam Orationem Missæ; secundam etiam habet Pamelianus Codex. Sermones habuere S. Petrus Chryl. & S. Greg. Simplex in MS. & 1550.

24. Chryfogoni. In Sacrament. Gregor. „ Et in Calendario Frontonis, Codex Leoninus habet - - *Natale S. Chryfogoni, & Gregorii.* „ Simplex in MS. & 1550. Of-

ficium Greg. Missæ tamen aliud est in eisdem Antiph. sed Orationes, quæ apud nos habentur, in citato Sacrament. leguntur.

25. Catharina. A Trevirensibus cœpit coli ann. 1245. ex Lipomano *tom. 5.* & de generali consuetudine fieri scribit Radulph. *propof. 17.* In Breviar. Toletano duo Hymni de ea. In Missali Vaticano *vol. 4743.* habetur. Galeſinius, in *Martyr.* scribit hoc Festum in Calend. fuisse positum à Johan. XXII. quia, inquit, in antiquis Martyr. de ea non legitur. Semidupl. apud Durand. *lib. 7. cap. 1.* Duplex apud Radulph. cit. rursus Semidupl. in Brev. editis 1521. & 1550. Duplex tandem à Pio V. qui retentis Oratione, & Lectionibus 2. & 3. Noct. antiquum Officium proprium integrum ablegavit. Dicitur Ecatherina in antiquo Codice citato à Baronio in *Martyr.*

26. Petri Alexandrini. In ejus Festo S. Athanasius puer puerilibus lusibus seria præ-nunciassè scribitur à Ruffino *lib. 1. Hist. cap. 14.* Habetur Festum in Missalibus Vatic. *vol. 4743.* & 4771. & in edit Venet. 1505. non ante. In Brev. tamen 1550. non extat: ergo restitutum est à Pio V. qui & Simplicii Ritu celebrari Festum jussit; obiit ille tamen pridie hujus diei, ex Galeſinio in *Martyr.* & hæc de Proprio Sanctorum.

Addam duo pro declaratione prædictorum; alterum est, quod nomine, *Officii Missæ*, intelligimus Introitum, Graduale, Offertorium, Communionem, & in Horis Canonicis pro *Officio*, Orationem conformem Missæ, tum Antiph. Resp. & Lect. Alterum est, quod Manuelem sapius citavimus, *sic. de Feriis*; non quod ipse indixerit Festa, sed Ferias in Festis, & eum tanquam testem Festorum apud Græcos observatorum, attulianus in medium. Floruit autem ann. 1180. & sequenti obiit.



Gavant. Rubr. Erev.

U II

SECTIO

## S E C T I O   O C T A V A . D E   C O M M U N I   S A N C T O R U M .

### Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

#### Cap. I. De Communi Apostolorum.

I. Gavant. pag. 138. col. 1. n. 1. -- *Apostolis & Evangelistis, &c.*) Optimè notat Guyetus lib. 9. cap. 3. quest. 1. præter undecim, ac Paulum à Christo Domino vocatos, Judæque locum subrogatum Matthiam, & adjectos ipsis, Barnabam, Lucam, & Marcum, nullis Sanctis aliis tribui debere Apostolorum Officium, quamvis appellatione Apostoli, sive in Panegyricis, sive etiam in Martyrologio, Tabulisque Ecclesiasticis decorentur. Ex quo Marcus, & Lucas Evangelistæ Apostolorum Choro adnumerati sunt, optimè sancitum est ab Ecclesia, ut Apostolis, & Evangelistis in Breviario Commune sit Officium, & mirari satis non desino cum Guyeto *loc. cit.* quòd in antiquo Breviario Sylvanectensi Commune Evangelistarum, quòd diversum in eo planè est, præferatur Communi Apostolorum, quando, sicut Apostoli gradu, & dignitate cæteris Sanctis præstant, sic eorum Commune Officium deberet primùm omnium collocari, sicut optimè collocavit Romana Ecclesia, & ne ullus sit Controversiæ locus, utrisque, nimirum tam Apostolis, quàm Evangelistis, idem Officium Commune rectissimè tribuit.

II. Gavant. pag. 138. col. 2. n. 2. -- *Qui unius celebrat Festum non excludat alios, &c.*) In hoc Apostolorum Officio, cum recitatur de uno tantum Apostolo, videtur numerum pluralem sæpiùs adhibitum non convenire, sed huic difficultati optimè occurrit Gavantus, dicendo, Apostolorum Chorum ita esse unum, ut qui unius celebrat Festum, non excludat alios. E contra opponet alius Antiphonās 7. & 8. Matutini, 1. 2. & 3. in secundis Vesperis, cum sint singularis numeri, pluribus Apostolis, quando Officium simul recitatur, haud convenienter aptari, ob idque aliquas illarum in antiquo Cluniacensi Breviario, aliisque Monasticis inveniri mutatas; & egomet sæpiùs audivi aliquos secundam in secundis Vesperis Antiphonam ita enunciare: *Collocet eos Dominus &c.* loco dicendi: *Collocet eum Dominus.* Sed invariata semper debere esse has Antiphonas, sive de uno, sive de pluribus Apostolis celebretur Officium, certum omnino est, satis enim pluribus ista conveniant, si de unoquoque seorsim verè enunciantur, ut optimè etiam notat Guyetus *lib. cit. quest. 2.*

### Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

#### Cap. II. De Communi Martyrum.

I. Gavant. pag. 140. col. 1. n. 5. -- *Ad de his ob eandem causam &c.*) Optimè notat Gavantus, quòd in Officio Martyrum, qui

pro Christo perierunt quidem, sed non effuso sanguine, debet omitti & octavum, nimirum: *Hic est verè Martyr, qui sanguinem &c.* cujus

cujus loco debet recitari n. proprium post nonam Lectionem positum pro Festo quinque SS. Martyrum Pontificum: *Domine praevenisti eum.* Prædictis quinque Pontificibus addendi sunt S. Felix in Pincis, & S. Melchias Papa, ubi celebrantur eorum Officia novem Lectionum, quia pariter ipsi absque sanguinis effusione pro Christo mortem oppetierunt. Præterea debemus addere S. Eusebium Vercellensem, cujus Officium nunc celebratur in Ecclesia universali die 16. Decembris sub Ritu Semiduplici de præcepto, sicut ibidem adnotavimus: quamvis enim idem S. Eusebius, & S. Felix Nolanus Confessorum dumtaxat Titulo à S. Ambrosio inscribantur, & ab aliis antiquis Scriptoribus, ambos tamen, ut Martyres colendos, post novissimas Martyrologii, & Kalendarii recognitiones jam extra controversiam est. Nec immerito, nam juxta S. Cyprianum pro Martyribus habendi sunt, qui tormentis superstites, in pace postmodum quieverunt. *In Confessoribus Christi* (ait laudatus Cyprianus epist. 61. ad Lucium) *dilata martyria non meritum Confessionis minuunt, sed magnalia divine protectionis ostendunt.* Idque trium puerorum Babyloniorum, ac Danielis Prophetae adductis exemplis ibi confirmat: *neque enim in tribus pueris minor fuit martyrii dignitas, quia, morte frustrata de camino ignis incolumes exierunt, aut non consummatus Daniel exiit in suis laudibus, quia qui leonibus missus fuerat ad pradam, prosectus à Domino vixit ad gloriam.* Ob eandem rationem idem Cyprianus epist. 10. ad Martyres, & Confessores, eos solatur, quos ante consummatam Fidei Confessionem

liberos dimitti contigit, dicendo: *Quod si ante diem certaminis vestri de indulgentia Domini pax supervenerit, vobis tamen manet voluntas libera, & conscientia gloriosa. Nec contristetur aliquis ex vobis, quasi illis minor, qui ante vos tormenta perpeffi, victo, & calcato seculo ad Dominum glorioso itinere pervenerunt.* Ob eandem rationem Martyrum Choro accensentur in ipso Martyrologio S. Numidicus 10. Augusti, S. Euthychius Discipulus S. Johannis, & S. Sosthenes Discipulus S. Pauli 28. Novembris, S. Maxima 16. Octobris, & omnibus præferenda S. Thecla 23. Septembris, dicta ipsa inter fœminas Protomartyr, quos tamen omnes tormenta olim expertos, constat spontanea deinceps morte decessisse. Rursus à Martyrum Classe minimè excluduntur S. Theodosius Cœnobiarcha 11. Januarii, S. Mathias Jerosolymorum Episcopus 30. ejusdem, S. Lazarus Monachus 23. Februar. S. Theodotus Episc. Cyriae 6. Maji, SS. Episcopi Maternus Mediolanensis, & Philastrius Brixientis 18. Julii, Sanctus Paphnutius 11. Septembris, alique consimiles. Quin & Baronius ad diem 9. Januarii de S. Basilissa Virgine uxore S. Juliani Martyris profert hoc illustre testimonium: *Basilissa autem licet martyrium non obierit, tamen quia multa, graviaque passa est, & Dux Martyrum exitit, censita etiam inter Martyres reperitur.*

Utrum præferendum sit Officium Martyris in concurrentia cum Officio Confessoris, aut Virginis &c. vide Decreta data in nostro Indice sub num. 157. vide pariter Decreta data sub num. 177. 178. & 259.

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Cap. III. De Communi Confessorum.

I. Gavant. pag. 141. col. 2. num. 7. -- *Quando Officia Confessorum transferuntur in aliam diem, ut in Rubricis, mutatur versus in Hymno Iste Confessor &c.)* Declarat hic Ga-

vantus, inharens Rubricis Breviarii recogniti, quod debeat mutari versus in Hymno *Iste Confessor*, quando contingit Officium Natalis alicujus Sancti Confessoris transferri ad

U u 2 aliam

aliam diem, ob impedimentum alterius Officii majoris Ritus; ideò autem dicit noster Auctor debere mutari versum, & debere dici: *Meruit supremos laudis honores*, ne dicatur mendacium, quòd ipse eo die obierit, sicut diceretur, si recitaretur consuetus versus: *Meruit beatas scandere sedes*. Contra hanc Gavanti opinionem scripserunt Macer in Hierolexico v. *Hymnus*, Sarnellius *Liturgiam Ecclesiasticarum* l. b. 5. lit. 19, & Felix Gabriellus in *Animadversione super Rubricam*: si non est dies obitus. Hi tres Auctores concorditer, & acerrimè sustinent, non esse mutandum versum in dicto Hymno: *Iste Confessor*, quando ratione impedimenti transfertur ad aliam diem Officium natalitium alicujus Sancti Confessoris, sed tantum esse mutandum prædictum versum, quando celebratur Officium alicujus Sancti Confessoris non sub titulo natalis ejusdem, sed sub alio titulo, ex. gr. sub titulo suæ Ordinationis in Episcopum, sicut celebratur hoc modo Festum S. Ambrosii die 7. Decembris, & S. Basilii die 14. Junii; vel sub titulo translationis sui Corporis, uti celebratur Festum S. Johan. Chrysostomi die 21. Januarii, & S. Francisci Salesii sub eodem titulo Translationis die 29. ejusdem mensis; in his, inquam, circumstantiis, admittunt utique præfati Auctores, mutandum esse versum in Hymno *Iste Confessor*, & debere dici: *Meruit supremos laudis honores*: sed quotiescumque contingit fieri Officium Natalis alicujus Sancti Confessoris etiam translatum ad aliam diem, ob impedimentum majoris sollempnitatis, iidem Auctores firmiter tenent, semper in Hymno præfato debere dici versum: *Hac die letus meruit beatas &c.* Hæc sententia adeò validis est munita rationibus, ut ei forsitan adhererem, nisi obstaret clarissimum Decretum editum à S. R. C. die 11. Junii an. 1701. & datum in nostro Indice sub n. 223. in quo statutum fuit, quòd in Officio ad Hymnum *Iste Confessor* pro Sanctis Confessoribus, quoties eisdem fixa dies est assignata, quæ non est

dies obitus, non debeat recitari versus: *Meruit beatas scandere sedes*; quamvis reverà Officium fiat de die obitus; & quòd eadem regula servanda sit in Officiis translatis, quavis Officium sit de die obitus. Igitur tenenda est omnino Gavanti sententia, quæ est authentica S. C. decisione fulcita, & contrarii Auctores attendi non debent, eò quia, quando adsunt hujusmodi resolutiones, hæc sunt omnibus aliis Doctoribus præferendæ.

II. Gavant. eod. n. 7. - - *Et eo casu in primis Vesperis non est mutandus versus &c.* Hæc pariter Gavanti sententia confirmata remanet alio Decreto, quòd emanavit die 13. Januar. 1682. & datur in nostro Indice sub n. 128. in quo ulterius sancitum fuit, quòd si Officium Sancti Confessoris transferatur in diem proximè sequentem ab ejus obitu, & in primis Vesperis à Capitulo fiat de ipso, tunc in Hymno *Iste Confessor* non mutatur versus, sed dicitur *Meruit beatas*, tam in primis Vesperis, quam in Matutino, & in secundis Vesperis, quia in die obitus habet Capitulum, & ita declaratur etiam in Breviario Fratrum B. M. V. de Monte Carmelo *Rub. 25. sub n. 6.* nec non apud Fagioli in *Kalendario perpetuo in Adnotationibus ad Januarium sub lit. F.* Contrarium tamen tenet Guyetus *lib. 3. sect. 1. c. 13. quasi. 8.* sed nunc remanet decisa controversia ex Decreto mox allegato.

III. Gavant. eod. n. 7. - - *Infra Octavam verò dicitur, ut in Festo &c.* Si Festum S. Confessoris habeat Octavam, & annuatim celebretur propria die obitus, certum est, quòd per totam Octavam debet dici versus *Meruit beatas &c.* verum si Festum Sancti Confessoris celebretur annuatim die fixa, & alia à die obitus, ut Festum S. Dominici Ordinis Prædicatorum Fundatoris, tunc & in Festo, & per ejus Octavam dicitur in Hymno: *Meruit supremos*: idemque servandum, si ex privilegio Apostolico translato Festo, transferatur & Octava.

## Cap. IV. De Communi Virginum, &amp; non Virginum.

Caret novis Observat. &amp; Additionibus.

## Novæ Observationes, &amp; Additiones ad Gavanti

## Cap. V. De Communi Dedicacionis Ecclesia.

I. Gavant. pag. 142. col. 2. n. 1. -- *Unde Titulus Pastoris dicta est Ecclesia S. Pudenciana, &c.* Aedes Sacrae aliquando nomen habebant ejus Sancti, cui dicatae erant; sic Basilica, in quam convenere Episcopi Synodi Ephesinae, dicta est simpliciter MARIA; hinc, & ANASTASII templum Jerosolymitanum, & Ecclesia Constantinopoli dicta *eigörn*, ut docet Socrates *lib. 1. cap. 37.* sic denique Titulus S. Petri dicitur Ecclesia Romae eidem dicata; Hincque ortum habet, quod Ecclesiae his olim potissimum locis extruerentur, in quibus passi essent Martyres, aut Sanctorum quorumcunque Corpora requiescerent, de quo est illustris locus Prudentii in Hymno 5. de S. Vincentio.

*Ne sit sepulchrum faneris,  
Quod Plebs Gregalis excolat  
Titulumque figat Martyris.*

Aliquando Titulus Ecclesiae, seu nomen desumptum fuit ab eo Pontifice, qui illam vel construxit, vel dedicavit, ut Basilica Callixti trans Tyberim, quae fuit B. V. dicata, Basilica S. Marci Papae, Basilica Julii, Basilica Liberii, nempe S. Mariae Majoris, quae etiam Sixtina dicta est, Basilica Damasi, quae nunc S. Laurentii in Damaso appellatur. Sed primis Ecclesiae Seculis nomen, seu Titulus Ecclesiae frequentius desumebatur ab eo, cujus cura, & sumptibus Ecclesia aedificata erat; ille enim, qui Ecclesiam curat aedificari, prius Titulum, seu fundum aliquem conferre debet, ex cujus annuo reddito quid ad luminaria, quid ad Rectoris, Ministrorumque stipendia sufficiat, commodè suppeditetur. Ita praecipit Pontificale Romanum, ubi sermo est de Benedictione, & Impositione pri-

marii lapidis, & habetur *Cap. Nemo Ecclesiam, de Consecrat. dist. 1.* unde veteres Christiani domus suas in Ecclesias consecrantes, eas postmodum Titulo sui nominis appellabant. Hinc in Urbe orti sunt Titulus Pudencis, Titulus Aequitii, Titulus Fasciolae, Titulus Pamachii, item Basilica Constantiana, & Basilica Helleniana, Titulus Vestinae, quia nempe Vestina illustris Faemina, referente Baronio in notis ad 19. Junii, Basilicam extruxit in honorem SS. Gervasii, & Protasii, quae & Vestinae Titulus, & eorundem quoque Martyrum dictus reperitur; sed nihil vulgatius, quam illud, quod habetur in Breviario Romano die 1. Augusti Lect. 5. *Sanctus honor sacris illis vinculis haberi cepit, ut propterea hoc nomine S. Petri ad Vincula Ecclesia Titulo Eudoxiae dedicata sit in Exquilis.* Ex qua Duplici ratione Tituli, alia, qua Sanctum Ecclesiae Patronum indicat, alia, qua Ecclesiae Fundatorem, perspectum habes, qua ratione antiquissima Ecclesia S. Pudencianae nomen sortita fuerit, seu Titulum Pastoris, nimirum ab illo, qui eam aedificari curavit.

II. Gavant. pag. 142. col. 2. eod. n. 1. -- *Evaristus autem divisit in Urbe Titulos Presbyteris, &c.* S. Evaristus natione Graecus, qui in locum Anacleti successit est Romanus Pontifex anno Domini 95. Titulos in Urbe Roma Presbyteris divisit, id est, Ecclesias, in quibus Christiani Synaxes agere consueverant, ut tradit Anastasius, sive alius Auctor Libri Pontificalis. Titulos igitur loca sacra fuisse, in quibus Christiani conveniebant ad sacras peragendas Synaxes, & Sancta Ecclesiae Sacramenta è Sacerdotum manibus

percipienda, omnino certum est, & idem prorsus fuisse censendum, atque Ecclesias, quas nunc Parochiales vocamus. Numerus dictorum Titulorum an viginiquinque, an minor esset, ab Evaristo constitutus, merito dubitatur; nullus enim ab Anastasio numerus in Evaristo exprimitur, & hominis inconsulti esset, ut optimè adnotat vir clarissimus Nicolaus Antonellus in sua erudita Dissertatione super his Titulis, in re obscura, atque ambigua aliquid certi definire vellet. De eorundem Titulorum verò divisione eruditè pertractarunt doctissimi viri Holstenius, Schelestrate, & Franciscus Blanchinus. Allegatus Auctor Pontificalis sammatim recensens gesta S. Dionysii Pontificis, qui Romanam Sedem regendam suscepit die 22. mensis Julii an. 259. hæc de Beatissimo Pontifice scriptis consignavit: *Hic Presbyteris Ecclesias divisit, & Catecheticis, & Parochias Dioceses instituit.* Nimirum Titulos ab Evaristo suo Prædecessore constitutos, & ob Ecclesiæ persecutionem à Valeriano excitatam perturbatos, rursus urbanis Presbyteris divisit; loca autem, quæ in vita Evaristi *Tituli* appellata fuerunt, in vita Dionysii *Ecclesia* nuncupantur, quo nomine significantur profecto loca divino cultui, & sacris faciendis assignata. Quod additur in Dionysio ab Anastasio & Parochiales Ecclesias significat extra Urbem politas, quas suis limitibus, & terminis Sanctus Pontifex distinxit; & *Dioceses instituit*, id est, parvas quasdam *parochias* suis terminis definitas fecit. Quod etiam confirmat Hincmarus Rhemensis *episcopus*, 55. *cap.* 15. ubi ait: *Dionysius Papa rusticanis Parochiis terminos certos posuit, ac ponendos disposuit; de quibus etiam Chalcedonense Concilium, quæ sunt nota decrevit.* Et in hunc sensum Anastasii verba explicari debere censet mox laudatus Antonellus, non autem ea de solis Titulis accipienda esse, aut de solis rusticanis Ecclesiis, ut putant plurimi recentiores. Nam Ecclesiæ, quæ à Dionysio iterum Presbyteris urbanis divisæ fuerunt, in Pontificali di-

stinguuntur à Parochiis, quas solum finibus circumscriptas fuisse affirmatur. Cum enim vis persecutionis in Urbe potissimum invalesceret, facile erat, ut perturbatio, & confusio in urbanis Titulis accideret. De Ecclesiis autem extra Urbem locatis non item. Divisionis Ecclesiarum in Urbe, & limitationis Parochiarum, quas Dionysius Auctor Pontificalis tribuit, fidem facere videntur ea, quæ tradit Eusebius *lib. 7. cap. 3. Histor. Ecclesiast.*

Cæterum de Titulorum divisione, & numero sermonem resumendo, certum omnino est S. Marcellum Romanum Pontificem, qui anno 308. ordinatus est, viginiquinque Titulos Romæ constituisse, seu Parochiales Ecclesias, propter Baptismi, & Pœnitentiæ administrationem, & propter Martyrum sepulturas, ut literis consignavit allegatus Anastasius, seu alius Auctor in ejusdem Pontificis vita. Numerum igitur Titulorum Marcellus definivit, & fines, limitesque, cuique suos adscripsit, ne ob multitudinem Paganorum, qui Christianam Fidem professi, sacro Fonte ablui postulabant, confusio, & tumultus oriretur; tum etiam, ut Pœnitentes pœnitentiæ actus in Titulis quique suis exercerent, quibus exactis per manuum impositionem ab Episcopo, vel ejus permisso à Presbytero Ecclesiæ reconciliarentur. Cætera ad hanc rem spectantia curiosus lector videre potest in citata Dissertatione à Nicolao Antonello eruditissimè elucubrata.

Hoc unum tamen superest addendum, quod ad rem nostram plurimum refert, observatorem, quem habet Baronius in notis ad 26. Julii, Romæ videlicet, veterem loquendi usum obtinuisse, ut non omnis Ecclesia, Martyrumve memoria Titulus diceretur, sed tantum insigniores Ecclesiæ, quibus præficerentur Presbyteri Cardinales, & hoc aperte confirmatur ex Bulla Sixti V. data die 13. Maji anni 1587. in qua Summus Pontifex adstruit Ecclesias in Urbe Roma, vel finitimis locis constitutas, quæ *Cardinalis digni-*

tate gaudent, Titulos esse appellandas, quod sint quasi quadam cujusque propriæ Diœceses, ac præter sex Cardinales Episcopos, qui certis Cathedralibus Ecclesiis Urbi finitimis præsunt, singulis Presbyteris, & Diaconis Cardinalibus Ecclesia illa, Tituli videlicet, & Diaconia cum suis Clero, & Populo, ac quasi Episcopali jurisdictione in spiritualibus, & temporalibus regenda, & administranda committantur. Postmodum verò idem Pontifex enumerat, quænam tum ex antiquis, tum ex recens erectis Basilicis Tituli, ac Diaconia sint appellandæ, vetatque ne ullæ aliæ hisce Titulis afficiantur.

III. Gavant. pag. 142. col. 2. eod. n. 1. -- Titularis ergo Ecclesia est ille Sanctus, à quo Titulus, seu Ecclesia denominationem habet.) Nomine Tituli Ecclesiæ regulariter venit Sanctus ille, sive Angelus, sive homo, vel id mysterium, sive Christi Domini, sive B. M. V. vel denique quæcumque res sacra, puta Crux, Corona spinea, Sudarium &c. sub cujus nomine, seu Titulo fundata est, & vulgò appellatur Ecclesia. Titulus Ecclesiæ aliquando confunditur cum Patrono, aliquando verò non. Patronus etenim Ecclesiæ est persona aliqua creata, nempe Angelus, vel homo Sanctus, cujus nomine nuncupatur Ecclesia, v. g. S. Michaël, S. Petrus &c. & tunc confunditur Titulus Ecclesiæ cum Patrono. Titulus verò propriissime sumptus personam propriè non significat, factem creatam, sed potius mysterium aliquod, vel personam aliquam divinam, seu rem quamcumque ad personam etiam creatam pertinentem; quo mysterio, seu re Ecclesia ipsa veluti inscribitur, & appellatur, v. g. Sanctissima Trinitas, Spiritus Sanctus, Christi Domini natiuitas, Transfiguratio, Resurrectio, Ascensio, B. M. Conceptio, Annuntiatio, Assumptio &c. Cum verò Patroni, & Advocati nomen pro eodem communiter accipiatur; Rursus eùm Patronus non dicatur nisi cum relatione ad Judicem, aut quemvis alium majorem, apud quem

alterius causam suscipit defendendam, aut à quo gratiam aliquam pro suo Cliente se impetraturam spondet; hinc certissimum est Patroni nomen Deo in hoc sensu haud quaquam convenire posse, quia Summus Judex est, nullumque majorem agnoscit, apud quem nostras causas possit ipse patrocinari. Solum igitur Angelis, & Sanctis Patroni nomen competere potest. Hinc citra dubium suarum Ecclesiarum non solum Titularis, sed etiam Patrona dicenda est Beatissima Virgo Maria. Ita pariter SS. Angeli Ecclesiarum ipsis consecratarum Patroni appellari possunt; & denique Sanctis omnibus cujuscumque sint Ordinis, convenit, ut possint esse Ecclesiarum Patroni. Ex quibus omnibus liquet discrimen, quod intervenit inter purum Ecclesiæ Titulum, & Patronum; quamvis enim Patronus, ut mox dixi, multoties confundatur cum Ecclesiæ Titulo, quando Ecclesia est dedicata alicui Sancto, vel Angelo; non æquè tamen Titulus semper cum Patrono confunditur, nam Ecclesiæ alicui divinæ Personæ dedicata, vel divino aliquo mysterio consecrata, & intitulata, habent quidem Titulum, quo denominantur, non verò Patronum, in eo sensu acceptum, quo nomen Patroni mox explicavimus.

Quæstio gravis agitur, an Christus Dominus dici possit Patronus; (in eodem sensu, quo supra) earum Ecclesiarum, quæ vel ipsimet, ut Salvatori nominatim, vel sub Titulo S. Crucis, aliæve ad ipsum pertinente dedicantur. Hanc quæstionem egregie discutit Guyetus more suo lib. 1. cap. 5. quæst. 3. & resolvit, quòd quamvis Christus 1. *Johannis* 2. dicatur Advocatus noster; nihilominus Patronus alicujus Ecclesiæ intitulari non possit, tum quia utus huic locutioni non consonat, tum quia Christus talis non est, qui in Patronum particularem eligi debeat, cum ipse communis sit omnium Advocatus apud Patrem, ceteri verò Sanctorum Advocati apud ipsum, nec apud Patrem, nisi mediante ipso; *Unus est enim mediator Dei, & ho-*

*minatus,*

minum, homo Christus Iesus, ut ait Apostolus. Tamen quia sic Christus est Advocatus noster apud Patrem, ut non solum Impetrator, quatenus homo, sed sit etiam ipsemet, quatenus Deus Auctor, & Largitor bonorum, quæ à Patre pro nobis, prout homo, postulat: immò, quod Patronorum haud proprium est, ille erit supremus Judex noster, qui modò Advocatus noster est, ut ait Augustinus *serm. 170. de Tempore.*

Nonnullas alias promovet Quæstiones Guyetus, nimirum utrum Deus absolute sumptus assumi possit in Titulum Ecclesiæ; An Personæ Divinæ aliæ seorsim ab aliis; & an Attributa, seu perfectiones divinæ idoneæ pariter sint ad constituendum Ecclesiæ Titulum; & alia hujusmodi promovet dubia omnino apud ipsum videnda, quorum discussiones, ne nimius sim, prætermitto.

IV. Omisissis prædictis quæstionibus, alias tamen proponere lubet, spectantes ad eandem materiam Titularis Ecclesiæ, utpotè magis conducentes ad nostrum intentum, & ad præxim recitationis Divini Officii; cum certum sit, ut alibi diximus, & magis etiam patebit ex Decretis infra exhibendis, quòd de Patrono, seu Titulari Ecclesiæ recitandum sit Officium sub Ritu Dupli primæ Classis à Clero ejusdem Ecclesiæ.

Contingere itaque potest, Ecclesiam aliquando habere plures Patronos, seu Titulos, quamvis Patronus, seu Titulus, sub cujus nomine ædificata est, ac dedicata primitus Ecclesia, ut plurimum sit unicus; aut si plures sint, non nisi per modum unius, id est sub uno eodemque Festo, puta SS. Gervasii, & Protasii, SS. Cosmæ, & Damiani, S. Dionysii cum Sociis &c. Quotiescunque igitur Ecclesia habet prædicto modo plures Patronos, seu Titulos per modum unius, celebratur hoc modo Festum de omnibus Sanctis Titularibus per modum pariter unius de Communi vel Martyrum, vel Confessorum, prout illis convenit.

Aliquando verò contingere potest ejusdem Ecclesiæ plures esse Patronos, seu Titulos etiam divisim, nempe quorum Festa divisim celebrantur, uti Romæ recensetur Ecclesia SS. Silvestri, & Martini; item SS. Blasii, & Caroli, quod exemplum adducit Gavantus; Parisiis verò SS. Lupi, & Ægidii, & aliæ alibi: in quo casu Officium quidem singulorum diebus suis Duplex erit, ut innuitur in Rubrica de Duplici *num. 1.* sed Octava non conceditur, nisi Festo Principalis Titularis: ita colligitur ex Rubrica de Octavis *num. 1.* & docet Gavantus noster *Sect. 3. cap. 12. num. 6.* Guyetus tamen *lib. 1. cap. 4. quest. 3. §. De cujus demum* resolvit, quòd prædicti Sancti divisim Titulares ejusdem Ecclesiæ, æquales in omnibus omnino sunt, adducendo exempla supradicta SS. Silvestri, & Martini, SS. Blasii, & Caroli, nihilque discriminis intercedere, nisi quòd in pronunciandis nominibus alterum alteri præferre necessarium est, cum utrumque simul non possit; unde de utroque Titulari prædicto admittit divisim Officium primæ Classis cum Octava laudatus Guyetus ibidem.

Denique contingere potest, quòd successive dentur plures Tituli, seu Patroni ejusdem Ecclesiæ, & hoc contingit, quando Ecclesiæ jam dicatæ, ac de Sancti alicujus, aut mysterii, reive Sacræ nomine appellatæ, Patronus alter, seu Titulus superveniat, à quo ipsa nomen aliud, sive relicto, sive retento priore; accipiat; hujus rei exemplum affert Guyetus *cit. loc. §. Et hujus quidem* in Ecclesia Turonensi, quæ à S. Martino sub Titulo S. Mauritii primùm fundata, illato in ea postmodum ab eodem S. Martino S. Gatiani prædecessoris sui, ac primi illius sedis Antistitis Corpore, suppresso deinceps S. Mauritii Titulo, appellata est, & etiam appellatur vulgò S. Gatiani; & hoc casu idem Guyetus *cit. §. de cujus demum* resolvit, quòd si de qualitate in ratione Tituli agitur, prior omninò, immò verò solus verè Titularis est is, sub cujus primùm nomine dedi-

cata fuit Ecclesia; si verò agitur de qualitate quoad celebritatem in Choro, seu ratione Officii, ambo pares esse censet idem Guyetus; primæ scilicet Classis. Si denique agitur quoad celebritatem in Foro, seu apud vulgus, & tunc ut plurimum hac in parte, posterior tempore solet prior esse fama, nominisque pervagatione, & sic in prædicta Turonensi Ecclesia nominatior est S. Mauritio Sanctus Gatianus.

Si autem Festum Patroni vel Tituli occurrat eodem die cum alio, secum descripto in Calendario sub una ratione Festi Duplicis, vel Semiduplicis, tunc fit de solo Patrono, vel Titulo sub Ritu Duplici primæ Classis cum Octava, & nihil de Socio, qui ea die omittitur, & transfertur, seu mutatur perpetuò in primam diem non impeditam, tuncque fit de eo sub ritu Semiduplici, juxta ea, quæ dicit noster Gavantus *Sect. 3. cap. 10. num. 11.* ubi affert exemplum Ecclesiæ dicatæ Sancto Sebastiano. Si autem Patronus, vel Titularis sit altioris ordinis v. g. Sanctus Philippus Apostolus, cujus Festum in Calendario occurrit eodem die cum S. Jacobo Apostolo, tunc de translato, nempe de S. Jacobo, fit sub Ritu Duplici secundæ Classis, quia est unus de duodecim Apostolis, ut optimè notat Gavantus *suprà cit. Sect. & cap. num. 13.* Denique si plures Sancti, quorum unus est Titularis, sunt sub ritu Simplicis in Calendario Romano, tunc in ea Ecclesia fit tantum de Titulari sub ritu Duplici primæ Classis, & de Sociis, licet Gavantus *ibidem num. 12.* asserat, quod nihil omnino fit, neque eorum transfertur Festum, quia de Sancto sub ritu Simplicis nulla fit translatio; at tamen, cum hæc omissio sit perpetua, posset fieri recursus ad Sacram Congregationem, ut provideat, sicut providè in Correctione, & Approbatione Calendarii Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium sub die 22. Januarii 1735. assignavit aliam diem pro Festo Simplicis impedito semper à Duplici primæ Classis, ut *suprà* adnotavimus

Gavant. Rubr. Brev.

*Sect. 3. cap. 4.* in fine nostrarum Observationum. Vide etiam ea, quæ diximus ad *caput 12.* ejusdem *Sect. 3.* sub numeris VI. & VII.

Laudatus Guyetus *cap. 5.* duas proponit quæstiones, nimirum, an possit mutari Patronus, seu Titulus Ecclesiæ; & an Patroni, seu Tituli Ecclesiæ Festum fieri possit, aut debeat, Ecclesiâ ipsâ benedictâ quidem, sed nondum consecratâ. Primam ex dictis quæstionibus citatus Auctor negativa decisione resolvit, nisi accedat nova Ecclesiæ Dedicatio, nam stante eadem Ecclesia cum eadem Dedicacione, inane, ac propè sacrilegum illi videtur, abdicato priori Titulo, novum alium inducere.

Ad secundam verò ex prædictis quæstionibus respondet, Festum Patroni, seu Tituli celebrari posse ante factam Ecclesiæ Dedicacionem, quia in Pontificali Romano, ubi de Benedictione, & impositione primarii lapidis pro ædificanda Ecclesia agitur, præcipitur in quadam Oratione nominari Sanctum, vel Sanctam, in cujus honorem, ac nomen fundatur ipsa Ecclesia; hinc consequens omnino videtur Titulum illum exinde valere, ac veluti ipsi acquiri; adeoque ubi primùm ædificata, convenienti saltem ex parte, ac benedictâ fuerit Ecclesia, & incipiant in ea celebrari divina Officia, poterit quoque, immò debet fieri Festum de Titulo, seu Patrono ipsius; Hæc & alia Guyetus. vide *super hac re Dec. in Appen.*

Superest nunc, ut hoc loco subnectamus Decreta S. R. C. spectantia ad hanc rem Titularis, seu Ecclesiæ Patroni.

Ufus semel introductus, & receptus in Ecclesia Cathedrali celebrandi Festum sollempniter de aliquo Sancto tanquam de Patrono, continuandus est, licet non sit de antiquis Patronis Ecclesiæ, vel in Breviario de eo non fiat Officium Duplex. Ita S. R. C. 15. Martii 1608. & datur in nostro Indice sub *num. 32.*

X x

Cele-

Celebrari non potest per totam Civitatem, vel Diocesim, etiam de cujuscumque Ordinarii auctoritate, Festum cum Officio de Sancto, eò quòd in loco adsit Ecclesia Parochialis, vel Regularis, vel Abbatialis, aut aliqua Reliquia, sed tantum in ipsius Sancti Ecclesia Titulari, seu ubi asservatur Corpus, aut insignis Reliquia, & non alibi. Ita S. R. C. 8. Aprilis 1628. & datur in nostro Indice sub num. 60.

Episcopus quando reperitur in aliquo Opido suæ Diocesis ob visitationem, seu aliam ob causam, potest licet recitare Officium Sanctorum, de quibus ex forma Rubricarum, seu ex concessione S. C. eò quòd sint Patroni, seu Titulares, in eisdem Oppidis recitatur, & sic Præcepto de recitando Officio satisfacit. Ita declaravit S. R. C. die 14. Martii 1643. & datur in Appendice ad nostrum Indicem, Decretorum.

Debent Religiosi recitare sub ritu Duplici primæ Classis, & cum Octava de Dedicazione, & de Titulari propriæ Ecclesiæ, ubi morantur, & sub eodem ritu Duplici primæ Classis tenentur recitare de Patrono principali loci, & de Titulari Ecclesiæ Cathedralis tantum; ad Octavam autem non tenentur; ita S. R. C. 13. Junii 1682. & datur in nostro Indice sub n. 125.

Moniales Ordinariis locorum subjæctæ non tenentur recitare Officia particularia Diocesum, tenentur tamen recitare de Patrono principali loci, & de Titulari Ecclesiæ Cathedralis, necnon de ejusdem Ecclesiæ Dedicazione, non verò de eorundem Festorum Octavis, ita S. R. C. 20. Novembris 1683. & datur in nostro Indice sub num. 147.

Moniales Ordinariis subjæctæ non debent recitare Officium de Octava Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis, nec possunt ad libitum, & tantum tenentur prædictum Officium recitare sub Ritu Duplici secundæ Classis, ita S. R. C. 11. Febr. 1702. & in nostro Indice

sub n. 225. vide etiam nn. 81. 142. & 266. pro aliis Regularibus.

Ideò hoc loco exhibemus hoc Decretum, quamvis spectet ad Dedicacionem Ecclesiæ, de qua intrà, quia est connexum cum antecedente, & quia ex hoc deducitur, quòd neque de Titulari Cathedralis Ecclesiæ possunt Moniales, & Regulares ad libitum celebrare Octavam.

In Titularibus Ecclesiis sub Invocatione S. Mariæ Angelorum (apud Minores S. Francisci) non de Dedicacione, prout in Festo Portiunculæ, sed de B. Mariæ Ecclesiæ Titulari, prout in Festo S. M. ad Nives, faciendum est Officium, & Lectiones secundo Nocturni sumendæ sunt ex secundo Nocturno Nativitatis ejusdem, mutato verbo *Natali* in verbum *Festivitate*. S. R. C. 10. Junii 1690. & datur in nostro Indice sub n. 162. Attamen re maturius perpenfa, aliquid addidit in una *Parisen*, ad 2. *dub.*

Parochus duarum Ecclesiarum unitarum debet de ambarum Titulari recitare Officium juxta Rubricas, maximè si Ecclesiæ sint perzque unitæ. Ita S. R. C. 5. Julii 1698. & datur in nostro Indice sub n. 201.

V. Gavanti. pag. 142. col. 2. n. 2. -- *Dedicatio verò Ecclesiæ est ipsamet Consecratio &c.* A Festo Sancti Titularis Ecclesiæ progredimur nunc, insistendo Gavanti vestigiis, ad nonnulla discutienda circa Festum Dedicacionis Ecclesiæ. Titulus igitur, & Dedicatio Ecclesiæ in multis differunt, & in aliis conveniunt; nam Titulus Ecclesiæ est (ut supra diximus) illud mysterium, vel ille Sanctus, à quo Ecclesia denominatur. Dedicatio verò Ecclesiæ est ipsamet ejus Consecratio facta ab Episcopo; peracta siquidem novæ Ecclesiæ fabrica, cum primum fieri poterit, debet ab Episcopo sollempni Ritu, qui præscribitur in Pontificali Romano, dedicari, ac consecrari, cujus Dedicacionis Festum, quia quotannis anniversaria recolitur celebritate, *anniversarius* (scilicet dies) vel *anniversarium* (nem-

(nempe Festum) Dedicacionis nuncupatur; dies verò ipsa Dedicacionis appellatur *natalis Templi dedicati dies.*

De origine, Rituque dedicandi, & consecrandi Ecclesias, necnon de modo celebrandi tam ipsum Festum Dedicacionis, quam diem ejus anniversarium, eruditè disserunt Castaldus *lib. 2. sect. 13. cap. 4.* Gavantus *tom. 1. part. 4. tit. 16. à num. 9.* necnon hoc loco *num. 1. & 7.* Auctoresque ab eodem citati, præsertim Tobias Corona *part. 1. cap. 7.* necnon Guillelmus Durandus in *Rational. Divin. Offic. ac Johannes Stephanus Durandi de Ritibus Ecclesiæ.* Rursus super eadem re eruditiones varias afferunt Johannes Clericus in *Decisionibus de Missæ Sacrificio dec. 41.* & Billus v. *Dedicatio Ecclesiæ num. 51.* ubi ostendit, Festum Dedicacionis Ecclesiæ celebrandum esse, sumpto exemplo à Christo Domino, & ex auctoritate Apostolica; de qua re allegat etiam Canones Felicis IV. & Gregorii I. de Consecratione *dist. 1. cap. Sollemnitas.* Vide etiam Commentaria viri præstantissimi Josephi Catalani in Pontificale Romanum, & Martene *lib. 2. de antiq. Eccles. Ritib. cap. 13.*

De Ecclesiæ Dedicacione fit Officium, & oannino idem, ut diximus, tam in ipsa die, in qua consecratur, quam quotannis in die anniversaria Dedicacionis, in utroque casu primæ Classis cum Octava, ut constat ex Breviario; ita tamen, ut in ipso die Dedicacionis dicatur Oratio: *Deus, qui invisibiliter &c.* in Anniversario verò dicatur alia, videlicet: *Deus, qui nobis &c.*

Quando in Officio Dedicacionis alicujus Ecclesiæ habetur aliquid de proprio, illud retinendum, & cætera de Communi supplenda, putà pro Dedicacione Basilicæ SS. Salvatoris, & Basilicarum SS. Apostolorum Petri, & Pauli. Rursus aliquando contingit nihil esse sumendum de Communi Officii Dedicacionis, quando nempe pro Festo Dedicacionis fit Officium de Titulari, & casus datur in Dedicacione S. Mariæ ad Nives, & in De-

dicacione S. Michaëlis Archangeli, in quibus Festis nihil sumitur de Officio Dedicacionis, sed fit Officium de S. Maria, & de S. Michaële, ut in Breviario habetur, quod optimè adnotavit Guyetus *lib. 3. cap. 15. quest. 1.*

Huc spectat Decretum editum à S. R. C. die 18. Augusti 1629. & datum in nostro Indice sub *n. 69.* scilicet: Festum aliarum Ecclesiarum à Cathedrali celebrandum est tantum in ea Ecclesia, ubi Consecrationis dies peragitur. Declarat insuper S. R. C. non posse celebrari Festum Consecrationis illius Ecclesiæ, quam certum est non fuisse consecratam, vel dubium est. Si autem constet de Consecratione, quæ ex certis indicibus, nempe ex Crucibus in parietum superficie descriptis, Altarique fixo, & immobili, vel ex aliqua inscriptione authentica deduci potest, & ignoretur dies Consecrationis, declarat, inquam, S. C. posse tunc loci Ordinarium assignare diem pro Festi prædicti celebratione. Hæc pariter quoad ultimam partem fuit sententia Guyeti ab ipso tradita in *lib. 2. cap. 1. quest. 4.* eam deducens ex alio, non verò ex hoc Decreto à nobis dato; & Guyeti sententiæ consentit pariter Bislus *tom. 1. v. Dedicatio Ecclesiæ num. 51. §. 11.* qui ex eodem Guyeto *quest. 6.* notat, quòd si processu temporis innotescat dies vera anniversaria, quæ è memoria exciderat, tunc suo vero rescito diei debere restitui, dummodo ex hac mutatione nullum timeatur scandalum, quia cæterum de consensu Episcopi, vel Superiorum, ad quos spectat, poterit retineri eadem illa dies, in qua ex antiqua consuetudine solitum erat agere anniversarium Dedicacionis Festum.

Spectat etiam ad hunc locum Decretum editum die 13. Junii 1682. datum in nostro Indice sub *n. 125.* necnon mox supra allegatum, ubi egimus de Titulo Ecclesiæ; scilicet - Religiosi tenentur celebrare sub Ritu Duplici primæ Classis cum Octava Festum tam de Dedicacione, quam de Titulari illius Conventus, in quo morantur &c.--

Item Regulares tenentur pariter, ut videbimus infra, ad celebrandum Festum Dedicationis Ecclesie Cathedralis.

Denique congruum pariter est hoc loco mentionem facere Decreti editi die 20. Novembris 1662. & dati in nostro Indice sub n. 83. in quo habetur -- Anniversaria dies Dedicationis Ecclesie, dum Episcopus in Consecratione ejusdem non elegerit diem, sed consecravit Ecclesiam die &c. mensis &c. debet celebrari in futurum die, quo hactenus consueverunt celebrare.

VI. Gavant. pag. 143. col. 1. eod. n. 2. -- *Festum autem Dedicationis dignius est &c.*) Adstruit Gavantus Festum Dedicationis Ecclesie dignius esse Festo Sancti Patroni loci, seu Ecclesie Titularis, quam sententiam docuit etiam Sect. 3. cap. 8. num. 7. de qua re in nostris Observationibus ibidem sub num. 13. nonnulla nos quoque addidimus omnino videnda, ne eadem hoc loco repetamus, Ad hanc rem pertinet Decretum datum in nostro Indice sub num. 156.

VII. Gavant. pag. 143. col. 1. num. 3. -- *Conveniens in his &c.*) Diximus Titulum, & Dedicationem Ecclesie in pluribus convenire, praesertim vero in sequentibus: 1. tam Festum Dedicationis propriae Ecclesie, quam Titularis sunt primae Classis, 2. utraque habent Octavam, nisi occurrant intra Quadragesimam, aut tempus a Rubrica generali num. 1. in fine exceptum. Uno verbo, utraque habent privilegia Festorum primae Classis, ut notat etiam Gavantus hoc loco, alia ibi animadvertendo.

VIII. Gavant. pag. 143. col. 1. num. 4. -- *Si contingat dedicari Ecclesiam in aliquo Festo ex sollemnioribus &c.*) Docet hoc loco Gavantus inharendo Decretis S. C. quod si contingat dedicari Ecclesiam in aliquo Festo ex sollemnioribus, tunc ne quotannis occurrentia duo Festa se invicem impediunt, potest Consecrator decernere alium diem ad celebrandum anniversarium Festum Dedicationis ejusdem Ecclesie a se consecratae. De-

creta a Gavanto allegata exhibentur in nostro Indice sub num. 16. & 17. Nomine autem Festorum sollemniorum veniunt proinde hi dies, quibus interdicitur a Rubricis cujuscunque Festi celebratio, qui quidem dies, ut colligitur ex Rubrica de Translatione Festorum num. 1. sunt: Dominica 1. Adventus, Vigilia, & a fortiori dies ipsa Nativitatis Domini, Circumcisio, Epiphania, & dies ejus Octava, Feria IV. Cinerum, Dominica 1. Quadragesimae, Dominica Passionis, Dominica Palmarum, & deinceps usque ad Dominicam in Albis inclusivè, Ascensio Domini, Vigilia Pentecostes, & deinceps usque ad Dominicam Trinitatis inclusivè, Festum Corporis Christi, Assumptio B. M. & Festum omnium Sanctorum, quibus addit etiam Guyetus lib. 2. cap. 1. quest. 3. quodcunque aliud Festum primae Classis, nimirum Festa Nativitatis S. Johannis Baptista, & SS. Apostolorum Petri, & Pauli; quinimodò, si lubet, ait ipse, inter Festa secundae Classis praeter Circumcisionem Domini, & Festum SS. Trinitatis supra memorata, addi possunt tria quoque Festa B. V. Purificatio, Annunciatio, & Nativitas, quod ea sollemniori apparatu ubique consueverint celebrari; item dies 2. Novembris, forte etiam 3. ob Commemorationem Defunctorum in alterutro illorum fieri solitam, Praedictis Festis B. V. nunc addendum esset ob eandem rationem a Guyeto allatam etiam Festum Conceptionis ejusdem Immaculae Virginis. Reliqua vero omnia etiam Duplicitate secundae Classis, qualia sunt Natalitia Apostolorum, idem Guyetus censet non obligare Consecratorem ad mutandum diem Dedicationis, si forte hanc in iis fieri contingat, cum ipsa, utpote minoris sollemnitatis, Dedicationi facile cedant, adeoque transferri magis deceat, quam ipsam Dedicationem. Si quibus tamen contrarium commodius videatur, haud repugnat idem Guyetus, motus exemplo Ecclesie Bituricensis, quae anniversarium Dedicationis suae Festum non

non die 6. Maji, quo facta est à Guillelmo de Broca 77. Archiepiscopo anno 1324. sed præcedenti, nimirum die 5. celebrat per anticipationem, ne moveat à loco suo Festum S. Johannis ante Portam Latinam.

Censet idem Auctor posse mutari à Consecratore præfatum diem Dedicacionis etiam ob concursum temporum Adventus, & Quadragesimæ; ac consequentium Festorum Natalis Domini, & Paschæ, videlicet à die 10. vel 11. mensis Decembris usque ad Octavam Epiphaniæ inclusivè; & à medio circiter Februario usque ad finem Aprilis; quia ex dicto concursu Dedicacionis Octava grave dispendium pati posset, quia aliquando non posset ullo modo celebrari, & aliquando saltem abrumpi.

Denique justa causa mutandi Dedicacionis diem esse potest, si Ecclesiæ Dedicatio fiat eodem die, qui Patrono, seu Titulari Ecclesiæ est dicatus; sed melius est cavere, ne quid simile occurrat jam inde ab ipsamet Ecclesiæ Dedicacione, quam utique fieri convenit alio die ab eo, quo fit Festum Patroni, seu Titularis.

Procedit Gavantus hoc n. 4. ad declarandum diem illum, quem Consecrator decernere potest ad celebrandam anniversariam Dedicacionem Ecclesiæ, & ad alleganda Decreta S. C. quæ concedunt Episcopo Consecratori in actu Consecrationis facultatem mutandi diem anniversarium Dedicacionis Ecclesiæ.

IX. Gavant. pag. 143. col. 1. eod. n. 4. -- *Extra actum verò Consecrationis non potest amplius mutari Festum &c.* Episcopum Ecclesiæ Consecratorem transacto Consecrationis actu non posse Dedicacionis Festum amplius mutare, & in aliam diem transferre, inconsulta Sede Apostolica; liquet ex Decretis à Gavanto allegatis, & datis in nostro Indice sub *nn.* 16. & 17. Et quamvis die 27. Novembris anno 1706. emanaverit à S. R. C. Decretum sequens, nimirum. -- Cùm Ecclesia Cathedralis Ferentina fuisset pluribus

in locis restaurata, & magna in parte renovata, & de illius Consecratione signa nullibi apparerent, neque alia probationes existerent, adhuc quia in præteritum Festum Dedicacionis fuerat celebratum. S. R. C. declaravit: non indigere nova Consecratione, & Dedicacionis Festum posse transferri ab Episcopo ad aliam diem fixam amplius non immutandam. -- Quamvis, inquam, hoc emanaverit Decretum, datum in nostro Indice sub *num.* 243. nihilominus non censetur in hoc Decreto, & in aliis similibus concessum arbitrium omnibus Episcopis in ejusmodi casibus transferendi Dedicacionis Festum ad aliam diem extra actum Consecrationis, sed illis tantum, quibus petentibus benignè indulget eadem S. C. talem facultatem. Ita pariter Lantusa in Theatro Regularium verbo *Consecratio Ecclesiæ* refert Decretum editum die 7. Augusti 1655. in quo hæc habentur. -- Quia quandoque non potest celebrari Festum Consecrationis alicujus Ecclesiæ cum Octava, ob impedimentum alterius Officii, sicut evenit in Consecratione S. Mariæ de Puteo Fratrum Minorum Strictioris Observant. de Summa Nolanæ Diocesis, quæ fuit consecrata in die Annunciationis B. M. V. ideò instantibus prædictis Fratribus S. R. C. Ordinarii arbitrio remisit, posse transferre Festum præfate Consecrationis ad mensem Septembris. -- Ex quo pariter Decreto colligitur, quòd occurrente simili impedimento non est in Episcopi arbitrio, transferre anniversariam Consecrationis diem, sed debet semper fieri recursus ad dictam S. R. C. pro gratiæ consecutione, quæ justa interveniente causa indulget locorum Ordinariis prædictam facultatem etiam extra actum Consecrationis.

Vide etiam Decreta mox supra allegata spectantia ad Titularem Ecclesiæ, quorum aliqua pertinent ad Festum Dedicacionis. Vide pariter Decretum editum die 18. Augusti 1629. & datum in nostro Indice sub *num.* 69.

X. Gavant. pag. 143. col. 1. eod. n. 4. -- *Servata in reliquis Rubrica de Concurrentia Octavarum, &c.*) Gavantus Sect. 3. cap. 8. num. 7. præfert Octavam Dedicationis Ecclesie Octavæ cujuscunque Sancti, vel Patroni loci, vel Ecclesie Titularis; digniorem verò censet Octavam Assumptionis B. M. V. Octava Dedicationis Ecclesie, ob rationem ibi allatam; non solum tamen prædicta Assumptionis Octava, sed etiam Sanctorum omnium dignior certissimè censeri debet, quàm Octava Dedicationis Ecclesie; nam extat Decretum S. R. C. editum die 2. Martii 1695. datum in nostro Indice sub num. 187. rem hanc apertè declarans. Sententiam istam ante præfati Decreti emanationem tenuit etiam Guyetus *lb 4. cap. 6. quest. 5.* hac ratione motus, quia illius Festi Octava cuicunque alteri præferri debet, cujus Festum alteri cuicunque Festo præfertur; sed Festum omnium Sanctorum præfertur Festo cujuscunque Patroni, & Dedicationis Ecclesie, ut liquet ex Rubrica X. *de Translatione Festorum*, ubi inter dies, quibus cedunt quæcunque alia Festa, numerantur ex additione Urbani VIII. Festa Assumptionis B. M. & omnium Sanctorum; ergo, ut optimè infert idem Guyetus, Octava omnium Sanctorum pariter præferri debet Octavæ Dedicationis Ecclesie, accessorium siquidem sequi debet naturam Principalis.

XI. Gavant. pag. 143. col. 1. num. 5. -- *Celebrari quoque debet anniversaria Dedicatio Ecclesie Cathedralis, &c.*) Explicat hoc loco Gavantus, quo ritu anniversaria Dedicatio Ecclesie Cathedralis celebrari debeat in Civitate, necnon in Diocesi juxta Decretum S. C. editum die 2. Maji 1619 datum in nostro Indice sub num. 42. Vide etiam Decretum spectans ad eundem Ritum editum 19. Junii 1700. & datum in nostro Indice sub num. 214.

XII. Gavant. eod. n. 5. -- *Quod celebrari debet à Regularibus, &c.*) Eadem anniversaria Dedicatio Ecclesie Cathedralis celebra-

ri debet etiam à Regularibus, sed sub ritu Duplici secundæ Classis, & sine Octava, ut declaratur in Decreto edito die 1. Aprilis 1662. & dato in nostro Indice sub num. 81. Hoc idem colligitur ex alio Decreto edito die 11. Febr. 1702. & dato in nostro Indice sub num. 225. Vide etiam Decreta data in nostro Indice sub nn. 147. & 176.

XIII. Gavant. eod. n. 5. -- *Neque tenentur iidem ad hoc Festum Dedicationis Ecclesie Cathedralis, nisi ex quadam congruentia, &c.*) Postquam declaravit Gavantus Regulares debere celebrare Festum, & Officium Dedicationis Ecclesie Cathedralis sub ritu Duplici, sed sine Octava; nunc procedit ad asserendum, eosdem Regulares non solum non teneri ad Octavam; sed ne quidem ad dictum Festum Dedicationis Cathedralis Ecclesie, nisi ex quadam congruentia, ut Ecclesie matri se conforment. Huic Gavanti sententiæ consentit etiam Bissius *loco supracit. § 6.* Verùm ex Decretis S. R. C. mox allegatis apertè liquet, Regulares non solum ex congruentia, sed ex præcepto verè teneri ad celebrandum dictum Officium Anniversariæ Dedicationis Cathedralis Ecclesie illius Civitatis, in qua morantur, sed ritu Duplici secundæ Classis, & sine Octava.

XIV. Gavant. eod. n. 5. -- *Pro varietate Oratorum sumi ea poterit, qua assignata est, &c.*) Juxta Rubricam, quæ habetur in postrema Breviarii recognitione, docet noster Auctor, quòd si concurrant, seu occurrant Dedicationum Festa, vel Octavæ, pro varietate Oratorum sumi ea poterit, quæ assignata est ipsi diei Dedicationis. Huic Rubricarum dispositioni consonat Decretum editum die 27. Septembris & datum in nostro Indice sub num. 242.

XV. Gavant. pag. 143. col. 2. num. 6. -- *Definit præferendum esse Dedicacionem propria Ecclesie, &c.*) Cùm de jure quælibet Ecclesia possit, & debeat celebrare Festum suæ Anniversariæ Dedicationis, juxta ea, quæ habentur in *Cap. Sollemnitates 1. & 2. de*

Con-

Consecratione d. st. 1. & cap. 1. dist. 4. eodem Tit. contingere potest, quòd eadem die occurrat Festum Dedicacionis Cathedralis celebrandum, ut diximus, à tota Civitate, & Diœcesi, & Festum Dedicacionis alicujus particularis Ecclesie ejusdem Civitatis, in quo casu, juxta Romanæ Rotæ decisionem, tenet Gavantus præferendam esse Dedicacionem propriæ Ecclesie Dedicacioni Ecclesie Cathedralis; & sicut præferenda est in propria die, sic etiam erit agendum principaliter infra ejus Octavam cum Commemoratione de Dedicacione Cathedralis per Orationem assignatam ipsi diei Dedicacionis, scilicet: *Deus, qui invisibiliter omnia continet &c.* ut disponitur in Rubricis, & ut mox adnotavimus.

Ex prædicta decisione Sacræ Rotæ, & Gavanti sententia sequitur, ut alibi diximus, quòd si eodem die occurrant duo Patroni, quorum unus sit universalis totius Regni, vel Provinciæ, alter verò particularis, alicujus Civitatis existentis intra fines ejusdem Regni, vel Provinciæ, idem pari ratione agendum est, præsertim si sint ejusdem dignitatis, & Hierarchiæ; nam concurrente in aliquo illorum majori dignitate, is præferendus esse videtur; sed ante decisionem questionum particularium, quæ suboriri possunt in variis casibus, evolvendum est Decretum editum die 20. Julii anni 1686. & datum in nostro Indice sub n. 157.

Sequitur etiam ex dictis, quòd Festum Dedicacionis Ecclesie particularis in Diœcesi, & extra Civitatem, à fortiori præferendum sit Festo Dedicacionis Ecclesie Cathedralis, quia prædictum Festum Dedicacionis Cathedralis in reliqua Diœcesi extra Urbem non celebratur cum Octava, adeoque non cum tanta sollempnitate, cum quanta idem Festum celebratur in Urbe, in qua Ecclesia Cathedralis sita est, ibi enim, ut diximus, celebratur non solum sub ritu Duplici primæ Classis, sed etiam cum Octava. Ob hanc rationem licet animadvertat P. Halden part.

3. Tit. 4. §. *queritur primò*, quòd cum Gavantus Sect. 3. cap. 8. num. 7. & alii ibi citati docuerint, quòd occurrente Festo Dedicacionis Ecclesie Cathedralis in Festo Nativitatis S. Johannis Baptistæ, aut SS. Apostolorum Petri, & Pauli, debeat Officium celebrari de dicta Dedicacione, translato Festo S. Johannis Baptistæ, aut Sanctorum Petri, & Pauli in diem primam non impeditam; animadvertat, inquam, Halden, hanc Gavanti doctrinam intelligendam duntaxat esse, ubi Festum Dedicacionis ejusmodi Ecclesie celebratur sub ritu Duplici primæ Classis cum Octava, non autem, ubi celebratur sine Octava, nempe in Diœcesi extra Urbem, ob rationem supra adductam, quia nimirum in reliqua Diœcesi Festum Nativitatis S. Johannis Baptistæ, aut SS. Petri, & Pauli sollempniori ritu celebratur, scilicet cum Octava, & idcirco ibi translato Festo Dedicacionis Ecclesie Cathedralis in diem proximam Festo IX. Lctionum non impeditam, ipsum Festum S. Johannis Baptistæ, aut SS. Petri, & Pauli proprio suo die est celebrandum. Attamen inhærendo S. R. C. Decreto sub die 6. Septembris 1727. in una Fulden. ad 3. in similibus casibus debet assignari in perpetuum alia dies pro Dedicacione, quod etiam debet fieri pro Patrono seu Titulari, & quocumque alio Duplici primæ Classis particulari, ut apparet ex dicto & aliis Decretis.

XVI. Gavant. pag. 143. col. 2. num. 7. -- *Officium Dedicacionis est Duplex majus, &c.*) Festum tum actualis, tum anniversaria Dedicacionis propriæ Ecclesie esse majus, nempe primæ Classis cum Octava, certissimum est apud omnes, cum id pateat ex Rubricis tum Missalis, tum Breviarii Romani, unde tali Festo, & tali Octava conveniunt omnia ea, quæ diximus de Festis, & Octavis primæ Classis.

XVII. Queritur à nonnullis, an, quando jus Parochiale veteris, sed adhuc stantis Ecclesie, translatum est ad aliam Ecclesiam de novo,

novo, ac loco commodiore adificatam, Dedicatio veteris Ecclesie etiam nunc, ut diximus, stantis, adhuc debeat quotannis celebrari à dicto Parochio, & suo Clero, ritu Duplici primæ Classis, & cum Octava?

Proponit, & resolvit hanc questionem Gobat *tract. 3. num. 696. appendice 3. decisione affirmativa*, quam comprobatur argumentis ibidem allatis à *litera b. 3. usque ad lit. f. 3.* Idem Auctor eodem *tract. 3. num. 679. & num. 696. appendice 3. lit. o.* refert opinionem, quam tradiderunt P. Quintanaduenas, & Bruno Neusser, nimirum, Dedicacionem annuæ cujuslibet Ecclesie, etiam solummodo benedictæ, & adhuc non consecratæ, quotannis celebrari posse, ac debere cum Officio, & Missa; sed idem Gobat citans Guyetum *lib. 1. cap. 1. quest. 4.* non modo obligationem, sed etiam licentiam celebrandi Officium, & Missam in prædicto casu, optimè negat, & reverà attentis Rubricis, & Decretis S. R. C. non potest celebrari Missa, & Officium anniversariæ Dedicacionis, nisi Ecclesie verè ab Episcopo consecratæ.

XVIII. Aliam singularem questionem proponit Halden *part. 3. tit. 3. §. queritur 7.* nimirum quodnam Officium recitare debeat Clerus, seu Religiosi illius Ecclesie, quæ dedicatur in ipsa die Consecrationis; an pridie Consecrationis possint primas Vesperas, & postridie Matutinum, ac Laudes cum reliquis Horis dicere de die Dedicacionis? Dubium hoc oritur, quia Ecclesia non remanet consecrata regulariter loquendo, nisi manè paulò ante meridiem, & antequàm celebretur Missa in tali Ecclesia ab Episcopo Consecratore; cum igitur adhuc non sit consecrata, videtur pridie Consecrationis non posse recitari primas Vesperas de Dedicacione, & postridie pariter non posse dici Matutinum, ac Laudes cum reliquis Horis de Festo Dedicacionis, & Consecrationis; & equidem in Breviario proprio Ordinis Prædicatorum legitur Rubrica hæc ad rem præsentem valdè

notabilis, in Festo Dedicacionis Ecclesie: *In primo Anno Dedicacionis Ecclesia Officium incipitur in Missa; in Hora verò, quæ sequitur Missam, & dinceps in omnibus Horis usque ad Completorium sequentis diei excusetur, fiat Officium totum Duplex, & die sequenti in Matutino fiant novem Lektionen &c.* Ex quo argui potest ipsam sequentem diem esse proprium diem Dedicacionis: verùm quia statim subditur hæc Clausula, *Octava verò celebrabitur revoluta hebdomada eo die, quo Dedicatio facta fuerit*; hinc infert Guyetus *lib. 2. cap. 1. quest. 1.* ex eadem prædicti Breviarii Rubrica, diem Dedicacionis non esse ipsum sequentem diem festivum Dedicacionis, sed illum in quo reverà fit Dedicatio; unde laudatus Auctor asserit, & tenet, quòd licet Officium Dedicacionis in ipsa Ecclesia dedicata incipiat tantùm in Missa, post completam videlicet Dedicacionis actionem; debuerunt tamen primæ Vesperæ, ac Matutinum cum Laudibus, necnon Prima, ac Tertia à Clero de ipsa Dedicacione antè cantari. Eandem sententiam amplexus est etiam allegatus Halden, nulla tamen Guyeti mentione facta, cujus opinionem fortè non legit. Docet igitur Halden, in Festo Dedicacionis posse Officium à Clero Ecclesie dedicate recitari de Dedicacione à primis Vesperis usque ad Completorium sequentis diei inclusive, & id colligit ex Rubrica, quæ extat in Breviario Romano in *Communi Dedicacionis Ecclesie*, in qua cum tam in primis Vesperis, quàm in Laudibus *pro ipso die Dedicacionis Ecclesie, & per ejus Octavam*, expressè præscribatur Oratio in Officio recitanda, diversa ab ea, quæ in Officio dicenda est, in die *Anniversario Dedicacionis, ac per istius Octavam*, manifestè supponitur ab Auctore Rubricarum, dari casum, in quo Officium dicendum sit ad primas Vesperas, ad Matutinum, & Laudes *de ipso die Dedicacionis*, & hujus Octava; quimodò supponit idem Rubricarum Auctor, etiam primas Vesperas in ejusmodi casu dicendas esse, non post factam

Con-

Consecrationem, sed pridie Consecrationis de die subsequente Dedicacionis, seu Consecrationis; ut quid enim aliam Breviarium præscriberet etiam in 1. Vesperis Orationem dicendam *pro ipso die*; ut ibi loquitur, *Dedicacionis?*

Neque obest, quod pridie, & mane subsequenti ante absolutam Consecrationem nondum sit consecrata Ecclesia; sicut enim, ait Halden, pridie diei Festi, quo aliquis Sanctus Confessor obiit, uti per subsequentem Octavam citra inconuenientiam, ac falsitatem dicitur: *Hac die latu. meruit beas scandere soles*, (quia nimirum hæc verba dicuntur relatè ad tempus, quo re ipsa verificantur, & fictione juris Ecclesiastici, tam Vesper præcedens, quam Octava subsequens habentur pro uno, eodemque moraliter tempore, siue die, licet non pro singulis ejus partibus æqualiter verificentur) ita & hic suo modo contingit.

Praterèa pro majori comprobatione hujus sententiæ considerandum occurrit, quod pridie Consecrationis alicujus Ecclesie ad Vesperas incipit aliquo modo ejusdem Ecclesie Dedicatio per Ceremonias prævias, & ritus, qui tunc exercentur. Deferuntur etenim tunc sollempniter Sanctorum Martyrum Reliquiæ ad Ecclesiam sequenti die consecrandam, & intereà collocantur in aliquo Sacello, seu Altari prope illam existente, pulsantur sollempniter Campanæ more festivo, ita, ut Ecclesie Dedicatio sit tunc, ut ita dicam, in fieri, & in via, licet adhuc non sit in facto esse; quapropter cum incipiat ex illa hora Dedicacionis actualis sollempnitas, & Festum, potest etiam ejusdem Festi Officium incipi, & recitari, præsertim cum in Oratione dicenda pro ipso die Dedicacionis nullum contineatur verbum, quod supponat, & asserat, Ecclesiam antecedenter jam consecratam. Denique cum Missa sollempniter celebranda debeat correspondere Officio, si Missa dicenda à Consecratore est de ejusdem Ecclesie actuali Consecratione, ut patet ex

*Gavant. Rubr. Brev.*

Orationibus, quæ habentur in Missali, Officium pariter dicendum illa die à Clero eidem Ecclesie addicto, debet profectò esse de Dedicacione. Ex his igitur omnibus omnino suadeor admittendam esse sententiam, quam in hac re docuerunt Guyetus, & Halden supra allegati.

Limitanda tamen est hæc sententia, & excipi debent dies illi, in quibus non potest recitari quodecunque Officium etiam primæ Classis, seu Dedicacionis, seu Patroni, & Tituli Ecclesie; unde, si Consecratio fieret in diebus privilegiatis, quales sunt Festum Paschæ, Pentecostes, Dominica prima Adventus &c. & aliis hujusmodi, de quibus sermo habetur in Rubricis tum Missalis, tum Breviarii, & de quibus supra nos quoque mentionem fecimus, tunc profectò Officium, & Missa deberet dici diei currentis, & à solo Consecratore post Orationem diei posset addi Oratio de Dedicacione sub unica conclusione. Et idem Episcopus Consecrator rogari deberet, ut ad celebrandam anniversariam Dedicacionem Ecclesie decerneret aliquam diem adèò commodam, ut in tale Festum, aut Dominicam privilegiatam &c. non incidat.

Quamvis laudati Halden sententiæ quoad prædictum Officium adharendum esse censeam, eidem tamen Auctori non accedo quoad alteram partem, quam ibidem docet de Missa privata dicenda antequàm consummata fuerit Consecratio; sustinet enim, quod Sacerdotes, siue Seculares, siue Regulares Ecclesie, quæ consecratur, possint etiam Missam privatam de die Dedicacionis celebrare, in loco idoneo, horis, & tempore præcedentibus ejusdem Ecclesie completam Consecrationem. Hanc, inquam, opinionem admittere non ausim, quia in Postcommunione Missæ, ipsa die Dedicacionis, dicenda, habentur hæc verba: *ut in hoc loco, quem nomini suo indignè dedicavimus*; quæ verba convenire profectò non possunt, nisi Episcopo Consecratori celebranti post per-

Y y

actam,

actam, & completam templi Consecrationem. Et quamvis ultro admittamus prædicta verba non solum congruere posse ipsi Episcopo Consecratori, sed etiam aliis Sacerdotibus, qui ad templi Dedicacionem aliquo modo cooperati sunt, vel sua opera, vel intentione, aut votis, quibus templum illud divino cultui destinaverunt, ac dedicaverunt, si non explicitè, saltem implicitè; nihilominus quoad temporis circumstantias iisdem Sacerdotibus accommodari profectò non possunt illa verba: *quem nomini tuo dedicavimus*, quia nondum completa censetur Dedicatio; soli igitur Sacerdoti Celebranti post Ecclesiæ Consecrationem potest convenire tò *dedicavimus*. Deinde considero, quòd Ecclesia consecranda, ante Consecrationem est omni suppellectili denudata, nullum habet Altare preparatum, & si aliquod haberet consecratum, esset omnino expoliatum, & denudatum; quapropter certissimum omnino est, quòd in præfata Ecclesia permitti nullo mo-

do potest Sacrificii celebratio, antequàm compleatur Consecratio ejusdem Ecclesiæ. Itaque si Sacerdotes eidem Ecclesiæ additi celebrarent in aliena Ecclesia illo die Consecrationis, se accommodare deberent ejusdem Ecclesiæ alienæ Ritibus, in qua Sacrificium peragunt. Si autem adesset aliquod Sacellum eidem Ecclesiæ aliquo modo adnexum, & idoneum ad celebrandum, ab eadem tamen Ecclesia separatum, præfati Sacerdotes adhuc non possent celebrare Missam de die Dedicacionis, nisi post peractam Consecrationem, ob rationem supradictam, & in tali Sacello deberent celebrare Missam correspondentem diei currenti in Calendario, vel ad summum posset forsan permitti celebratio etiam Missæ de die Dedicacionis, dicendo tamen illam Orationem post Communionem, quæ dicitur in anniversaria die Dedicacionis, quia omnia illius verba proferri possunt sine ullo mendacio, & optimè etiam illi diei, & horæ congruere.

### De Officio S. Mariæ in Sabbato. VIII.

#### RUBRICA.

- 1 **I**N omnibus Sabbatis per annum extra Adventum, Quadragesimam, ac nisi Quatuor Tempora, aut Vigilia occurrant, vel nisi fieri debeat de Feria propter Officium alicujus Dominica aliquando infra Hebdomadam ponendum, ut in Rubrica de Dominicis dictum est; & nisi fiat Officium novem Lectionum, vel de Octava Pasche, & Pentecostes; semper fit Officium de S. Maria, eo modo quo fit de Festo Simplici, quemadmodum circa finem Breviarii disponitur. De Festo autem Simplici in Sabbato occurrente fit tantum commemoratio.
- 2 Cùm verò supradictis diebus fieri non potest Officium de S. Maria, nulla etiam fit commemoratio de ea propter Sabbatum; sed tantum in Semiduplicibus (quando ejus Officium parvum non dicitur) fit consueta ejus commemor. per annum cum aliis suffragiis positis in Psalterio post Vesperas Sabbati.
- 3 Ejus Officium in Sabbato incipit Feria vj. ad modum Festi Simplicis, à Capitulo, & terminatur ad Nonam Sabbati. Si autem Feria vj. occurrat Officium ix. Lectionum, in Vesperis fit tantum commemor. de S. Maria, cum Antiphona, Versu, & Oratione, quæ habentur in Officio ejus in Sabbato, nisi illud Officium novem Lectionum sit de eadem B. Maria, quia tunc nulla alia commemoratio de ea facienda est.

- 4 Ad Matutinum post Invitatorium, & Hymnum de S. Maria, dicitur unum Nocturnum cum duodecim Psalmis serialibus, ut in Psalterio. Versus de S. Maria, prima, & secunda Lectio ex Scriptura de tempore occurrenti; tertia Lectio, & alia omnia tam in Matutino, quam in Laudibus, & Horis, ut in Officio S. Mariæ in Sabbato assignantur.
- 5 Dicuntur Preces Dominicales ad Primam, & Completorium; & sunt suffragia consueta de Apostolis, & Pace, & tempore Paschali sola commemor. de Cruce, ut in secunda Feria post Oct. Paschæ. Post Nonam nihil fit de ea, nisi consueta ejus commemor. cum aliis suffragiis, quando dicenda sunt in Officio de Dominica.

## Novæ Observationes, &amp; Additiones ad Gavanti

## Cap. VI. De Officio B. Mariæ in Sabbato.

I. Rubr. præced. n. 1. *Et nisi fiat Officium novem Lectionum, &c.* Disponit Rubrica, & declarat, à quibusnam Festis, seu Officiis impediatur Officium Simplex B. M. in Sabbato; declarat igitur hoc Officium impediri ab omnibus Officiis ix. Lectionum, nempe ab omnibus Duplicibus, & Semiduplicibus, à diebus infra Octavas, & Pentecostes, quamvis in his habeatur Officium tantum trium Lectionum. Rursus impeditur hoc Officium etiam à Feriis Adventus, & Quadragesimæ, & ab omnibus Vigiliis &c. prout citata Rubrica num. 1. Denique inhærendo Decretis editis die 27. Aprilis 1697. & die 7. Februarii 1699. datis in nostro Indice sub numeris 192. & 213. impeditur etiam hoc Officium S. M. in Sabbato ab Officio ix. Lectionum concessio aliquibus Regularibus, vel alicui Diocesi semel in Hebdomada recitando, præsertim si tota Hebdomada tale Officium non potuerit recitari.

II. Gavant. pag. 144. col. 2. n. 5. - - *In Completorio Feriæ VI. quamvis sit de Festo IX. Lectionum, &c.* Concedit Gavantus hoc loco, quod si in Feria VI. habeatur Offi-

cium ix. Lectionum, & sequenti Sabbato debeat recitari hoc Officium B. M. tunc in Completorio Feriæ VI. in fine Hymni debeat dici: *Jesu tibi sit gloria, qui natus es de Virgine &c.* Asseritque illud jus habere B. M. quia supponit Gavantus in tali Festo ix. Lectionum factam esse Commemorationem ejusdem Officii B. V. An verò eadem Hymni conclusio in Completorio dici quoque debeat, si omittatur dicta Commemoratio ob Officium altioris ritus, quod occurrere potest in Feria VI. negat idem Gavantus *Secl. 5. cap. 6. n. 15.* Guyetus tamen *lib. 4. cap. 19. quest. 3.* adstruit, quod haud multum resisteret asserenti contrariam opinionem, hac ratione permotus, quia quamvis omilla Commemoratione B. V. nondum inchoatum fuerit Officium diei sequentis de B. V. formaliter, & expressè, nihilominus cum de eadem postridiè futurum sit Officium, virtute saltem censeri debet inchoatum; adeoque jam inde assumenda quæ ejus sunt, perinde atque retinentur in Festo aliquo primæ Classis occurrente infra Octavas, quæ ad Octavam pertinent, licet de eo nulla facta sit Commemoratio.

☞) † (☞

Y y 2

SECTIO

S E C T I O   N O N A.  
DE APPENDICIBUS BREVIARII.

De Officio parvo Beatæ Mariæ, & aliis. XXXVII.

R U B R I C A.

- 1 **D**E Officio parvo Beatae Mariæ, de Officio Defunctorum, de Septem Psalmis Penitentialibus, & Litanis, & de Psalmis Gradualibus, quando & quomodo, tam in Choro quàm extra Chorum, dicenda sint, habentur suis locis propria Rubrica circa finem Breviarii.
- 2 Tempore Paschali in Officio parvo Beatae Mariæ, quod dicitur in Choro, non additur Alleluja, Antiphonis, neque Versibus, neque Responsoriiis.

Novæ Observaciones, & Additiones ad Gavanti

Cap. I. De Officio parvo B. Virginis Mariæ.

I. Gavanti. pag. 145. col. f. num. 1. -- *Vel restitutum, ut scribunt in vita ejusdem Petri, Flaminii, & Fortunatus, &c.* S. Petrus Damiani, Monasticorum Rituum propugnator acerrimus, primus est, qui in Annalibus Ecclesiasticis Offic. parvum B. V. instituisse narratur; verum, ut optimè advertit Gavanti, laudatus clarissimus vir ejusdem Officii fuit potius restaurator, quàm institutor; quam quidem veritatem testantur etiam Scriptores vitæ ejus fide dignissimi, nimirum Johannes Monachus ejusdem S. Petri Damiani discipulus cap. 15. Johannes Antonius Flaminii Forocorneliensis *post medium, Augustinus Fortunatus Camaldulensis lib. 5. Histor. Camaldulensium, & Hieronymus Rubens lib. 5. Histor. Ravernat.* Hi omnes uniformiter asserunt, Officiam parvum B. V. à B. Petro non institutum, sed restitutum fuisse, ut, cujus desuetudo paulatim in suis Monasteriis irrepsit, ipso urgente, & procurante, ad pristinam observantiam revoca-

retur. Aliùs à Petro Damiani prædicant institutionem repetendam esse, ostendit etiam Cardinalis Bona cap. 12. de *Divin. Psalm. mod.* in utraque enim Ecclesia, Græca, & Latina, vir eruditissimus horas B. M. institutas invenit trecentis, & ampliùs annis ante Damianum. Et è Græca quidem Vincentius Belluacensis in *Spec. Hist. lib. 17. cap. 103.* testem profert Johannem Presbyterum Damascenum, de quo Vincentius sic scribit: Johannes Damascenus in amore Dei, ac gloriosæ Matris ejus se exercens, monachalem habitum assumpsit, Virgoque permanens, Reginae Virginum horas quotidie studiosissimè decantabat &c. -- vivebat autem Damascenus ann. Domini 728. E Latio verò clarissimum exhibet testem præfata veritatis idem Cardinalis Bona Petrum Diaconum Casinensem (non Paulum, ut supponit Gavanti) qui in Regulam S. Benedicti insigne Commentarium composuit, quod hic Romæ MS. asservabatur apud D. Constantinum Ca-

jeta-

jetanum: in hoc igitur libro verba faciens Petrus de Abbatibus Cassinen. Congregationis, ait: Eo die Abbas nihil aliud, nisi panem, & aquam comedat, & Canonica septem horarum Officia in commemoratione B. P. Benedicti nunquam dimittat, salvo scilicet eo, quod in honorem Sanctæ Dei Genitricis persolvi consuetudo est, quod etiam generaliter sub districto præcepto Cassinensi Congregationi Zacharias Papa observari præcepit, constituens; ut totius anni tempore, tam æstatis, quam hyemis, ante nocturnale, vel diurnale Officium, mox ut Fratres in Choro convenerint, incipiant Officium de S. Benedicto: & eo expleto, inchoent Officium, quod Regula præcipit, adjuncto etiam S. Dei Genitricis, & Virginis Mariæ Offic. -- Hæc Petrus Diaconus, qui & alibi eandem institutionem ad Gregorium II. refert. Hic autem, teste Baronio, Pontificatum inivit anno salutis 715. cui post Gregorium III. successit Zacharias. Ex quibus omnibus liquet prædicti Officii usum, & institutionem antiquiorem esse, quam vulgus hominum putet.

II. Gavant. eod. n. 1. -- *Decreto deinde Urbani II. &c.*) Urbanus II. Romanus Pontifex utique in Concilio apud Clarummontem in Galliis celebrato an. 1095. sancivit, ut Sanctissimæ Virginis Officium jam à quibusdam Monachis frequentatum, etiam à Clericis recitaretur; quod quidem Officium in præfata Synodo Clericis omnibus præscriptum, deinceps tanto studio propagatum fuit, ut ipsi etiam Laici illud soleant frequentare.

III. Gavant. pag. 146. col. 2. num. 11. -- *Et quia Rubrica hæc de re in loco proprio Breviarii non habetur, &c.*) Non solum ex De-

creto edito die 28. Martii 1626. & dato in nostro Indice sub num. 52. sed etiam ex superiori recenti Breviarii Rubrica habetur, quod in Invitorio, Antiphonis, & Responsoriis hujus parvi Officii B. V. tempore Paschali non sit addendum *Alleluja*.

IV. Gavant. pag. 147. col. 1. n. 12. -- *Eo casu transfertur etiam mutatio Officii, &c.*) Docet hic Gavantus, quod si contingat transferri Festum Purificationis ob Dominicam privilegiatam, seu aliam ob causam, eo casu transferatur etiam Officium parvum B. V. quod præscribitur recitandum à primis Vesperis Nativitatis Domini usque ad diem Purificationis; verum attento Decreto edito die 11. Januarii 1681. & dato in nostro Indice sub num. 114. in quo sancitum fuit, quod translato Festo Purificationis, non sit protrahenda etiam recitatio Antiphonæ *Alma Redemptoris &c.* sed die 2. Februarii post Completorium, illa dimissa, sumi debeat Antiphona: *Ave Regina Cælorum &c.* & attentis etiam aliis Decretis datis in nostro Indice sub numeris 179. & 232. hoc idem confirmantibus, censeo in prædicto casu translationis Festi Purificationis, non esse transferendam mutationem Officii parvi B. V. quia in Laudibus ejusdem Officii, quod recitatur à Nativitate Domini usque ad Festum Purificationis B. M. habentur Antiphonæ, quæ spectant ad ejusdem Puerperium, quæ terminare debent die 2. Februarii, & idcirco translato Festo Purificationis, illi, qui recitant Officium parvum B. M. V. statim post diem 2. Februarii, debent recitare illud, quod præscribitur dicendum à die post Festum Purificationis usque ad Vesperas Sabbati ante primam Dominicam Adventus.

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Cap. II. De Offic. Defunctorum.

I. Gavant. pag. 147. col. 2. n. 2. -- *Ab Apostolis or. um habet &c.*) Christianorum viventium preces suffragari posse, & prodesse Fidelium Defunctorum Animabus in Purgatorio

torii carcere detentis, est certissimum Fidei dogma, & idcirco Sancta Mater Ecclesia salubri consilio decrevit, quod Sacerdotes in suis Sacrificiis recolant semper eorundem Defunctorum memoriam, quod olim fieri solebat recitatis ex sacris Diptychis mortuorum nominibus, ut ex Sacris Canonibus constat, præsertim verò ex epistola Johannis Constantinopolitani ad Hormisdam, & ex epistola ejusdem Hormisdæ. Erant autem Diptycha duplices tabule, quæ in formam libri clauderantur, quarum una parte Defunctorum, altera Vivorum insignium nomina inscribentur. Deinde pia Mater Ecclesia speciale etiam Officium pro Defunctis instituit recitandum post reliquas horas Canonicas. Hujus Officii Defunctorum, ut nunc est, institutio quamvis ignoretur, constat tamen, consuetudinem preces effundendi pro Animabus Defunctorum ab ipsis Apostolis emanasse. Guillelmus Durandus Officii, de quo loquimur, ordinationem refert ad Origenem, cujus rei testes allegant nonnulli SS. Isidorum, & Augustinum, ut notat etiam Gavantus hic; Arnoldus Wion *lib. 5. Lig. i. Vita*, auctorem hujus Officii facit Amalarium; sed quia mala fide testes profert antiquiores, hæud digni plenaria fide credendi sunt, ait Cardinalis Bona *cap. 13. de Divin. Psalm. §. 2.* Eadem ex causa explodendam esse censet opinionem Isidori de Isolani, qui S. Ambrosio, & Jacobi de Valentia, qui Divo Augustino hujus Officii originem adscribunt; in hoc verò conveniunt omnes, antiquissimum esse hoc Officium, & à primis Ecclesiæ PP. institutum.

II. Gavant. pag. 148. col. 1. n. 3. - *Itemque in die Depositionis, tertio, septimo, trigesimo &c.* Defunctorum memoria solet generaliter sollempnius celebrari non solum in die obitus, seu Depositionis Defuncti, sed etiam in die tertio, septimo, trigesimo, ab ipsa die Depositionis, seu obitus, & pariter in die Anniversario, quæ institutio antiquissima

est, ut ex Augustino, & aliis PP. Testimoniis comprobatur Joseph Vicecomes.

Advertendum hoc loco est, quod si nomine Depositionis intelligatur ipsa Corporis Defuncti Terræ traditio, ac commendatio, juxta illud S. Andrea: *Tempus est, ut commendetur terræ Corpus meum*, non est in eo sensu Depositio idem, quod obitus; erit tamen ea utriusque dies, si eodem die Corpus sepeliatur, quo Defunctus obiit, secus si postmodum, vel in longum tempus exequiæ differantur. Et quamvis non sit omnino improbabile à die Depositionis in hoc sensu acceptæ, posse computari dies tertium, septimum, & trigessimum, immò & anniversarium; communior tamen usus est, & Rubricarum sensui conformior, ut ab ipso die veri, & naturalis obitus personæ defunctæ præfati dies tertius, septimus, trigessimus, & anniversarius computentur. Noster Auctor *tom. 1. part. 4. tit. 18. num. 9.* sui Thesauri non improbat præfatos dies computandos esse à die sepulturæ, sed monet hæc in parte sequendam esse locorum consuetudinem.

Mysticas harum dierum rationes eleganter reddunt, & explicant Amal. *lib. 3. cap. 44. & lib. 4. cap. 42* necnon Alcuinus in fine libri de Divinis Officiis; breviter nos dicemus, quod die tertia peculiaris, & sollempnior sit Defunctorum recordatio, quia sicut Christus, tertia die resurgens ex mortuis, vitam nostram in melius reparavit; ita nos tertia die pro Defunctorum Animabus preces, & Sacrificia offerentes, illorum feliciorum statum, & æternæ Beatitudinis gloriam exoptamus; necnon spem futuræ Resurrectionis profiteamur. Septimo quoque die fit Defunctorum specialis recordatio, vel quia septima hebdomadæ dies Sabbatum est, Dominum autem Sabbati precamur, ut Requiem æternam Defunctorum Animabus donet; vel quia sicut filii Jacob, *Gen. cap. 50.* optimi Patris celebrantes exequias, impleverunt septem dies, juxta illud Ecclesiastici 2.

13. *Luctus mortui septem dies*, ita nos eorundem exemplo insistentes die septimo specialem facimus Defunctorum memoriam. Ad celebrandum verò trigessimam diem veteris pariter Testamenti exemplum nos excitat, Num. enim cap. 20 & Deut. 34. legimus, quod omnis multitudo filiorum Israël videns occubuisse Aaron, fleuit super eum triginta diebus; itemque cum mortuus esset Moyses, fleverunt eum triginta diebus in Campesribus Moab. Denique anniversarium diem repetimus, quia, si fortè Animæ, quæ lustrabilibus flammis cruciantur, nondum expiatis criminibus, nostris suffragiis indigeant, iis possint adjuvari, & à pœnis, quas adhuc patiuntur, erui; melius enim est, ut illis supersint nostra suffragia, quàm ut per oblivionem, vel incuriam nostram desint.

III. Gavant. pag. 148. col. 2. eod. n. 3. -- Licet in Psalmo dicatur: *Ad Deum fortem (non fortem) vivum &c.* Supponit Gavantus in Psalmo 41. debere legi: *Sitivit Anima mea ad Deum fontem vivum*, non verò *fontem vivum*. Attamen reverà in editione vulgata nostra Communi, & approbata, nec non in Psalterio cum Canticis edito à Cardinali Thomasio, & ab eodem doctissimis Commentariis illustrato legitur - *Ad Deum fortem: vivum*; quæ verba ita explicat idem Thomasio: Anima mea flagrans, sitivit, ac desideravit ardentem Deum fortem, ac viventem - Observare etiam est, quod cum tò *fortem* in Psalterio mox memorato, legamus inclusum inter asteriscum \* & duo puncta; juxta regulas, quas tradit Beatus Hieronymus in Præfatione allata ab eodem Thomasio, de Hebræis voluminibus additum esse intelligere debemus juxta Theodotionis editionem, qui simplicitate sermonis à septuaginta Interpretibus non discordat.

IV. Gavant. eod. n. 3. -- *Neque in Officio Duplici &c.* Tradit hoc loco Gavantus Psalmum *Lauda anima mea Dominum &c.* in fine Vesperarum, & Psalmum *De profundis &c.*

in fine Laudum, minimè dici in Commemoratione omnium Defunctorum, neque in depositione Defuncti, si tres Nocturni dicantur ex Rituali Romano Pauli V. neque in Officio Duplici, pari ratione &c. Verum utique est, & in die Commemorationis omnium Defunctorum, & in die depositionis Defuncti omittendos esse prædictos Psalmos in Vesperis & Laudibus respectivè, sed nunc falsum est, omitti pariter debere eorundem Psalmos, quotiescunque recitatur Officium Defunctorum sub ritu Duplici: Contraria enim habentur Decreta; primum quidem emanatum die 5. Julii 1698. in *coll. n.* & datum in nostro Indice sub num. 205. Secundum verò emanatum die 23. Junii 1736. in *Einsiden.* datum in nostro Indice sub num. 335. & alia ibi indicata, in quibus sancitum est, debere omitti prædictos Psalmos solum in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, & in die depositionis Defuncti.

Difficiliter acquiescentes ejusmodi Decretis PP. Eremitæ Ord. Camaldulensis in Regno Neapolitano commorantes, recursum recentissimè habuerunt ad Sacram Rituum Congregationem, humillimè petentes Decretum, quo statuatur, ut in Anniversariis Defunctorum, quoties Officium recitatur integrum cum tribus Nocturnis, toties in Vesperis omittatur Psalmus *Lauda anima mea Dominum &c.* & Psalmus *De profundis &c.* in Laudibus. Sacra autem Congreg. cautè procedens in decisione cujuscunque dubii, & in editione suorum Decretorum, in præfenti casu exquisivit Suffragium Illustrissimi Domini Venantii Philippi Pierfantes Apostolicarum Ceremoniarum Magistri, cujus doctissimam Consultationem iisdem omnino verbis, quibus eam coram Eminentissimis ac Reverendissimis DD. Cardinalibus exposuit, congruum arbitror hic exhibere.

Emi-

*Eminentissimi, ac Reverendissimi  
Patres!*

Quum asserant Patres Eremitæ Ordinis Camaldulensis in Regno Neapolitano degentes, ritè se ac studiosè Ecclesiasticis Rubricis inhærere, quibus Monachi S. Benedicti Regulam professi in divina Psalmodia persolvenda se conformant; idèd petunt ab Eminentiss Vestris firmiter sanciri, ut in Anniversariis Defunctorum, quoties Officium recitatur integrum cum tribus Nocturnis, toties in Vesperis omittatur Psalmus -- *Lauda anima mea Dominum* --, & Psalmus -- *De profundis* -- in Laudibus: hisce fulti rationibus, quòd à Breviarii Monastici Rubricis ita demandetur; & quòd ita doceat Gavantus in suo Thesauro Sacrorum Rituum.

Ecce jam tertio, supremo Sacræ hujus Congregationis præcepto impellor ad opinionem meam, qualiscumque ea sit, proferendam; quamvis de hac eadem difficultate semel anno 1736. ab Abbate Celeberrimi Monasterii Einsidensis in Helvetia, referente Eminentissimo, ac Reverendissimo D. Cardinali Spinula proposita: iterumque anno 1737. Capellanis Ecclesiæ S. Mariæ Gratiarum Oppidi quindecim Nolanæ Diœceseos efflagitantibus, à claræ mem. Eminentissimo Domino Cardinali Zondadari coràm Eminentiss Vestris accuratè expensa, mentem meam aperuerim; in qua adhuc perseverans, servanda esse Decreta, in Einsidensis, & in Nolanæ omnium Suffragiis nuperrimè vulgata, censerem. Decretorum autem est hujusmodi tenor. -- Serventur Rubricæ Breviarii Romani, & Ritualis itidem Romani; nempe: -- Psalmi -- *Lauda anima mea Dominum* --, & -- *De profundis* -- omittantur in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, & in die depositionis Defuncti.

Quamvis enim in impressis recens Breviarii Monastici Ordinis S. Benedicti legatur sequens Rubrica: -- *Psalmi supradicti non dicuntur in die Commemorationis omnium Fidelium*

*Defunctorum, nec quando dicuntur tres Nocturni* -- tamen non constat, ejusmodi auctoritate Rubrica hæc immutata fuerit, eique facta notabilis additio, quæ, ut inferiùs innatescet, Ritualis Romani dispositioni penitus adversatur. Siquidem postremum Rubricæ membrum -- *Nec quando dicuntur tres Nocturni* -- non modò non reperitur in perveustis Breviariis Monasticis Summorum Pontificum Pauli V. & Urbani VIII. auctoritate recognitis, sed ne legitur quidem in ipso Breviario Romano, in quo sic habetur: -- *Qui Psalmi non dicuntur in die omnium Fidelium Defunctorum.*

Quapropter re diligenter investigata, triginta ab hinc circiter annis liquet, additionem hanc, nemine consulto, Breviariis Monasticis insertam perperam fuisse. Nam, quæ priùs, & juxta ordinem recitationis Officii (ut adhuc extat in Breviario Romano) apposita fuerat post Vesperas, diemque Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, tamquam sollempniorem dumtaxat designabat; nunc perturbatè post Laudes, dies quoscumque, quibus alicujus arbitrio Agenda pro Mortuis fit, sine ullo discrimine complectitur.

Neque meum intellectum movet, innovatæ huic Rubricæ conformis præclarissimi Viri Bartholomæi Gavanti sententia, qui in prælaudato Thesauro Sacrorum Rituum super Rubricæ Breviarii Romani Sect. 9. cap. 2. num. 3. disertè sic habet: -- *Psalmi in fine Vesperarum, & Laudum non dicuntur in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum: neque in depositione Defuncti, si tres Nocturni dicantur: neque in Officio Duplici pari ratione contraria enim est ratio illorum, ac nomi Responsorii longioris -- Libera me Domine, -- quod non modo dicitur in prædicta Commemoratione, sed etiam quandocumque dicuntur novem Lectiones. Quare omittuntur illi Psalmi, quandocumque dicitur hoc Responsorium. --* Notetur quæso sequens locutio: -- *& hi casus videntur omitti in Breviario.*

Contra hanc sententiam, pro Eminentiarum Vestrarum Decretis, illorumque firma executione propugnaturus, brevem ita sermonem instituo. Esto, quòd in Breviario hi casus non solum non videantur, sed reverà sint omitti; quid inde? Integrum Breviario supplementum defert Rituale Romanum Pauli V. Pontificis Maximi jussu editum, & juxta suas Apostolicas literas *inviolatè servandum*; in quo, eos, quos Gavantus asserit omisso casus, omnes, & singulos expressos legimus; ipsique Gavanto perspicuè adversantes; enunciatur enim præter diem depositionis Defuncti dies tertius, septimus, tricesimus, & Anniversarius. Postea igitur dissimilitudine præcepti Ritualis Romani ab opinione Gavanti, aliter ac Vir iste, cæteroque Sapientissimus, tenet, sentire nos oportet.

Rituale Romanum, quod pluribus precibus morientes juvandi modum præstituit, animabus quoque mortuorum debita ipsis Suffragiorum accessione Religiosè consuluit. Primo in deductione funeris: secundo in Exequiis Corpore præsentè faciendis: tertio tandem absente Corpore in recitatione Officii pro temporis opportunitate, & Ecclesiarum consuetudine; quod sonat idem, ac semper, & quandocumque Mortuorum Officium recitatur.

Ubi liber Ritualis tractat de Exequiis Corpore præsentè, ita disponit: -- *Deposito seretro &c. & cereis accensis circa Corpus, dicatur officium Mortuorum cum tribus Noct. & Laudibus ut infra ponitur &c. & duplicentur Antiphona.* -- At quia diem illum pro Defuncto tamquam sollempniorem considerat; prout Catholica Ecclesia pro universis Defunctis statuit diem secundum Novembri, non vult recitari Psalmos in precibus post Officium. Ideoque post designatam ad Canticum -- *Benedictus* -- Antiphonam -- *Ego sum* -- Subdit per extensam Preces, & Orationem sine Psalmo dicendas, *G. vant. Rubr. Brev.*

& in dicendis Precibus genuflexionem non mandat.

Verumtamen Defunctorum Officium cum soleat aliis etiam diebus pro temporis opportunitate, & Ecclesiarum consuetudine recitari, ac præcipuè in diebus tertio, septimo, tricesimo, & Anniversario; quantvis duplicari Antiphonas jubeat Rituale Romanum, nihilominus post Psalmos Vesperarum apponit Preces, & Psalmum -- *Lauda anima mea Dominum* -- omittendum juxta mentem Gavanti, & insuper apertis notis particularem hanc addit Rubricam: -- *Sequentes Preces dicuntur flexis genibus, similiter & ad Laudes.*

Rubrica ista apposita post aliam Rubricam, quæ firmat ritum servandum in recitatione Officii Mortuorum *pro temporis opportunitate, & Ecclesiarum consuetudine* (verba sunt Rubricæ,) casus omnes, qui Gavanto videntur omitti in Breviario Romano, contineri in Rituali clarè demonstrat, ritumque celebrandi quocumque tempore Mortuorum Officium exponit: hoc intercedente discrimine, quòd sive postulet temporis opportunitas, sive urgeat Ecclesiæ consuetudo, nunquam duplicandæ sint Antiphonæ, nisi in die tertio, septimo, tricesimo, & Anniversario.

Sanè in servando Ritu duplicandarum Antiphonarum, uno discordante Gavanto, omnes inter se conveniunt Auctores, Bissus videlicet, Guyetus, Halden, & Baruffaldus, asserentes, duplicandas esse Antiphonas, non quoties Officium recitatur integrum; sed juxta Rubricas generales Breviarii Romani tit. 1. de Officio Duplici, quando illud dicitur in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, & in die obitus, seu depositionis Defuncti. His verò diebus cum Rituale Romanum *tit. de Officio Defunctorum* addat tertium, septimum, tricesimum, & Anniversarium; patet regulam duplicandi Antiphonas non de-

sumi ab eo, quod in Officio dicatur Invitatorium cum tribus Nocturnis, sed à tempore, & ab occasione, qua Officium decantetur. Nam illi dies sicuti mysterio vacui minimè sunt; ita in iis aliquam sollemnitatis significationem exhibendam præcipit Rituale Romanum. Et jure optimo E. E. V. V. in prædicta Nolana anno elapso decreverunt: servandas esse Rubricas Breviarii, & Ritualis Romani; & Antiphonas duplicandas esse in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, in die obitus, seu depositionis defuncti, in die tertio, septimo, tricesimo & Anniversario dumtaxat.

Duo hic sunt diligenter adnotanda; primum, quod non obstante Antiphonarum duplicatione, ex vi Rubricæ Ritualis Romani, in casibus à Breviario omissis, Precibus addendi sunt Psalmi; alterum, quod hujusmodi Preces flexis genibus sunt recitandæ. In hac genuum flexione concordat etiam Gavantus, cujus verba dd. *Sect. 9. & cap. 2. refero: -- In fine Vesperarum, & Laudum dicuntur Preces -- semper -- flexis genibus, etiam quando omittuntur Psalmi; -- id est, ad ejusdem Gavanti sensum, quando duplicantur Antiphonæ.*

Admissa genuum flexione in Precibus, etiam quando Officium Defunctorum recitatur sub ritu Duplici, corrumpere videtur, tamquam vana, ratio, quam affert Gavantus; nempe quod in fine Vesperarum, & Laudum Psalmi non sint dicendi, propter Responsorii longioris -- *Libera me Domine* -- recitationem in tertio Nocturno. Nam præterquam quod Responsorii longioris contextus nil commune, vel quid relativum habet cum Psalmis, illorumque locutione; Regularis est Officii Divini ritus, ut, quoties in eo Preces dicuntur flexis genibus, toties non recitentur Preces Dominicales, sed flebiles Preces, quæ in vespertinis Psalmum -- *Miserere*, -- in Laudibus verò Psalmum -- *De profundis* -- ex veteri Eccle-

sia instituto exposcunt, præter alias Preces cæteris Horis minoribus adjunctas. Insuper extra Horas Canonicas, Mortuorum Officium proprios habet ritus, qui si in Breviario non videntur expressi, luculenter explicati, & appositi sunt in Rituali Romano. Si igitur, ex Gavanti sensu, bene stat præter diem Commemorationis omnium Fidelium Mortuorum, & diem obitus, seu depositionis Defuncti posse aliis temporibus Antiphonas duplicari, & nulla duplicandarum Antiphonarum habita ratione debere ad Preces semper genuflecti; cum genuflexio ex comuni Patrum, & Liturgicorum Scriptorum sententia indicet mærorem precum, & mæstis flebilibusque Precibus semper addantur Psalmi, æquum, & justum erit, ut Ritualis Romani dispositione, cui Sacra hujus Congregationis Decreta accesserit, servata, Psalmi -- *Lauda anima mea Dominum*, ac -- *De profundis* -- semper dicantur post Vesperas, & Laudes Defunctorum, etiam si pro temporis opportunitate, & Ecclesiarum consuetudine fiat pro iis Agenda cum tribus Nocturnis, & Antiphonarum duplicatione.

Quare salvo semper meliori, supremoque Eminentiarum Vestrarum judicio, rescribendum putarem. Serventur Decreta in Einsidlensi 23. Junii 1736. & in Nolana 3. Augusti 1747. videlicet Psalmi -- *Lauda anima mea Dominum* -- & -- *De profundis* -- omittantur in Precibus post Officium in die Commemorationis omnium Fidelium Mortuorum, & in die obitus seu depositionis Defuncti dumtaxat; cæteris autem diebus semper, & omnino dicantur.

Hæc Præfatus præstantissimus Vir, cujus opinioni adhærens S. R. C. confirmavit mox allegata Decreta Die 8. Martii 1738. in una Eremitarum Ord. Camaldulen.

Cæterum ad Defunctorum Officium spectant pariter Decreta data in nostro Iudice sub n. 8. & 64.

V. Gavant. pag. 150. col. 1. n. 12. -- *Sed ratio non convincit &c.* Quavis Gavantus in hac, & aliis editionibus approbet sententiam Castaldi asserentis, quod si in Adventu, & Quadragesima dici nequeat Officium Defunctorum in Feriis secundis, eò quia hæc reperiantur omnes impeditæ Festis novem Lectionum, non idcirco debeat dici tale Officium semel in dictis mensibus memoratorum temporum, prima die non impedita; attamen non approbat idem Gavantus rationem adductam ab eodem Castaldo, sed ideò tenet hanc sententiam, quia verba Rubricæ à se allegata sic loquantur: *ante Quadragesimam prima die non impedita dicitur Officium Defunctorum; & ante Adventum prima die non impedita dicitur Officium Defunctorum;* quæ verba ita intelligi debent, ut intra Quadragesimam nulla habeatur ratio mensis, sed solummodo Feriarum secundarum, quando non sunt impeditæ Officio novem Lectionum. In prima editione suorum Commentariorum post illa verba: *Si verò aliquo anno Feriis secundis omnibus impeditis non dicatur Officium Defunctorum, parum refert.* -- Hæc addebat sincerè doctissimus Auctor -- Secutus igitur aliorum opinionem, quæ favebat magis Defunctis, edidi Ordinem perpetuum Divini Officii cum affirmativa sententia; quam, re meliùs considerata, existimo minus certam, minusque consonam Rubricarum verbis, & corripo meipsum cum aliis, qui in Calendariis editis præscribunt Officium Defunctorum in Adventu, ratione mensis, quando impeditæ sunt Feriæ secundæ, tunc enim in toto Adventu, seu Quadragesima non præcipitur Officium Defunctorum -- Hæc Gavantus in prima sua editione, qui reverà in Ordine perpetuo Divini Officii ab eodem evulgato Bononiæ anno 1625. in prima Tabula ponit Officium Defunctorum recitandum die 6. Februarii, quæ est FERIA VI. intra Quadragesimam; & in Tabula 25. præscribit idem Officium Defunctorum

recitandum die 1. Martii in FERIA V. quæ immediatè sequitur Feriam IV. Cinerum; ut Rubricarum verbis meliùs examinatis in suis doctissimis Commentariis, quæ primò evulgavit Romæ anno 1628. sententiam negativam amplexus est, ut ex ejusdem verbis suprâ allatis manifestè patet; nec non in Tabulis quas eidem operi adtexuit.

VI. Gavant. pag. 151. col. 1. n. 15. -- *Vespera quidem debent recitari post Vesperas, &c.* Confirmat Gavantus hanc suam, & communem sententiam circa horam recitandi Vesperas Defunctorum, etiam in diebus Festivis, Decreto, quod datur in nostro Indice sub n. 8.

VII. Gavant. pag. 151. col. 2. n. 18. -- *Excepta Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, &c.* De obligatione recitandi hoc Officium in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, locutus est Gavantus *Señ. 3. cap. 13.* ubi etiam nos aliqua adjecimus. Decreta verò spectantia ad ritus celebrandi hoc Officium, nec non Missas dictæ die Novembris, exhibuimus suprâ in nostris Additionibus ad *caput 13. Señ. 7.* sub eadem die 2. Novembris.

VIII. Gavant. pag. 151. col. 2. n. 20. -- *In aliis verò diebus, &c.* Quando Officium Defunctorum debet recitari pro adimplenda Testatorum voluntate, absque dubio recitari poterit etiam in Choro in iis diebus, quibus permittitur Missa de Requiem, in aliis verò diebus, in quibus prohibetur Missa de Requiem, adhuc recitari poterit, ait Gavantus; nam dispar est ratio inter Missam, & Officium; illa namque suppleri potest cum Missa de die, ut ipse Gavantus docuit *tom. 1. part. 3. tit. XII. n. 19. & seqq.* (& nos etiam innuimus in nostris *Addit. ad tit. 5. part. 1. n. 2.* dicendo, quod in Festis solemnibus, & privilegiatis, in quibus non potest cantari Missa de Requiem etiam præsentè Cadavere, posset applicari pro defuncto Missa illa solennis, quæ cantatur de die Festo, vel de Dominica privilegiata; dummodò ta-

non possit liberè applicari talis Missa, quia in illis Ecclesiis, in quibus Missa Conventualis, quæ sollemniter cantatur, debet applicari pro Ecclesiæ Benefactoribus, ut contingit in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, non posset applicari pro Defuncto, cujus Cadaver est præsens, dicta Missa Conventualis) At Officium Defunctorum suppleri non potest cum Officio de die, idcirco in prædicto casu poterit Officium Defunctorum sine Missa decantari etiam in diebus Festivis, cum illa exceptione Festorum primæ, & secundæ Classis &c. quam proponit Gavantus. Prædicta Regula profectò locum habet in die tertio, septimo, & tricesimo ab obitu Defuncti, in quibus pro eo potest sollemniter recitari Officium; pro die verò Anniversario serventur dispositiones illæ, quas tradit Gavantus 1. tom. part. 1. tit. 5. & de quibus nos quoque fusè locuti sumus, exhibendo S. C. Decreta pro Translatione Anniversariorum, quando occurrunt in diebus, quibus vetitum est ea celebrari, & præscribitur, quomodo debeant transferri. Eo igitur die, quo trans-

ferantur Anniversaria, sicut differtur celebratio Missæ, sic differri debet recitatio Officii.

Si autem sermo sit de die obitus, seu depositionis Defuncti, cum duo dumtaxat dies sint, in quibus liberum non est corpus Defuncti sepulturæ tradere, nempe dies Parasceves, & dies Paschæ, ex Rituali Romano Pauli V. tunc liberum non est iis diebus publicè Officium Defunctorum persolvere, quibus (quoad publicam Officii recitationem) addendi sunt etiam Feria V. & Sabbatum Sanctum, in quibus S. R. C. Decreto dato in nostro superioris Tomi Indice sub n. 690. vetuit celebrari Exequias Defunctorum, permittens recitari Officium & Preces privatim tantum. Cæteris anni diebus publica hæc Officii Defunctorum recitatio libera est, quamquam laudanda sit aliquarum Ecclesiarum consuetudo, quæ in Festis sollemnioribus huiusmodi Officium sub Vesperum post expletum diei Officium differunt. Vide Decretum editum die 12. Julii 1628. datum in nostro Indice sub n. 64.

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Cap. III. De Psalmis Gradualibus.

I. Gavant. pag. 152. col. 1. n. 1 -- *Qui dicuntur Canticum graduum, & Ascensionis &c.*) Quindecim in Psalterio Psalmi, nimirum à Psalmo 119. usque ad 134. Graduales appellatur: in Textu Hebræo præfatus titulus idem sonat, ac *Canticum Ascensionum*; in Chaldæo verò *Canticum quod dictum est in Ascensionibus Abyssi*. Hæc autem Chaldæi explicatio ex Hebraicis Traditionibus derivatur; ferunt etenim, cum Templi fundamenta post regessum à captivitate jacienda essent, tantam à terra aquæ copiam erupisse, ut ad quindecim cubitos elevaretur; illa autem etiam, at-

que etiam affluente universi Mundi Latas periclitabatur; nisi Architophel, inscripto quindecim gradibus Templi nomine ineffabili Jehovah, prompto remedio rebus afflictis succurrisset. Ad eam historiam referunt Judæi Psalmum 126. *De profundis clamavi &c.* qui unus est à Gradualibus. Junius, & Tremellius allegati ab Augustino Calmet in suo eruditissimo Dictionario Sacre Scripturæ v. *Psalmi Graduales* verunt: *Canticum excellentiarum*, sive *Canticum eximium*, quod aliis doctis Interpretibus non improbat.

Communem tamen interpretationem

Cap.

*Canticum graduum*, vulgò plures sequuntur, sumpto hoc nomine ex quindecim gradibus Templi, in quibus cantabantur, & equidem non solum primi ædificati à Salomone, sed etiam secundi Templi à Zorobabel constructi, ut ex Rab. David. asserit doctissimus Villalpandus tom. 2. in *Ezechielæ Prophetæ part. 2. c. 34.* Eandem sententiam tradidit S. Hilarius Præfat. in *Canticum graduum* dicens: esse autem in Templo gradus quindecim, historia nobis loquitur. Sed cum gradibus hic Ministrorum gradus indicari arbitretur, tandem in ea versatur sententia, ut Sacerdotem Summum per hunc graduum numerum in Sancta Sanctorum intrare solitum arbitretur. S. Hieronymus verò, seu potius alius Auctor sub ejus nomine, super Psalmum 119. ex ipso Psalmorum contextu confirmare videtur, ad gradus Atriorum Templi hunc Psalmorum numerum respexisse; quamvis mysticos potius, quam alios sensus consecrari videatur. Sanctus quoque Augustinus in Præfat. Psalmi 150. rationem reddere videtur, propter quam hæc graduum Cantica totidem fuerunt: *Septem porro, inquit, & octo, quindecim sunt; tot sunt, & Cantica, quæ appellantur graduum, quoniam totidem fuerunt Templi gradus.* Eucherius denique de *Spiritualibus for. c. 1.* decimum quintum numerum ad quindecim gradus Templi putat pertinere: quos, inquit, fecit Salomon, ad quorum numerum quindecim Psalmi, qui inscribuntur *Canticum graduum*, compositi sunt. Hujus opinionis est etiam S. Remigius super Psalmum 119. qui tamen putat, gradus, eorumque numerum, pro decantando in eis Psalmorum numero, extractos fuisse; non autem Psalmos in gradibus decantandos fuisse compositos, inquit enim: *Psalmi isti, qui dicuntur Cantica graduum, & sunt quindecim, non ad imitationem illorum graduum, qui erant in Templo Salomonis, facti sunt, cum David longè ante situm præcesserit, hosque Psalmos, sicut & alios in laudem Dei de-*

*cantaverit; sed gradus illi per Salomonem ad imitationem earundem virtutum, quæ in Psalmorum istorum numero designantur, positi sunt.* Hæc S. vir. Sed Villalpandus loc. cit. rectè observat, quòd cum David dedisse dicatur Salomoni, non modò aurum, argentum, & opes, ligna, lapides, atque alia omnia ad Templi ædificationem necessaria, verum etiam descriptiones ejus, & *Divisiones Sacerdotum, & Levitarum in omne ministerium domus Domini.* 1. Paralip. c. 28. nihil obstat, quo minùs idem David potuerit Carmina componere, à Levitis, & Sacerdotibus capenda, quorum divisiones, ac sortis ministeria omnia jam antè divino Prophetæ spiritu plenus excogitaverat, descriperat, ac Salomoni filio opere complenda tradiderat.

II. Gavant. pag. 152. col. 1. eod. n. 1. -- Theodoretus, & Euthymius docent &c. ) Quoniam Psalmi Graduales dicti etiam sunt *Canticum Ascensionis*, ut supra diximus, & notat etiam Gavantus; hinc Theodoretus, & Euthymius ab eodem Gavanto relati docent Cantica hæc intelligenda esse ad literam de Ascensione Judæorum à Babylone in Jerusalem, Spiritu Sancto per os David præcinnente calamitatem eorum, & libertatem. Huic sententiæ accedit etiam laudatus Calmet, hebræum vocabulum vertens ita: *Canticum Ascensionis*, sive Regressus à captivitate Babylonica. Movetur hic Auctor ad hanc sententiam amplectendam, quia Scriptura, agens de Regressu Populi à captivitate Babylonica, verbo *ascendere* frequentissimè utitur, 1. Esdræ 2. *hi sunt autem provincia filii, qui ascenderunt de captivitate; & cap 7. prima die mensis primi capit ascendere de Babylone; rursus 2. pariter Esdræ 7. ascendat in Jerusalem, Psalmo verò 121. qui est inter Graduales, habetur: Tribus ascenderunt in Jerusalem.* Ex his, ait Calmet, planè intelligimus, Judæos, quoties de itinere Babylone Jerosolymam agendum esset, verbo *ascendere* frequenter uti consuevisse; quip-

pe quo è Babylone in planitie posita, in Judæam Regionem montuosam ascendendo iter pateret. Cantica igitur ascensionum facile per eam occasionem concinnata fuisse credimus, ob agendas fortasse ea de re gratias; quod potissimum esse Psalmorum Gradualium argumentum observamus. Nec in illis rara etiam receptæ à Populo libertatis mentio, quæ sanè præterquam in hac hypothese commodius explicari non possunt. Hæc laudatus doctissimus Commentator in suo Dictionario Sacræ Scripturæ loci. *supra cit.* addens, quod huic suæ opinioni fulciendæ plura congeri possent Psalmorum Testimonia, quæ Lectoribus ultrò in Psalterio occurrunt. Super hac re idem Auctor fusiùs loquitur in Præfat. ad Psalm. Graduales.

Rabbinorum nonnulli, nimirum Saadias, Hamont. Gatacher. & Commentatores non pauci, scilicet Vatabl. Dupin, & Ainsvort, Hebræum titulum reddunt: Cantica elevationis, quod scilicet elata voce, elatiori singuli modo cantarentur.

Non desunt etiam, qui præfatum Psalmorum titulum derivant ex Cathedra in Atrio Israël erecta, ex qua interdum Levi-

tæ sacros libros legebant 1. *Esd.* 9. sed Cathedram illam legentibus quidem, nunquam tamen canentibus, constitutam, omnes norunt, unde hæc opinio videtur nobis cæteris omnibus postponenda.

III. Gavant. pag. 152. col. 2. n. 4. -- *Ad instar horum quindecim Psalmorum constituit quindecim gradus &c.*) Vir sapientissimus Cardin. Bellarminus suum Aureum Opusculum de Ascensione mentis in Deum, ad similitudinem quindecim Psalmorum Gradualium in totidem gradus distinxit, quibus Anima Christiana ad Deum ascendit, quorum ordo triplici Gradualium ordini, ut notat Gavantus, optimè respondet. Quod spectat ad spirituales intelligentiam, horum quindecim Psalmorum numerus, mysticis Animæ Ascensionibus etiam à SS. PP. Hilario Picaviensi, Augustino, Chrysostomo, Gregorio Magno; itemque à Cassiodoro, Remigio Antifiodorensi, & aliis applicatur; quindecim enim Psalmi Graduales, totidem gradus Christianæ perfectionis apud eosdem indicant, ut etiam optimè considerat Cardin. Bona cap. 15. §. 1. nec non 2. ubi alia subnectit spectantia ad mysticas explicationes horum Psalmorum,

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Cap. IV. De Psalmis Pœnitentialibus.

I. Gavant. pag. 153. col. 2. num. 1. -- *Cassiodorus docet septem esse, &c.*) Non solum Cassiodorus in Psalm. 6. sed etiam ante ipsum Origenes homilia 2. in Leviticum docuit, Psalmos Pœnitentiales septenario numero conclusos esse, quia septem supradictis modis, à Gavanto ex Cassiodoro allatis, peccata nobis dimitti possunt. Inveniuntur & alii fortasse modi remittendi peccata nostra, congruit etenim, ut numerum nostrarum supplicationum divina misericordia, & indulgentia transcendat. Considerat etiam Cardinalis Bona cap. 14. §. 1.

quod antiqui Canones septennem pœnitentiam pro gravioribus peccatis imposuerunt; deinde legimus in Sacris paginis, quod sepius mundandus septies aspergebatur; Quod Naaman Syrus septies lavari in Jordane jussus est ab Elisæo; Quod septimo anno fiebant remissiones, eratque magnus Jubilæus post quadratum septenarium; Et alia hujusmodi; unde infert, non ergo sine causa horum Psalmorum numerus ad septenarium redactus est, ut septuplum expurgati à septem plagis immunes, exclusis septem Dæmonis, septiformis Spiritus gratia illustre-

Artemur. Descendit deinde idem Eminent. Psalmis Penitentialibus, quæ apud ipsum Auctor ad notanda quædam de singulis hisce legi poterunt,

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Cap. V. De Ordine Commendationis Animæ.

I. Gavant. pag 155 col. 1. num. 2. - *Ex-  
cepta mutatione aliquorum Sæclorum in Lita-  
niis Brevibus, &c.*) In nostro ordine Com-  
mendationis Animæ habentur quædam Lita-  
niæ breves, & aliquantisper diversæ ab aliis  
Litanis, nam invocantur etiam aliqui Sancti  
veteris Testamenti expresso eorum nomine,  
nimirum SS. Abel, & Abraham. Ex quo  
magis, magisque confirmatur, quod hujus-  
modi Sancti perinde atque alii novi Testa-  
menti ab Universalis Ecclesiæ colantur; &  
reverà non solum suppresso nomine in Lita-  
niis majoribus invocantur, & nominatim  
aliqui illorum in præfatis Litanis Commenda-  
tionis Animæ, sed etiam eorum plurimi  
in Martyrologio Romano recensentur; &  
multorum item Reliquiis exhibetur vene-  
ratio, ut de singulis adducit Testimonia Ba-  
ronius in suis ad Martyrologium notis; &  
denique nonnullas Ecclesias sub eorum no-  
mine ædificatas refert idem Baronius ex  
probatas Auctoribus, putà Jeremiæ à Con-  
stantino Magno super ipsammet foveam,  
in quam is Propheta detrusus fuit, Mi-  
chæ ad ejus sepulcrum, Eliæ à Basilio Im-  
peratore, Samueli à Justiniano, Macha-  
bæis Martyribus Antiochiæ, Viennæ quo-  
que Allobrogum, nec non Colonia Agrip-  
pinæ, & denique Venetiis Moyse, Samue-  
li, Jeremiæ, Job, & aliis. Recentissimè  
memoratis brevibus Litanis pro Animæ  
Commendatione insertum fuit etiam nomen  
S. Josephi post illud S. Johannis Baptistæ,  
id demandante Benedicto PP. XIII. in De-  
creto *Ubi & Orbis*, evulgato diè 19. De-  
cembri 1726. & dato in nostro Indice sub  
n. 268 Ideo autem nomen S. Josephi collo-  
catum est in Litanis, immediatè post S.

Johannem Baptistam, quia idem Ordo  
servatus fuit, & adhuc servatur in Litanis  
PP. Prædicatorum, & in Litanis insertis  
in Rituali Romano pro aquæ Benedictione,  
nec non antiquioribus temporibus in Lita-  
niis majoribus Universalis Ecclesiæ, uti de-  
sumitur ex Missalibus, & Ritualibus re-  
censitis ab Eminentissimo Card. Lamberti-  
ni in suo eruditissimo discursu super hac re  
edito anno 1723. cum fidei Promotoris mu-  
nus commendatissimè obiret; ob quas ratio-  
nes eidem doctissimo Viro absque res vide-  
batur, si in Litanis majoribus iterum re-  
poneretur idem S. Josephi nomen, sed non  
amplius immediatè post S. Johannem Bap-  
tistam.

Absque eo quòd obesse potuerit, quòd  
S. Joseph Confessor vocetur in Martyrologiis,  
& quòd ab Ecclesiâ in Calendariis, & Bre-  
viario colatur tanquam Confessor; siquidem  
non valet argumentum à Breviario, &  
Officiis ad Litanias. In Litanis etenim ha-  
bemus Classem Patriarcharum, & Prophe-  
tarum, in qua S. Joseph reponi potest. At  
in Breviariis, & Officiis non habent Sancti  
Evangelici, in quorum numero est S. Joseph,  
nisi Commune vel unius, vel plurimorum  
Martyrum, vel Confessoris Pontif. vel non  
Pontif. teste ipso Guyeto *lib. 3. cap. 16. quest.*  
*5.* ubi ait - Quorum Sanctorum in quatuor  
Evangeliorum libris mentio fit cum laude,  
ii meritò appellari possunt Evangelici. Sunt  
autem ejusmodi præter Beatissimam Virgi-  
nem Deiparam, ejusque Sponsum Castissi-  
mum S. Josephum &c. De his ergo om-  
nibus commune aliud non datur, quàm  
quod in Breviario positum est unius, vel  
plurimorum Martyrum, Confessoris Pon-  
tificis,

tificis, vel non Pontificis, pro cuius statu, ac conditione, ut clarum est exemplis S. Joseph, S. Mariæ Magdalena &c. -- Idipsum repetit idem Auctor lib. 3. cap. 23. quest. 7. Ex quibus colligit mox memoratus Gard. Lamberrini, hæc duo non esse incompati-

bilia, videlicet S. Joseph in Officio colli tanquam Confessorem; ejusque nomen reponi in Litanis in Classe Prophetarum, & Patriarcharum, immediate post S. Johannem Baptistam.

## Novæ Observaciones, & Additiones ad Gavanti

### Cap. VI. De Benedictione Mensæ & Itinerario Clericorum.

I. Gavant. pag. 156. col. 2. n. 10. -- *Fit autem mutatio regulariter à primis Vesperis Festi, &c.* Mutatio, quæ fit in versibus pro benedictione Mensæ, incipit regulariter à primis Vesperis Festi, ut bene ait Gavantus, quia videlicet Festum ipsum jam inchoatum est à primis Vesperis; idque habet locum etiam in Vigilia Nativitatis, quando incidit in Dominicam, item, & alio quolibet die apud eos, qui cœnam differunt post Vesperas. Apud illos verò, qui comedunt ante Vesperas, quamvis comestio illa dicatur Cœna, nihilominus in ea non sunt dicendi versus Nativitatis, quia nondum est inchoatum ejus Officium.

II. Gavant. eod. n. 10. *Nam in Sabbato post Nonam terminatur tempus Paschale, &c.* Versus proprii Pentecostes, juxta Rubricam, continuantur usque ad cœnam Sabbati sequentis exclusivè, quæ verba Rubricæ Gavantus sic accipit, ut velit excludi penitus Sabbatum, quia, inquit, *in ipso Sabbato post Nonam terminatur tempus Paschale*; unde addidit ipse de suo - *usque ad Cœnam Feria Sexta quatuor*

*temporum.* Guyetus verò lib. 4. cap. 10. quest. VIII. existimat, non excludi comestionem Sabbati illius à Versibus Pentecostes, nisi ubi fit post Vesperas: quia adhuc, ait ipse, censetur perseverare Officium Pentecostes, adeoque omnia, quæ ad illud pertinent, usque dum inchoatum fuerit Officium subsequens, quod profectò ante Vesperas inchoatum dici nequit: Sed ad hærendum esse Gavanto, pro certo habeo, quia exclusio illa Rubricarum usque ad Cœnam Sabbati exclusivè intelligenda est usque ad comestionem diei Sabbati, quæ juxta Rubricas, non appellatur prandium, sed Cœna, & dicuntur ea omnia, quæ dici debent in benedictione Cœnæ; quapropter eum Rubrica præscribat Versus proprios Pentecostes dicendos esse usque ad Cœnam Sabbati sequentis exclusivè, optimè explicavit Gavantus, prædictos Versus dicendos esse usque ad Cœnam, (nimirum inclusivè) Feriæ sextæ Quatuor Temporum, intelligendo semper nomine Cœnæ comestionem illam unicam, quæ fit in die jejunii.



# SECTIO DECIMA.

## DE CEREMONIIS AD HORAS CANONICAS ADHIBENDIS.

Cap. I. De Ceremoniis in privata Horarum Canoniarum recitatione  
*caret novis Observat. & Additionibus.*

### Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

Cap. II. De Ceremoniis Horarum Canoniarum in Choro recitandarum.

Gavanti pag. 160. col. 1. n. 8 -- *Genuflexio etiam in Choro ad ea, de quibus diximus superiori cap. n. 4. &c.* De ceremoniis, quæ præstari debent, dum recitantur Horæ Canonice in Choro, cum unaquæque Ecclesia habeat proprios mores, & laudabiles consuetudines, pauca adjicere ad Gavanti Commentaria locus erit. Præfatus Auctor cap. præcedenti num. 4. dixit genuflectendum esse in Hymnis, dum proferuntur ea verba: *Veni Creator Spiritus, Ave Maris Stella, &c.* De genuflexione præstanda in proferendis primis illis verbis: *Veni Creator Spiritus* satis locuti sumus in nostris Observationibus ad c. 18. Sect. 6. in quo discurret Gavantus de Festo Pentecostes; unde vide ea, quæ ibi tradita sunt. Genuflectendum pariter est in Choro, dum intonatur Hymnus B. V. *Ave Maris Stella*; oritur tamen dubium, utrum Festis solum diebus, an totius anni Sabbatis, Feriisque sit decantandus cum genuflexione præfatus Hymnus, & quandonam peracta genuflexione sit surgendum? Boverius in Ceremoniali P.P. Cappuccinorum lib. 1. cap. 16. genuflexionem præscribit in omnibus Festis B. V. cum dicitur *Ave Maris Stella, &c.* per quatuor versus priores, non autem in Officio parvo, & Sabbati. Verum Gavantus, necnon Paris de Crassis lib. 1. cap. 17. Castaldus in nostro Ceremoniali lib. 2. cap. 4.

*Gavanti, Rubr. Brev.*

num. 16. Bauldry part. 2. cap. 3. n. 2. Fantonius in Ceremoniali Carmelitarum lib. 1. Rub. 19. n. 4. & alii Auctores aliorum Ceremonialium diligenter allegati à nostro Francisco Magio de Divino Officio, & Choro *disquisit.* 36. prædictam genuflexionem toties præscribunt, quoties hoc Hymno Deipara salutatur, nullo profus excepto tempore. Major igitur difficultas est, quandonam peracta genuflexione surgendum sit? Gavantus supra loc. cit. Ordinarium Carthusiense cap. 14. num. 46. & 49. & alii ad Hymni initium genuflexionem præscribunt, sed de surrectione non loquuntur. Laudatus noster Castaldus loc. cit. dicit, quod genuflectendum est, donec quatuor primi versus dicuntur, cap. verò 21. n. 9. hæc habet: *Celebrans cantat Capitulum, & principium Hymni, quod si Hymnus sit: Ave Maris Stella, sive Veni Creator Spiritus, postquam illud intonavit, genuflectit, alii vero omnes, exceptis Ceroferariis, à principio genuflectunt, sicque permanent omnes donec compleatur totus primus versus, quo completo, surgentibus omnibus, ipse quoque surgit.* Hæc Castaldus, qui ibi loquitur de Hymno sollempniter decantato, & nomine primi versus evidenter constat, intelligere primam Hymni strophem. Iisdem verbis utuntur etiam Totinius lib. 1. cap. 14. n. 9. ubi ait: *usque ad finem primi versus; sed paucis interjectis, ait: usque ad finem*

A a a

IO

nem primorum quatuor versiculorum. Patres verò Prædicatores de primo Hymno Treveris anno 1249. de altero verò Ulyssipone 1618. Mediolani 1622. Romæque 1629. in tertia Ordinatione sic statuerunt: quòd in pronuntiatione Hymni, &c. Fratres maneat genuflexi, usquequòd absolvatur prima strophe. Quod idem omnino est, ut notat Ceremoniale Minorum Observantium part. 4. cap. 6. & Conventualium cap. 11. usque ad finem primi metri.

In Hymno autem Crucis, & tempore Passionis, cum dicitur: *O crux ave spes unica*, ad quatuor versus, juxta Castaldum *supra* cit. ab omnibus in Choro genuflectitur, ita pariter in Hymno: *Pange lingua*, cum dicitur: *Tantum ergo Sacramentum*, si SS. Sacramentum sit expositum, ad quatuor versus sequentes pariter genuflectitur; ita præscribit Castaldus in nostro Ceremoniali *loc. supra* cit. n. 18. Verùm Censores aliqui à nostro Capitulo generali deputati Castaldi præscriptum sic emendarunt: In Hymno: *Pange lingua* persistendum in genuflexione ad duos tantum primos versus, nimirum: *Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui*: & his prolatis, statim surgendum. Hanc dispositionem præcedunt etiam Solarius in Ceremoniali Minorum part. 3. c. 7. n. 5. Fantonius in Ceremoniali Carmelitarum lib. 1. Rub. 20. n. 3. Ordinarium Carthusiense cap. 14. n. 46. & alii, quos citat Magius *disquisit.* 39. hac ratione permoti, quòd alii versus duo, qui sequuntur: *Et antiquum documentum, novo cedat ritui*, non tantam requiri animi pietatem, ac reverentiam, videantur significare. E contra verò alii prædictam genuflexionem non ad duos solum, nec ad quatuor tantum, sed etiam ad omnes sex versus illius strophes genuflexionem præscribunt. Ceremoniale enim Romanum ad usum Fratrum Minorum Conventualium part. 4. cap. 11. & Observantium part. 4. cap. 6. hæc habet: Debent Fratres genuflectere, &c. ad *Tantum ergo Sacramen-*


*tum &c.* usque ad defectui &c. Idem docet Ceremoniale Camaldulensium, necnon Ceremoniale Augustinianum, ita pariter Ceremoniale Canonicorum Regularium, itemque Ceremoniale Clericorum Regularium S. Pauli lib. 2. cap. 10. hunc in modum loquendo: Genuflexi quoque sint ad illum (versum) *Tantum ergo Sacramentum*, & quinque sequentes; & denique Ceremoniale Clericorum Regularium Minorum part. 1. cap. 12. hæc ait: In Officio Corporis Christi, cum in Hymno dicitur *Tantum ergo Sacramentum &c.* usque ad *Genitori, Genitoque &c.* omnes genuflectunt.

Alii denique, nimirum Philippus Natalius de Sacris Ritibus tract. 2. sect. 4. cap. 3. tit. 3. num. 4. Paris de Crassis in suo Ceremoniali Cardinalium, & Episcoporum lib. 2. cap. 22. Ramerius in Rituali Cælestinorum lib. 1. cap. 18. Ceremoniale Ordinis B. M. de Mercede Reformatum juxta Ritum Romanum lib. 1. cap. 9. Constitutiones, Declarationes, & Ordinationes Capitulorum generalium Ordinis PP. Prædicatorum tit. de genuflexionibus n. 5. Bauldry part. 2. cap. 3. n. 2. & Gavantus Sect. 10. cap. 1. n. 4. necnon Ceremoniale Episcoporum lib. 1. cap. 28. eandem genuflexionem in pronunciandis prædictis versibus hujus Hymni præscribunt, sed numerum versuum, quibus durare debet genuflexio, non definiunt. Noster P. Magius *loc. cit.* n. 230. arbitratur à Castaldi præscripto non esse recedendum, & quatuor ad minus omnino versus cum genuflexione canendos esse, quem etiam Ritum tradit Ceremoniale PP. Cappucinorum lib. 1. cap. 6. citando Castaldum. Ego tamen censerem in prædicto casu, vel ad duos tantum primos versus, vel ad omnes sex illius strophes esse genuflectendum; nulla est enim major ratio, cur genuflexio debeat durare usque ad prolationem quatuor versuum, & non usque ad recitationem omnium sex versuum illius strophes. Tum quia sicut prosternimur in recitatione  
totius

totius primæ strophes Hymni *Ave Maris Stella*, & totius alterius strophes: *O Crux ave spes unica* &c. ut docet Castaldus in Hymno Crucis, & tempore Passionis, ita congruum omnino videtur, ut prostrati remaneamus ab illis verbis: *Tantum ergo Sacramentum*, usque ad aliam strophem: *Genitori, Genitoque*.

Major tamen est difficultas, quandonam genua flecti oporteat ad prædicta verba in Hymno: *Pange lingua*. Castaldus in nostro Ceremoniali *loc. citat.* docet prædictam genuflexionem, si SS. Sacramentum sit expositum; idem quoque disponunt Canonici Regulares, Minores Conventuales, & Observantes S. Francisci *locis citatis*, Totinius in Ceremoniali Camaldulensium *lib. 1. cap. 14. num. 10.* Flumara in Ceremoniali Clericorum Regularium *part. 1. cap. 12.* Eremitæ S. Augustini *cap. 8.* Alii tamen hanc exceptionem non faciunt, ita Boverius *lib. 1. cap. 6.* in Ceremoniali Cappuccinorum, qui præscribit talem genuflexionem in Festo Corporis Christi, & per totam Octavam, & eodem modo disponunt Constitutiones Servorum B. V. *cap. 4.* necnon Statuta generalia Ordinis S. Francisci, & Monachi Cassinenses in Ceremoniali *cap. 17.* Fantonius tamen in Ceremoniali Carmelitarum *lib. 1. Rub. 19.* statuit, quòd in Hymno Corporis Christi genuflectatur ad illa verba: *Tantum ergo Sacramentum* &c. si SS. Sacramentum in Tabernaculo super Altare positum fuerit, vel in Custodia aperta, licet SS. Sacramentum videri non possit, sed tantum Tabernaculum, seu vas in quo continetur, aliàs verò in proferendis prædictis verbis fiat solum inclinatio. Donatus verò Ramerius in Rituali PP. Cœlestinorum ita statuit: In Hymnis cum dicitur: *Veni Creator Spiritus; Ave Maris Stella; O Crux ave; Nos quoque, qui sancto tuo redempti Sanguine su-*

*mus; Tantum ergo Sacramentum* ad prædictos solummodo versus genuflectant, non autem ad illum: *O salutaris Hostia*, nisi coram SS. exposito Sacramento caneretur, cum non adorationis, sed admirationis sint verba. Hæc Ramerius. Noster tamen Gavantus supra *loc. cit.* præscribit quidem genuflexionem faciendam ad illos versus: *Tantum ergo, &c. si coram Sacramento proferantur*, nec addit *exposito*; iisdem verbis loquitur Philippus Natoli in Sacris Ritibus *loc. supracit.* & Corfettus in sua Praxi *cap. 21. n. 11.* sed clarioribus verbis expressit sensum suum Arnaudius in Epitome Gavanti *part. 2. tit. 1. n. 4.* ubi ait: *Genuflectendum erit ad ea verba: Tantum ergo Sacramentum, si coram Sacramento, etiam latente in Tabernaculo* &c. & Bauldry *part. 2. cap. 3. n. 2.* præscribit, genuflectendum esse in locis suis, &c. ad hos versus: *Tantum ergo Sacramentum, &c. & O salutaris Hostia* &c. etiam si proferantur coram SS. Sacramento in Tabernaculo incluso, aliàs non. Idem præscripsit Paulus à S. Johanne Evangelista in Ceremoniali PP. Augustinensium Excalceatorum *lib. 2. cap. 5. §. 1.* ubi ait: Cum dicitur *Tantum ergo Sacramentum*, & quinque versus sequentes in Hymno SS. Corporis Christi, semper genuflectitur. Hanc sententiam amplexus est noster Franciscus Magius *loc. supracit. n. 233.* cui libenter adhæreo; intelligere enim non possum cur semper genuflectendum sit ad principium Hymni, *Ave Maris Stella*; & ad illos versus, *O Crux ave spes unica*, cum recitatur Hymnus Crucis de tempore Passionis, ut docuit Castaldus, & non debeamus eodem modo procumbere ad prædictos versus, *Tantum ergo Sacramentum*, etiam si Sacramentum non sit expositum, sed sit tantum in Tabernaculo inclusum.



## Novæ Observationes, &amp; Additiones ad Gavanti

## Cap. III. De Ceremoniis Horarum Canoniarum in Choro sollempnius recitandarum.

I. Gavant. pag. 160. col. 2. num. 2. -- *Matutinum igitur nunquam cum Pluviali cantatur, &c.*) Quamvis juxta dispositionem Ceremonialis Episcoporum in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, etiam absente Episcopo, nunquam ita sollempniter Matutinum celebratur, ut Pluviale adhibeatur, nihilominus cum à prædicto Episcoporum Ceremoniali, ut ait Gavantus *Sect. 10. cap. 2. n. 11*, consuetudines locorum variae, & laudabiles non sint abrogatae, neque improbatæ, idcirco improbari non possunt nonnullorum Regularium Ordinum Ceremonialia, in quibus præscribitur, quod non solum ad Laudes, & ad Vesperas sollempnes, sed etiam in sollempnioribus Festivitatibus ad Matutinum adhibeatur Pluviale à Celebrante. Qui quidem Ritus approbationem profecto meretur, quia Ordines Regulares cum aliqua speciali sollempnitate debent sollempniora Matutina celebrare, & cum eorum Superiores non habeant indumentum Cappæ magnæ, quale habent Episcopi, & Canonici in Cathedralibus Ecclesiis, idcirco si isti in sollempnioribus Festis utuntur tali Cappa in Matutino celebrando, decet etiam, quod Regulares aliquo speciali, & sollempni indumento utantur in celebrandis sollempniorum Festorum Matutinis.

II. Gavant. eod. n. 2. -- *Sed dum cantantur Lectiones tertiæ Nocturnæ &c.*) Quando Episcopus in Matutinis Officiū facit, nonnam Lectionem cantat ipse stans in sua sede Pontificali cum Cappa, detecto capite, &c. prout disponit Ceremoniale Episcoporum *lib. 2. cap. 5. n. 9*. Si autem celebraretur Matutinum in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis ab aliquo Canonico, vel Dignitate, absente Episcopo, tunc circa finem tertiæ Nocturnæ Canonici faciens Officiū ac-

cipit Pluviale coloris temporis congruentis, ut disponit citatum Ceremoniale *cap. seq. n. 15*. & cantat totam nonam Lectionem, pro qua accenduntur duo cerei, &c. prout ex eodem Ceremoniali describit Gavantus hic. Supradicti Regulares, qui in principio sollempnis Matutini Pluviali utuntur, solent illud dimittere, adjuvantibus Acolythis, post completam Antiphonam primi Psalmi, & deinde Celebrans, seu faciens Officiū reassumit idem Pluviale delatum ab iisdem Acolythis, dum cantatur octavum Responsorium, ut eo paratus legat totam ultimam Lectionem, & deinde prosequatur eodem sacro indumento reliquum Officiū, nimirum Matutinas Laudes, quæ eodem Ritu, & sollempnitate celebrantur, ac Vesperæ, de quibus Gavantus hoc loco *n. 8. & seqq.* & nos paulo infra.

III. Gavant. pag. 161. col. 1. n. 7. -- *Martyrologium prædiæ Natalis Domini sollempnius cantatur, &c.*) De Ritibus, & Ceremoniis, quibus sollempniter cantari debet Martyrologium prædiæ Nativitatis Domini, sermonem fecimus supra in nostris novis Additionibus ad *Cap. IV. Sect. 6*. quapropter legi possunt ea, quæ ibi tradidimus.

Quibus hoc loco addere lubet, quod in Massiliensi Ecclesia Archidiaconus cum quatuor Cantoribus in Cappis super ambonem conscendens Filii Dei nativitatem annunciare olim solebat, omnibus, Clero, & Populo, in terram prostratis, qua annunciata idem Archidiaconus eodem loco Evangelium decantabat. Hæc refert Leodegarius Mayer Monachus Benedictinus in suo erudito opere recentissime evulgato, cui titulus: *Explicatio Ceremoniarum Ecclesiasticarum part. 3. cap. 2* Cluniacenses verò Monachi dum Dominica Nativitas pronuntiabatur, cuncti in faciem cadebant,

bant, & aliquandiu in Oratione procumbent, ut tradit Marcard Herrgott Monachus pariter Benedictinus Congregat. S. Blasii in suo opere inscripto: *Vetus Disciplina Monastica part. 2. cap. 4. de Vigilia Nativit. Domini*, ubi alia ad eandem diem spectantia, juxta Cluniacensium Monachorum Ritus, enarrat.

IV. Gavant. pag. 161. col. 1. n. 8. -- *Fusus de Vesperis sollemnibus est dicendum, &c.* Gavantus hoc n. 8. & seqq. fusè tractat de Ceremoniis, & Ritibus adhibendis in Vesperis sollemnibus; omiſſis igitur iis, quæ à nostro Magistro ibidem scriptis consignata fuerunt, ne inutiliter eadem repetantur, progredimur ad alia adjicienda, & observanda, quæ ab eodem brevitatis studio distinctè minimè examinata fuerunt.

Antequàm ultimum pulsetur Vesperarum signum, juxta varias Ecclesiarum consuetudines, vel Ceroferarii, vel unus ex Acolythis, vel ambo simul accendere debent cereos in Altari. Bauldry part. 1. cap. 13. artic. 2. n. 1. statuit, ut Ceroferarii ambo accendant prædictos cereos; idem præscribit Cerem. Clericorum S. Pauli lib. 1. cap. 9. ubi ait: *Acolythis accendant candelas in Altari, & lato secum lumi e in Sacristia, accendant candelabra.* Castaldus verò in Praxi Ceremoniarum lib. 2. sect. 5. cap. 8. n. 3. statuit, quòd Acolythis accendant cereos in Altari, & supra parietes, & quòd Ceroferarii pariter suos cereos eodem tempore accendentes cum candelabris ante ostium Sacristiæ accedant, ibique Celebrantem cum Ministris expectent. Præ omnibus mihi placet dispositio, quam tradidit Flumara in Ceremoniali Clericorum Minorum part. 2. cap. 4. ubi sic ait -- Thuriferarius Superpelliceo indatus adjuvat Celebrantem sacris vestibus se vestientem, &c. Acolythus minister præparabit sedem Celebrantis, ponens super eadem sede, panno, vel tapete cooperta, pulvinum; & alterum cum tapete, vel panno in planitie, vel super genuflexorio ante sedem posito. Legile etiam ante sedem

collocabit cum Breviario, serico, coloris cæterorum paramentorum tecto. Junior Ceroferariorum accendet sex candelas in Altari cum candela in apicem virgæ accensa. Accendat autem prius tres à latere, quæ sunt in cornu Evangelii, ab altiori incipiendo, & postea eodem ordine accendet alias in cornu Epistolæ. Alter verò accendet duas ipsorummet in Sacristia positas. Si super parietes erunt candelabra cum candelis, & illæ sunt accendendæ, eas ambo accendent, junior in cornu Epistolæ, & alter in cornu Evangelii: quibus accensis, antiquior, delato secum lumine, accendet easdem ipsorummet in Sacristia -- Sic Flumara. Nostra tamen consuetudo est, ut sicut candelæ super parietes, ita etiam eæ, quæ sunt in Altari, accendantur à duobus Acolythis, nimirum Thuriferario, & Naviculario, ordine supradicto, incipiendo nimirum à proximioribus Cruci, & interim Ceroferarii in Sacristia adjuvant Celebrantem ad se induendum sacris vestibus. Adnotare etiam est, quòd juxta sententiam Castaldi in nostro Ceremoniali lib. 1. cap. 24. Thuriferarius est ille, qui cereos accendit in Altari primo quidem à latere Epistolæ, faciens initium ab iis, qui sunt prope Crucem, mox eodem ordine à latere Evangelii.

V. Gavant. pag. 161. col. 2. num. 13. -- *Inchoatur Psalmus à Cantoribus, & sedent omnes, &c.* Intonata à Celebrante Antiphona, & à Choro cantata, si Duplex est Officium, inchoantur Psalmi à Cantoribus, &c. & deinde omnes sedent, ait Gavantus; sed de hoc Ritu standi, vel sedendi in Choro, dum cantantur Psalmi, non est unus, & idem, sed variè diversus Ecclesiarum, & Ordinum Regularium Ritus, ut supra exposuimus in nostris Observationibus ad cap. 8. sect. 5. Ita etiam varià est consuetudo aliquorum Regularium post Vesperas inchoatas, Pluviale, præsertim pretiosum deponendi. A PP. Carmelitæ Discalceatis ita disponitur in suo Ordinario part. 1. cap. 6. n. 4. Hebdomatarius

A a a 3

rectus

rectus incipit Vesperas illis verbis. *Deus in adiutorium, &c.* Dictoque in Choro *Alleluja*, incipit primam Antiphonam, qua finita, & incepto primo Psalmo, factis solitis reverentiis, Sacristiam revertitur: relictoque ibi Pluviali, præcedentibus Thuriferario, & Acolythis, Chorum ingreditur. Ante finem tamen ultimi Psalmi, facta solita inclinatione in Choro, iterum redit Sacristiam, & accepto Pluviali, præcedente Thuriferario cum Thuribulo fumigante egreditur ad Ecclesiam -- Hactenus Ordinarium PP. Carmelitarum relatam à Francisco Magio *opusc. 3. de Offic. Chori disquisit. 2.* ubi similes etiam refert aliorum Ceremonialium Ritus, præsertim PP. Minimorum, & Cassinensium, quos tamen in Ceremonial. per D. Zachariam à Mutina Cassinensem Monachum, & per Theodorum Solarium Ordinis Minimorum respectivè elaboratis, atque digestis minimè potui reperire; & solùm in Ceremoniali PP. Eremitarum S. Augustini Romæ edito anno 1714. *part. 3. cap. 9.* legitur, quòd usus deponendi Pluviale post initium Vesperarum, & illud reassumendi circa finem ultimi Psalmi, potest tolerari, quando Chorus clauditur cortinis, ita ut non videantur Religiosi à Populo, nullo tamen pacto quando Chorus patet. Itaque certissimum est, quòd prædictus usus deponendi Pluvialia post intonatam Antiphonam in Vesperis sollempnibus, omnino improbandus est in illis Ecclesiis, in quibus Chorus omnibus patet, & non est retro Altare. Decretum allatum à Barbosa, & datum in nostro Indice sub *n. 29.* ita intelligi debet, ut antiquitas nostri ipso Vesperarum initio Pluviale forsitan non induissent, ut suspicatur Magius *loc. cit. n. 12.* cum extet hic Ritus apud Ordinem B. M. de Mercede, in cuius Ceremoniali *lib. 1. cap. 21.* his verbis exprimitur -- Igitur (Antiphona) ante Canticum præintonata, abit Prælati ad Sacristiam, quem Acolythi, & Thuriferarius ce-

micantur: ubi lotis manibus, Amictu, Alba, quam Cingulo strictè præcingit, Stola in modum Crucis ante pectus coaptata, & Cappa serica coloris competentis indutus, procedit ad thurificandum Altare -- Hæc præfatum Ceremoniale, quo quidem Ritu, ait noster P. Magius, tametsi laudabilis sit, & à S. C. permissus, nostri tamen Patres in Vesperis sollempnibus non utuntur; satisque sunt arbitrati, si pretiosum, & grave aliquod Pluviale, sedenti tunc Celebranti nimis foret incommodum, & ideò cum levi aliquo, & facili commutetur; similiter ac Ceremoniale Episcoporum *lib. 2. cap. 1. n. 7.* de Mitra Episcopi decernit his verbis: *Episcopus verò sic perstat, donec expleta per Chorum Antiphona, inceptus fuerit Psalmus; tunc sedet, accepta Mitra leviori, si placeat, &c.* Miror tamen Magium nostrum supponere hoc loco Celebrantem apud nos sedere, quando, ut alibi diximus, non solùm ad Vesperas sollempnes, sed etiam ad Matutinum, cæterasque Horas, etiam diebus ferialibus, psallimus stantes, non verò sedentes; potius igitur dicendum est antiquum nostrorum Ritu similem fuisse illi, quem adhuc in usu habent PP. B. M. de Mercede, & qui à S. C. non fuit improbat. Cæterùm ego quoque haud improbarem Ritu mutandi Pluviale grave in leve aliquod, & magis commodum, ex quo præsertim nos non sedendo, sed stando solemus totas Vesperas, ut dixi, celebrare. Alii verò regulariter, præsertim in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis, celebrant Vesperas, aliasque Horas sedendo; unde Pluviale aliquod pretiosum, & magni ponderis, Celebranti ita sedenti, non potest illud afferre incommodum, quod afferret stanti, & nullo Stallo, seu Postergali innixo, ut solemus nos stare etiam quando hujusmodi sacris vestibus induti, Vesperas & Laudes celebramus.

VI. Gavant. pag. 161. col. 2. n. 14. - Cantores præintonant reliquas Antiphonas Dignioribus, &c.) De hac re, nempe de Ceremoniis præstandis ab iis, qui præintonare debent dignioribus Antiphonas in Vesperis sollempniter decantatis, nonnulla adnotavimus supra ad *Caput 7. Sess. V.* idcirco hic abstinemus à nostris Additionibus, & Observationibus, ne jam dicta repetamus.

VII. Gavant. pag. 161. col. 2. n. 15. - Finitis Psalmis, &c.) Dum cantatur ultimus Psalmus, Thuriferarius, facta debita reverentia Celebranti, & Choro, accedit ad Altare, & si adest Navicularius, simul cum eodem Thuriferario pergit, & post factam Altari genuflexionem accendunt Ceres Candelabrorum, quæ deferri debent à Ceroferaariis, necnon alios, qui sunt in majoribus Candelabris, si sit consuetudo. Deinde facta iterum genuflexione, velambo, vel Thuriferarius solus recedit in Sacristiam, ubi ignem præparat, & alia sibi necessaria. Circa finem ejusdem Psalmi Ceroferaarii, factis Celebranti, & Choro debitis reverentiis, accedunt ad Altare, ubi genuflectunt, & sua Candelabra accipiunt, & dum repetitur ultima Antiphona, accedunt ad Celebrantem, seque hinc inde, ante eum, & à lateribus ejus in plano collocant, facie ad se invicem versa, sicut & Assistentes parati accedunt etiam ad Celebrantem cum debitis reverentiis, & ita se locant hinc inde, ut ipsi Ceroferaarii Celebranti sint propiores in plano Chori. Si adest Ceremoniarius, tunc se collocabit à dextris, si fieri potest, Ceroferaarii, qui est à dextris Celebrantis, caventes omnes, ne terga vertant Altari, aut ipsi Celebranti. Rursus cavere debent, ne in via sint, dum cantatur Versus *Gloria Patri &c.* & si aliter fieri non potest, inclinent se profunde ante Altare.

Finita ultima Antiphona Celebrans surgit,

biretum tradit Ceremoniario, vel in aliquo loco commodo deponit, si nullus sit qui illud recipiat, junctisque manibus, stans Capitulum cantat, & responso per Chorum: *Deo gratias*, unus Assistentium, facta prius Altari reverentia, accedit ante Celebrantem, eique præintonat initium Hymni cum debitis reverentiis antè, & post; quo per eum repetito, omnes præstant ea, quæ Gavantus describit hoc loco. De ritibus servandis in Hymni intonatione, satis egimus in nostris Observationibus ad *Caput 6. Sess. V.* necnon ad *Caput 18. Sess. VI.* Hoc loco tamen addimus, quòd si Hymnus cantetur à Musicis, vel alternatim ab Organo, tunc Cantores legent mediocri voce ea verba, quæ à Musicis seu Organo cantantur; hoc tamen servato, quòd prima & ultima Strophe non ab Organo sed à Choro cantetur, quod observari debet in omnibus Canticis, & Hymnorum Versibus, in quibus genuflectendum est, sicuti & in Versiculo: *Gloria Patri &c.* quamvis Versus immediatè præcedens fuerit à Choro pariter decantatus, quæ observanda sunt, non modò in Vesperis, sed etiam in Matutino, & Missa, juxta præscriptum Ceremonialis Episcoporum *lib. 1. cap. 28. n. 6.* Quod spectat ad alias Horas Canonicas, non est consuetum in iis Organum interponere: si tamen alicubi vigeat ea consuetudo, servari posse non negat idem Ceremoniale *n. 7.* ea tamen cautione, ut quandocumque per Organum figuratur aliquid cantari, seu responderi alternatim Versiculis Hymnorum, aut Canticorum, ab aliquo de Choro intelligibili voce pronuncietur id, quod ab Organo respondendum est. Immo optaret Ceremoniale, ut aliquis Cantor conjunctim cum Organo voce clara idem cantaret. Quibus autem diebus Organa pulsari soleant in Ecclesia, discimus ab eodem Ceremoniali *loco cit. n. 1. & 2.* Omnibus enim Dominicis & Festis omnibus per Annum occurrentibus, in quibus Populi à servilibus operibus abri-

abstinere solent, id decere affirmat; inter has autem Dominicas, ait, non connumerari Dominicas Adventus, & Quadagesimæ, excepta Dominica tertia Adventus, quæ dicitur: *Gaudete in Domino &c.* & quarta Quadagesimæ, quæ dicitur: *Letare Hierusalem &c.* sed in Missa tantum. Excipiuntur etiam Festa, & Feriæ infra Adventum, aut Quadagesimam occurrentia, quæ cum solemnitate ab Ecclesia celebrantur; ut sunt Festa SS. Matthiæ, Thomæ Aquinatis, Gregorii Magni, Josephi, Joachim, Annunciationis, & similia. Item Feriæ V. in Cæna Domini ad Missam tantum, & Sabbato Sancto ad Missam, & Vesperas, Organum pulsari decet, demum quandocumque occurrat celebrare solemniter, & cum lætitia pro re aliqua gravi.

VIII. Gavant. pag. 162. col. I. n. 16 -- *Præintonabis Celebranti Antiphonam ad Magnificat, &c.* Dum Chorus respondet ad Versum post cantatum Hymnum, dignior Assistentium, Comite Ceremoniario, rediens ad Celebrantem cum debitis reverentiis, præintonat illi Antiphonam ad *Magnificat*, qua per eum repetita, ipse, & omnes alii de Choro sedent, tecto capite, donec fuerit integrè decantata, si Officium fuerit Duplex; interim Ceroferarii Candelabra sua accipiunt cum Candelis accensis, & factis debitis reverentiis, accedunt ad Celebrantem, vel ad medium Chori, ubi stantes, Celebrantem expectant, sicut & ipsi Assistentes parati accedunt etiam ad Celebrantem cum debitis reverentiis, & ita se locant hinc inde. Thuriferarius quoque item accedit de Sacristia cum thuribulo, & navicula ad Altare, facta debita genuflexione, vel potius redit in Chorum, ubi se adjungit Ceroferariis, & si adest Navicularius, ipse defert naviculam jungens se Thuriferario, servato eodem ordine, quem descripsimus in *tom. I. part. 2. tit. 2.* agentes de Missa solemnè, ubi expli-

cavimus etiam modum, quo Thuriferarius debet gestare thuribulum, & alius Acolythus naviculam.

IX. Gavant. pag. 162. col. I. n. 17 -- *Inchoato Cantico Magnificat surgentibus omnibus, &c.* Finita Antiphona in Choro, duo Cantores, sive duo ex Assistentibus paratis intonant Canticum *Magnificat*, & tunc omnes surgunt, quia cum cantatur Antiphona, sedent omnes, ut supponit Gavantus hic et Ceremoniali Episcoporum.

X. Gavant. eod. n. 17 -- *Celebrans factis sibi signo Crucis, &c.* Intonato Cantico *Magnificat*, Celebrans, & alii ei Assistentes deponunt bireta sua, facto sibi signo Crucis à fronte ad pectus, quod faciunt etiam omnes alii de Choro juxta sententiam Bauldry *part. 2. cap. 11. art. 4. n. 31.* adducentis auctoritatem Ceremonialis Episcoporum *lib. 2. cap. 3.* Verum, ut optimè adnotat noster *Magnus Opusc. 3. de Offic. Chori disquisit. 8.* Ceremoniale Episcoporum à Bauldry allegatum de hoc signo Crucis ab omnibus de Choro faciendo, nullum verbum habet; hæc enim tantum præcisa verba in dicto Ceremoniali *loc. cit.* leguntur -- *Cum inchoatur Canticum Magnificat, quod à duobus Presbyteris paratis Pluvialibus intonatur, omnes surgunt, & ipse Celebrans salutans hinc inde Canonicos capitis inclinatione, qui ei assurgere debent, capitibus detectis, vadit ad Altare.* Idcirco Castaldus in *Praxi lib. 2. Sect. V. cap. 8. n. 13.* de hoc signo nihil ait, & *cap. 9. n. 9.* monet, à Celebrante Episcopo faciendum esse, juxta verba Ceremonialis Episcoporum, quæ habentur *loc. cit. cap. 1.* & quæ ita præscribunt -- *Ut factis sibi Crucis signo à fronte ad pectus, ac ceptoque sinistra manu Baculo Pastoralis pergat ad Altare.* Rursus de eodem signo Crucis ab omnibus faciendo, neque loquitur Ceremoniale Clericorum Regularium S. Pauli *lib. 1. cap. 9.* sed quòd Celebrans dictum Crucis signum edere debeat, præscribunt Gavantus supra,

suprà, Corsettus in *Praxi part. 1. cap. 17. num. 8.* Castaldus in nostro Ceremoniali, Flumara in Ceremoniali Clericorum Regularium Minorum, Paulus à S. Johanne Evangelista in Ceremoniali Discalceatorum Augustinensium, necnon Victorinus Totinius in Ceremoniali Camaldulensium *lib. 1. cap. 16. num. 18.* ubi id fieri probat pro reverente accessu ad incensandum Altare.

XI. Gavant. pag. 162. col. 1. eod. n. 17. -- *Vadit ad Altare, &c.*) Dubium est, quando nam Celebrans, qui pergere debet ad thurificandum Altare, descendere debeat à sua sede, utrum statim post intonatam Antiphonam, an verò, non nisi post inchoatum Canticum *Magnificat*? Castaldus in nostro Ceremoniali *lib. 1. cap. 24. num. 10.* præscribit, ut Celebrans, inchoata Antiphona ad *Magnificat* præbeat honoris signum, ad utramque Chori partem se inclinando, & à sua mox sede descendat, ut unà cum Ministris post dictum Canticum inchoatum facto sibi Crucis signo, in Chori medio genuflectat; & ad thurificandum Altare, ex Evangelii latere egrediatur. Quòd si, inquit, Antiphona non duplicetur, ipsam non in suo loco, sed in medio Chori intonabit. Verùm idem Castaldus in *Praxi lib. 2. Sect. V. cap. 8. n. 13.* mutata sententia aliter docuit, scilicet, ut non nisi post Canticum *Magnificat* inchoatum, Celebrans à sua sede descendat, & Magius *cit. Opusc. disquisit. 7.* decentiorem hunc esse ritum existimat, & à nobis etiam amplectendum, utpotè magis consonum, & ritui Romano conformiorem, eumque præscribit Ceremoniale Episcoporum *loc. supracit. lib. 2. cap. 1.* necnon Ceremoniale Papale *lib. 2. cap. 9.* & Paris de Crassis de Ceremoniis Cardinalium Episcoporum *lib. 2. cap. 11.* Denique Ceremonialia Clericorum Regularium Minorum, Carmelitarum, Minorum Conventualium S. Francisci, & aliorum, necnon Corsettus in *Praxi part. 1. cap. 17. num. 8.* & Bauldry *loc. supracit.*

Gavant. Rubr. Brev.

XII. Gavant. pag. 162. col. 1. eod. n. 17. -- *Capite tecto, &c.*) Hoc loco præscribit Gavantus, ut Celebrans pergat ad Altare incensandum capite tecto; Gavanti sententiam sequitur Corsettus *cap. 17. num. 8.* hunc eundem ritum docere videntur Felix Franciscinus in *Ceremoniali Minorum Conventualium part. 3. cap. 3. num. 4.* Johannes Merinerus in *Ceremoniali Minor. Observant. part. item 3. cap. 3. num. 4.* qui solam de Ministris comitantibus Celebrantem dicunt, quòd procedent capite detecto, unde legitime infertur, eorundem Auctorum sententiam aliam esse de Celebrante, nimirum, quòd iste tecto capite procedere debeat ad Altare. Ceremoniale verò Clericorum Regularium S. Pauli *lib. 1. cap. 9.* disertis verbis statuit, ut solus Celebrans tegat caput in prædicto incessu. Verùm contraria sententia mihi videtur probabilior, quam docet Castaldus in nostro Ceremoniali *lib. 2. cap. 20.* ubi præscribit, ut Celebrans, *per ostium à latere Evangelii præcedentibus Thuriferario, & Acolyto, & post eos Cerofetariis, ultimus ad thurificandum Altare detecto capite, manibusque ante pectus junctis procedat.* Castaldi sententiam non pauci Ceremoniarum Magistri amplexi sunt: Dominicus Flumara in *Ceremonial. Cleric. Regul. Minor. part. 2. cap. 4.* eundemque ritum approbat Andreas Guerrierus in Declarationibus Rubric. General. Breviarii Romani *tract. 2. cap. 1.* necnon Bauldry *loc. supracit.*

Ratio autem detectionis capitis, ut bene advertit noster Magius *Opusc. 3. supracit. disquisit. 6. num. 34.* non est illa, quam Gavantus, & Minores tum Observantes, tum Conventuales in Ministris assignant, quia brevis est via, sed ob *Magnificat*, quod à Choro sollempnissimè decantatur, ut Guerrierus *loc. supracit.* tradit his verbis: *Celebrans, & qui eum comitantur, eant ad incensandum Altare, manibus junctis ante pectus, & capibus discoopertis ob reverentiam Cantici.* Vel, ut ait Bauldry: *nudo capite pro-*

B b b

pter

pter Canticum Evangelicum. Idem docet Paris de Crassis lib. 2. cap. 36. advertens, quòd Episcopus, si minimè sacris vestibus paratus interlit, debet incensari capite detecto, & reverenti ad ipsum actum incensationis, non habito respectu ad incensantem, sed ad actum incensandi mysticum, & ad Cantum ipsius Cantici Magnificat, quem reverenter audire debet, non obstante, quòd dum ipse Episcopus paratus incensatur, debeat cum Mitra incensari, quia aliud est cum Mitra, aliud est cum Bireto. Hæc mox laudatus Auctor.

Si tamen præter Altare majus, aliud Altare incensandum sit, Celebrans post thurificatum majus Altare, cooperto capite, ut omnes concedunt, incedere debet per Ecclesiam, non quia longior via est, sed quia Presbyterium egrediens, à Choro recedit.

XIII. Gavant. pag. 162. col. 1. eod. num. 17. -- Et sine Acolythis, &c.) Præscribit hic Gavantus, ut Celebrans procedat ad incensandum Altare sine Acolythis, nempe sine Ceroferariis; Castaldus tamen in Praxi lib. 2. Sect. V. cap. 8. num. 20 docet, quòd si Chorus distet ab Altari, vel sit retrò aliquantulum ab Altari remotus, prout apud Regulares esse solet, non est improbanda consuetudo procedendi ad incensandum Altare cum Ceroferariis, ita tamen, ut redeuntes ad Chorum post incensatum Altare, reponant Candelabra, resumenda ad Orationem, vel Orationes: & Bauldry pariter loc. supracit. absolute contendit, etiam Ceroferarios debere comitari Celebrantem ad Altaris incensationem, incedendo nimirum post Thuriferarium, & Navicularium.

XIV. Gavant. eod. num. 17. -- Ascendit ad Altare, &c.) Celebrans, & alii, qui ipsum comitantur, ante infimum gradum Altaris pervenientes, Cruci reverentiam faciunt, seu potius genuflexionem, excepto Celebrante, qui solam exhibet reverentiam, si tamen ibi sit Sanctissimum Sacramentum, etiam ipse Celebrans genuflectit cum ceteris, qui omnes stant recta linea, medium-

que habentes ipsum Celebrantem, Acolythis verò, nempe Thuriferarius, & Navicularius, post eos remanent. Facta reverentia, Celebrans cum duobus ex dictis paratis, hinc inde elevantibus partem anteriorem pluvialis ipsius Celebrantis, ascendit ad Altare, & præstat omnia ea, quæ tradit Gavantus. Fit igitur incensatio Altaris eo prorsus modo, quo, ut ait idem Gavantus, præscribitur Missæ initio in Rubricis Missalis part. 2. Titulo 4. num. 4. unde legenda sunt omnia ea, quæ ibi Gavantus dixit, & nos pariter adnotavimus in nostris Observationibus, & Additionibus. Advertendo solum, quod primus Assistentens debet exhibere ea, quæ præstare solet Diaconus in Missa, dum incensatur Altare, nimirum debet ministrare naviculam cum debitis osculis, & cum alio Assistente elevare Pluviale, dum Celebrans incensat.

Ubi verò Officium Vesperarum celebratur sine Assistentibus paratis, Thuriferarius, & ejus Socius supplent vices Assistentium in ministrando Naviculam, & elevando hinc inde Pluviale Celebrantis, dimissa prius Navicula ab eo, qui eam ministrabat, in aliquo loco congruo.

Altari thurificato, Celebrans, stans in Cornu Epistola, reddit thuribulum eidem Presbytero Assistenti parato, à quo acceperat, & ille Thuriferario stanti in Cornu Epistola; tum Celebrans rediens ad medium Altaris, & Assistentes hinc inde simul cum eo, caput etiam inclinant Cruci, postea in planum descendentes, debitas faciunt Altari reverentias, & eo ordine in Chorum redeunt, quo venerant, & servatis iisdem salutationibus. Tum Ceroferarii deponunt Candelabra in loco apto, si supersit multum temporis usque ad Orationem, alias verò remanentes ante ipsum Celebrantem, ea accensa sustinent. Assistentes autem semper Celebrantem comitantur, elevantes partem anteriorem sui Pluvialis, eumque conducunt usque ad sedem suam, ubi stant, donec incensatus fue-

fuerit à primo ex illis, & deinde statim ad sua loca redeunt, facta ei reverentia.

Hoc loco animadvertere lubet, quòd si incensatio Altaris fiat, dum in eo est expositum Sanctissimum Sacramentum, debent omnes, cum ad Altare pervenerint, utroque genu procumbere, etiam cum inclinatione capitis in plano Cappellæ, deinde Celebrans ascendens cum suis Assistentibus ad Altare, hoc in medio osculatur, semper tamen ipse solus, sicut facit etiam, quando Sanctissimum Sacramentum non est expositum. Deinde idem Celebrans stans, & non genuflexus juxta Ceremoniale Episcoporum, imponet incensum, benedicens illud more solito, (quia post Sacramentum etiam Altare incensare debet) sed nulla interveniente ipsius Celebrantis manus osculatione, ob Sacramenti reverentiam; deinde vel in ora suppedanei genuflexus, vel juxta alios, (in quorum sententiam nos inclinavimus, in altero primo Tomo, præsertim quando solum Sacramentum, & non Altare est incensandum) descendens ad infimum Altaris gradum, ibi genuflexus accipit thuribulum sine osculis ab Assistente pariter genuflexo, factaque inclinatione; & Assistentibus simbrias Pluvialis anterioris elevantibus, hinc inde genuflexis, incensat tribus ductibus Sanctissimum Sacramentum; tum facta profunda inclinatione, surgit cum suis Assistentibus, simbrias Pluvialis elevantibus, ascendit ad Altare, ubi facta cum eis genuflexione, incensat more solito, (non dico, primò Reliquias, quia juxta dispositiones recenter editas, nec Reliquiæ, nec Imagines adesse debent super Altare, quando Sacramentum est expositum) ipsum Altare, genuflectendo semper, quando cum suis Assistentibus ante medium transit (sed tunc unico genu) & finita incensatione, reddito in Cornu Epistolæ thuribulo, redit ad medium Altaris, ubi genuflectit, deinde declinans parrumper ad latus Evangelii, ne terga vertat Sacramento, descendit ad planum Cappellæ unà cum Assi-

stentibus, ibique facta genuflexione ab omnibus utroque genu, redeunt in Chorum (à latere Epistolæ, si Chorus est retro Altare) eo ordine quo venerant.

XV. Gavant. pag. 162 col. I. num. 19. -- *Incensatione Altaris, vel Altarium peracta, &c.*) Si aliud Altare, ratione Festivitatis sit incensandum, facta incensatione Altaris majoris, vel illius, ubi Sanctissimum Sacramentum asservatur, (quod prius est incensandum, ut optimè docet Gavantus num. 18. quàm Altare, ad quod Vesperæ fiunt) peracta tali incensatione Altarium omnium quæ incensanda sunt, revertuntur omnes prædicti, præstitis Choro debitis reverentiis, ad loca sua, & Celebrans stans apud suam sedem, ut supra innuimus, invitat prius digniorem, qui immediatè post eum incensari debet, capitis inclinatione, ad incensationem; & tunc dignior ex prædictis Presbyteris paratis, cum profunda inclinatione antea, & postea, incensat triplici ductu ipsum Celebrantem, deinde reddit thuribulum Thuriferario, qui incensat alios de Choro, ordine præscripto, & à nobis explicato, agentes de incensatione faciendâ à Diacono in Choro, post incensationem Oblatorum factam à Celebrante in Missâ sollemni. Adverto hic quòd finita Chori incensatione, ipsi Assistentes à Thuriferariis incensantur.

Addimus tamen hoc loco, quòd si ratione sollemnitatis, vel alia quacunque causa, adesset in Choro, existente ante Altare, Episcopus Diœcesanus, vel Archiepiscopus, Legatus Apostolicus, Primas, seu Patriarcha in suis Jurisdictionibus, vel aliquis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, tunc spectat ad ipsos incensum imponere, & benedicere, ministrante Naviculam primo ex Assistentibus cum debitis osculis, & eo casu dicit: *Benedicite Reverendissime Pater*, & si erit Cardinalis: *Eminentissime Pater*, & Thuriferarius genuflexus utroque genu, (cum genuflexionibus unico genu antè, & post,) ministrabit, seu sustinebit thuribulum; & post

Celebrantem prædicti Prælati thurificatur triplici ductu à primo Presbytero assistente, cum profundis inclinationibus ante, & post incensationem, tunc verò Celebrans duplici tantum ductu thurificatur, juxta praxim omnium ferè Ecclesiarum; si verò adessent Episcopi Exteri, vel alii Prælati, honoris gratia, semper thurificatur post Celebrantem triplici ductu.

Quo ordine, & quomodo incensandi sint Principes Magni, Mulieres insignes, aut Reginae, Domini locorum &c. tradit Gavant. tom. 1. part. 2. tit. 7. in Rub. 10 lit. C. & nos ibidem nonnulla adnotavimus, quæ legi possunt, ne eadem repetamus. Circa incensationem Personarum in Ecclesiis minoribus, & Regularium, nulla datur in Ceremoniali Episcoporum determinata regula, unde unaquæque Ecclesia circa hoc observare debet suas laudabiles, & præscriptas, probatasque consuetudines.

XVI. Gavant. pag. 162. col. 2. n. 20. -- *Cessabit autem incensatio initio Orationis, &c.* Qui in Choro sunt Cantores, vel Musici, majori pausa, ac graviori modulatione Canticum *Magnificat* præcinere debent, ut ante repetitionem Antiphonæ incensatio completur in Choro, quia dum dicitur Oratio, incensatio cessare debet, ut præcibit Gavantus, & quidem ex Ceremoniali Episcoporum lib. 2. cap. 1. Adeoque si magnus sit numerus thurificandorum, ita ut non adsit tempus sufficiens, tunc Thuriferarius brevitate causa, tam ex una, quam ex altera parte Chori poterit omnibus simul se inclinare ante incensationem, & post. Advertat tamen incensans, quòd dum à Choro cantatur: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*, debet facere pausam, & inclinari versus Altare, & deinde prosegui, si aliqui remanent

incensandi; seu potius procedere ad Populum incensandum.

Completa incensatione, absolutoque Cantico *Magnificat*, reassumunt Cantores Antiphonam, nisi reassumatur ab Organo, quia tunc mediocri voce eam legunt. Interim Ceroferarii cum Candelis accensis, & debitis reverentiis accedunt ad Celebrantem, & stant eo modo, quo dictum est ad Capitulum, præstantque omnia ea, tum ipsi, tum alii, quæ docet Gav. nn. 21. 22. & 23.

XVII. Gavant. pag. 162. col. 2. n. 23. -- *Si discedendum est à Choro, &c.* Si immediate post Vesperas, Completorium sit cantandum, dicto à Celebrante: *Fidelium Anima &c.* salutatisque Præfatis, aliisque de Choro (nudo capite) ex utraque parte; & reverentiis Altari exhibitis, præcedente Ceremoniario, necnon Ceroferariis, recedit Celebrans cum suis Ministris, recto capite, eodem ordine, quo venerat, in Sacristiam, ubi omnes paramenta deponunt. Acolythi verò extinguunt Cereos, qui sunt super Cancellos, vel parietes, ita ut ad Completorium semper sit minor luminum numerus, quam ad Vesperas; si verò non sit recitandum Completorium, Celebrans dicit Antiphonam B. V. genuflectens, vel stans, juxta Regulas Breviarii; in cujus fine dicit voce submissa Versiculum, & (semper stans) Orationem, deinde recedit eo ordine, quem mox innuimus. Atque hic finis esto nostrorum in doctissima Gavanti Commentaria Observationum, & Additionum, quas si ea, quam res ipsa postulare videtur, dignitate tractavimus, Patri Luminum referendæ sunt grates. Si quid verò in iis reprehensione dignum pius Lector offenderit, tenuitati nostræ concedet. Quæcunque tamen diximus, ea irrefragabili Apostolicæ Sedis judicio volumus esse subjecta.

☩ (e)